SERENISS. PRINCIPI

CAROLO SECUNDO

MAG. BRIT. FRAN. ET HIB.

REGI

VOTUM CANDIDUM

VIVAT REX.

AUTORE

MAURITIO NEOPORTO *Anglo.*

Editio tertia ab Autore recognita.

LONDINI

Anno Dom. M. DC. LXXVI.

SERENISS. PRINCIPI

CAROLO SECUNDO

MAG. BRIT. FRAN. ET HIB.

REGI

VOTUM CANDIDUM

VIVAT REX.

AUTORE

Mauritio Neoporto Anglo.

Editio tertia ab Autore recognita.

LONDINI

Anno Dom. M. DC.LXXVI.



CAROLO SECUNDO
REGI
MUSA.



OTUM offert tibi, Serenissime Princeps, e contubernio Poetarum meorum unus, ab animi integritate candidum illud quidem, sed a doni impoliti sensu rubore multo suffusum. In conspectum tibi non ausus se dare fluctuabat diu, & cogitationum variarum æstu in utramque partem agitatus modò erigebatur in spem, in metum modò revolvebatur. Apolline inconsulto nequid fieret, omitteretque illud solenne nostrum, erat ab oraculo petenda cautio. Facere illi porrò necesse habebat. Sed ab hostiis lautioribus, seu Clitumni pascuis vendicabat excusatio fortunæ modicæ. Accidere demum ad aures visa responsi vox ejusmodi:

Non tu pectus inhoſpitum
Tentas, quiſquis ades. Qui patet omnibus,
Nullum non recipit, ſinus.

Diſceſſit enimvero lætus a tripode. Sed quoniam involvere ſe Deus obſcuris ſolet, ſuſpecta continuò de cortinæ involucro aliquo ſententia fuit. Itaque ſinus ille hoſpitalis & capax, qui patet omnibus, & nullum non recipit, veretur Poeta meus, ut ſit admiſſurus ſe, qui nullus eſt. Sit nullus ſanè. tamen ſi ſuper *inane* illud & *vacuum* ſuum ferri *ſpiritum* ſenſerit benevolentiæ tuæ, ex nihilo fiet aliquid. At quale futurum iſtuc ſit, arbitrii tui eſt. Ad *volatilia* cœli non contendit. *Creationis* tuæ beneficio modò numeretur inter *reptilia* terræ, ſatis erit. In recognitione peculii tui, ſeu volet ille, ſeu reptet, numerabis, opinor, in tuis, quod tuum eſt.

Vitæ, quod offert, Votum eſt. In hortum vitalem irrepere auſus decerptum e ligno Vitæ fruticem in chartas ſuas tranſtulit. Irrigavit, quantum licuit, petito latice e fonte meo. At niſi calore foveatur radiorum tuorum, quàm timet, ne ſoli jejunitate protinus intereat! Deponit igitur ad pedes tuos hos qualeſcunque conatus ſuos; quos ſi vultu, quo cætera ſoles, dignabere, vitalitatis ut aliqua parte animentur etiam ipſi, ſperat fore.

Valebis igitur, & valere verecundum Poetam meum jubebis, & ſalvebis a meo Parnaſſo.

LECTORI.

Amice Lector, me quoque Minervæ placuit aggregare ad noctuas suas. Equidem mei probè gnarus fugi hucusque dicer, ac proinde mirum non est, si emersus jam nunc e tenebris perstringi mihi oculos ad lucem sentiam. Venerunt pridem in manus Poetarum quorundam, & præsertim utriusq; Academiæ, super adventu Principis gratulationes insignes. Et me pariter, cùm unus, aut alter annus intercessisset, ut retentarem aliquid in carmine, afflavit spirans ex Helicone nescio quis furor. Quis enim nisi furiosus, hoc ætatis, post intermissas tanto intervallo exercitationes hujusmodi, quippe qui ab annis jam viginti, Thaliâ res suas sibi habere jussâ, ne ad carmen quidem unum vocem exercuisset, ad pangendum denuo accingeret se? Atqui non abstinuisse publico, nec Ciconiam, ut aiunt, a tergo pinsentem, sannamve posticam subtimuisse, id verò arguebat hominem ejusmodi, cui visum satis non esset insanisse semel. Cæterùm emota semel mens proclivior fit ad quamvis lapsionem.

Erat carminis hujus ortus, ut ingenuè fatear, non aliunde, quàm a fortuito. Cùm incidissent semel oculi, quemadmodum alias sæpe, in vulgare illud, VIVAT REX, *ad postem quendam affixum, subibat continuò tentare me in otio illo, an versum unum aut alterum circa materiam propositam possem efferre. Ut aliud ex alio solemus peccare, currente postmodum rota, hic urceus exibat.*

Lusi quidem hæc inter operas succisivas: at lusione aliquantùm laboriosa; & Poesim recognovi subsecivam rem haud esse. Interim si cui tantum otii erit, ut hæc mea legat, ne, quæso, sit ejusmodi, qui de singulis conatus meos in quæstionem postulet. Quo in discrimine sim, luculente video. Sic enim ferè vel respuit vel admittit, ut quisque, dicto vulgi non nimis concinno, nasum habet. Cui unguentarius est, spirante surdum materia ipsa, in versu meo requiret onychem. Cui Cilix, seu Pæstanus, desiderabit hortum. Atticus ille & gracilis nonne Bœotiæ meæ obesitatem aliquam fastidiet? Eminentiori illi & sublato nonne humilia,

militis, & quiſi Parnaſſi pedemontana *jacebunt omnia? Et ſimulus contrà ſuus non nemini, credo, in deliciis eſt. huic, ſiquid emineat, tumere videbitur in Apenninum. Ab aduncitate demum illa, quam notare videor, (prô Averrunci fidem!) cui impunè fuit? Habebo Lectori gratiam, ſi pluſculùm, quàm concedit cenſoria ſeveritas, in inſipientia mea conniveat.* Et *cujus tandem eſt, amabo te, ad animadverſiones eſſe præcipitem? Imago ſpectanda, multùm refert, quo in lumine collocetur. Equidem in delictis non admodum pugnax ſum. At neque velim, quicquid delirat Auditor, Poetam plecti. Ambigua ſubinde meta eſt. & non continuò jaculator aberrat, ſi non percipitur a quibuſdam, quò collineet. Fateor me in argutiis conſectandis parcum: quæ profectò, vinorum inſtar quorundam, guſtatæ magis, ut inquit ille, quàm potatæ delectant. ab his me conſultò abſtinui; fortè quia non aliter valui, ſtupore in faſtum verſo. Mitto cætera.*

Moneor interim, ut ad Poematis propoſitum propiùs accedam. Et videntur hæc paucis attingenda.

Sub annum 1642 erupit palam adverſus Carolum primum Angliæ Regem perduellio infamis. Poſt urbium obſidiones plurimas, & eventus varios præliorum venit ille tandem in Perduellium manus; cui pariter ab iiſdem non longo inde intervallo per ſummum ſcelus caput amputatur anno 1648. Januarii 30.

E *partibus tranſmarinis, quò antè ſubmiſſus a Patre fuerat, navigat deinde in Scotiam Carolus ſecundus. Ibidem anno 1650 committitur prælium Dunbarrenſe. at victoria Olivaro Cromwello ceſſit Perduellium ſupremo duci. Interceſſit annus, cùm, exercitu nova comparato, contendit e Scotia Carolus ſecundus in Angliam. Hìc ad urbem Vigornienſem certaminis alea extremi jacta eſt: &* Regiorum *ſpes univerſa concidit. Latuit poſt cladem Princeps aliquandiu; &* Boſcobellanum nemus *in Comitatu Salopienſi (cui nomen inde celeberrimum acceſſit) fugæ receſſum primum & præcipuum dedit. Inde clanculum migrat in oras tranſmarinas: & multos annos in exilio degit. Anno demum 1658, poſtquam Angliam univerſam, Scotiam, atque Hiberniam in* Protectoratus *ſui ditionem redegerat, moritur Olivarus Cromwellus. Richardus filius in Patris locum ſubſtituitur. At ſuccrevit non ita multò pòſt ambitio Partium; quibus, ut fit, in diverſa lapſis, Providentiæ cœleſtis ductu, at non abſque fiducia copiarum, quæ jam e Scotia ſub Georgio Monckio, (pòſt Albemarliæ Duce,) pertæſo utique factioni*

onis iniquæ, Londinum usque penetraverant, anno tandem 1660 cum Jacobo Duce Eboracensi, atque Henrico Glocestriensi fratribus revertitur in Angliam Carolus secundus cum gestis universæ acclamatione incredibili.

At propositum Carmini argumentum hoc non est. Fortuitum illud suprà commemoratum, VIVAT REX, est materia Carminis. Tamen quæ modò præmittebantur, faciunt omnino ad Carminis explanationem, quippe, ut occasio se obtulerit, spargenda passim in Poemate.

Operis igitur Summa principalis hæc est.

Prima Pars optat Principi Vitam diuturnam. Ostendit Vitam non minùs incertam esse, quàm certam Mortem; à Deo proinde donum Vitæ expectandum, quippe cujus in potestate tota sita est. Hinc sequitur, ut, quantum in nobis est, vitam ipsi instituamus bonam, & Deo placentem. Mala mortem accelerat.

In secunda Parte opportunum videbatur agere de Mediis commodis ad Vitam illam bonam & Deo placentem instituendam. Media, quæ proponuntur, simpliciter & nudè sumpta, sunt hæc. Primum: Ut excitationibus divinis quamprimum pareatur. Secundum: Ut consideratio intendatur ad duplicem Vitam extremam ad Vitæ mediæ statum ordinandum non incommoda. Tertium: Ut inter gaudiorum præsentium occasiones Justitiæ divinæ memoria non intercidat. Postremum: Ut perpendamus, Deo casuum humanorum moderatori, qui Profugum in mediis periculis non deseruit, quid debeatur. Hæc ut nudè exhiberentur, non placebat ob causas multiplices. Opus igitur erat involucro. Ac proinde viam init Autor hujusmodi, novam fortè atque inusitatam, at rei, quæ tractatur, non minùs opportunam. Enarrantur ab illo nimirum, veluti aliud agente, quæ sibi meminit accidisse fortuitò in itinere, quod susceptum non ita pridem a se fuisse ait ad Nemus Boscobellanum, Principis nempe hospitium primum post cladem acceptam in postremo illo, & fatali prælio Vigorniensi. Ex illis igitur, quæ Autori in Itinere illo accidebant, colliguntur Media modò dicta circa Conclusionem propositam. Inde Voti fit repetitio.

Tertiæ Partis opera hæc est. Non sufficiebat Autori optare Principi Vitam diuturnam, nisi accederent illa pariter, quæ spectant ad Vitam optabilis vitæ donis omnibus cumulandam, Jucundum scilicet, Utile, &

Glo-

Gloriosum. *Hinc erigitur* Pyramis *vitalis eò præcipuè pertinens. Cùm tamen in vita humana nihil est, quod non vergat ad interitum, invitatur demum* Princeps *ad ea, quæ permanent.*

Inde quarta Pars *optat Principi Vitam cœlestem & æternam. Hic proinde post aliqua præmissa inducitur (invitans eòdem scilicet* Principem *nostrum)* Chorus regius Anglorum, *qui sanctitate vitæ celebres eò dudum aspirarunt. De his differitur ab Autore non ita breviter, ut nihil videatur dicere: neque ita fuse, ut conscribere videatur historiam. Istud etenim præter rem institutam omnino esset.*

Quòd occasionem Materiæ hujus, *in quam inopinatò, & casu incurrebam, amplexus demum fuerim, nondum certè piget. Ad Carmen quod attinet, dem negotii mihi satis, si, quid quisque sentiat, laborem. Rarus est, qui non sciat*

Sic tendere versum,
Non secùs, ac si oculo rubricam dirigat uno.

Interim, amice Lector, ut Votum *candidum est, ita nec minus candidatus ipse amicitiæ tuæ te supplex prebenso. Recipio me in sinum benignitatis tuæ. Excusare ne pigeat, quod vitiosum est. Objecta diluere absens nequeo, quæ possem fortè præsens. & circumspectionis certè conscientia, quam adhibui non modicam, facit, ut loquar paulò fidentiùs. Clientelæ tuæ demando absentis vicem. Quid plura? Nec indoctus es, nec sciolus, nec ingenii maligni; & nosti probè (ut in arte perquàm difficili, atque oculis obliquà tuentibus plurimùm obnoxia) ut petere veniam ipse, ita dare vicissim.*

At Poema *hoc quo insigniam nomine?* Epo-ethicumne *appellem? Sin aliud allubuerit, arbitrium tuum sit.*

Vale. &. Si placeat, lege: sin displiceat, relege.

Londino 1676.

VOTUM CANDIDUM

VIVAT REX.

PARS I.

Optatur Principi vita diuturna. Vitæ causas in natura nullas certas habet. A Deo pendet: Estque a Deo expectanda. Ducta inde Conclusio affertur circa Partis hujus finem. Cætera, quæ interjiciuntur, inter legendum Lector facilè animadvertet.

Ingressus operis: cui se agnoscit Author non admodum idoneum.

EXtremum hunc, Parnasse, *mihi concede laborem.*
Regi pauca canenda meo. Cecinisse supremum
Sic juvet, extremoque operi imposuisse coronam.
Forsan erit, cui desipiam: vacuusque recedet
In ventos labor. An ductum probet ille cicuta
Tam tenui Princeps tantus (languente Minerva
Natum opus, & nullo quod splendet Apolline) carmen?
Sunt, quibus augusti sacras ad Principis aures
Contendat meritis quæsita superbia, dotes
Aoniæ, Numen præsens, Vatemque sonans os.
Sunt. Et adest--(*a*) Ut vultum ætas, & mentis honestat
Prudens canities! Illo per (*b*) regia rura,
Per (*c*) juga sacra ferente pedem, Thamisinaque Tempe,

Mentio Poetarum aliquot nostratium.

Circa quæ Lector hærere, seu hallucinari fortè poterit, ex iis explanari aliqua passus sum ad paginarum calces. Adjici plura non probabatur. Mallem quandoque a nonnullis non percipi, quàm commentariis ridiculis scholam agere. Minutiis tamen paucis ineptire offensionem magnam non habebit.

(a) *Denham, jam senior.* (b) *Saltum Winsorianum:* (c) *Templum D. Pauli, & arcem Winsorianam in editis locis sita, cum pratis eidem arci, & Thamisi contiguis. Materiam cujusdam Poematis Denhamiani.*

An montem quis Pierium neget, indigenasque
In (*a*) Collem, Coopere, tuum migrasse sorores?
Sunt. & adesse (*b*) Virum cerno, cui duplice vernant
Fronde comæ. (*c*) Modò siparii pacalis in umbra
Secubat, Insubres olim, Ausoniamque secutus
Mysta tubam. At lauro germen decerpserit illa
Quis mihi, Parnassoque meo? Seu prælia, scenæ
Seu ludos parat, & Ludos, & Prælia miror.
Ecquis adest? Aurem Phœbo admovisse videbar.
Wallerus cecinit. Musis solet esse vel ipsis
Lis anceps idem, dignusque sororibus error.
Ingenio vis altivolans, & Pegasis ala.
Illa fretus adit nubes, (servare sequendo
Quæ mihi det fugientem acies?) & sidera tranat
Livorem super, insectansque altissima (*d*) telum.
Indictusne mihi interea Coulæus abibit?
Jucundum, ut solo notum mihi carmine, nomen.
Pindarica fidens, & versicolore Camœna.
Coulæus: quo non alius facundior amnes
Cyrrhæos cantu ciet, Aonioque Latinas
Doctior in patriam deduxit vertice Nymphas.
Nescierit lusisse utinam, spumamque Neæra
Virgineæ non miscuerit Cythereïda lymphæ.
Serta virent aliis non inferiora, nec afflat
Numinis aura minor. Liceat tacuisse. Tacenti
Gratia par debetur. Olor canat alter Olores.
Pergite Castalii patris lectissima turba,
Castalidum decus, & pulchro indulgete furori.
Sint proprius vobis amor & Parnassides umbræ,
Pirene, & Pindi nemus, & Permessides undæ:
Otia plena Deo, & populo secreta profano.

(a) *Poema illud Denhamii sic dictum,* Cooperi collis.
(b) *D'Avenant.* (c) *Scripsit primò Gundebertum Longobardum, pòst transtulit se ad scriptionem Scenicorum.*
(d) *Sic linguam nimirum invidam appellat ille,* Σίαλος ὑψιπέτης.

His

His datur, his limen, Princeps, insistere detur,
Laurigeramque inferre tuis penetralibus artem.
Sim comes; at subeam ponè, exteriorque salutem.
Non audet tantæ coràm se credere luci
Musa rudis, cui rura suum allevere pudorem.
Quisque pudens timet. Ipsa simul jam decolor annis
Obsolet emeritis, toto cui vertice canam
Ætasque, & labor, & curæ sparsere senectam.
Quin & bis denos clausit modò Cynthius orbes,
Et senium, & curas æqua dimensus habena,
Cùm mentis mihi Pieriæ deferbuit ardor,
Seque oblita sitis solitos accedere fontes
Desiit. Ex illo, (*a*) Causæ melioris hebebat
Ut primùm languens acies, me rura tenebant,
Damœtas inter, plenos & ruris Iolas,
Servantem sylvas, & tesqua inhonora colentem.
Læsa dolent. & Parnasso sua fortè querelis
(Ignoscenda quidem) nimis est acclinis egestas.
Hic propriis ego, nec Patriæ communibus idem
Aggemui minùs, amota testudine, curis.
Ad salicem appensa testudine, missa Thalia est,
Et choreæ, quibus accinuit festivior ætas,
Thespiadum reliquæ; de Pierioque caballo,
Quàm (*b*) lachrymæ exilis quos elicit ungula rores
Nonnunquam, superest aliud nihil. (*c*) Umbra superbi
Nominis apparet quædam. Laudatur; at alget. (unus
Id modò propositum est unum, ut, licèt agminis *Propositio.*
Extremi, sanguisque, ut dicitur, e grege mutus,
Cyrrhæ municipes saltem inter, & extima Clivi
Per juga succlamem, VIVAT REX. Consona voto
Candida vox, non fusca meo. Prô, quis mihi vocem,
Mæonii vocem lateris det habere, meique

(a) *Regiæ viz. prævalente jam parte adversa.*
(b) *Carmen sc. aliquod tristius, ut occasio fert.*
(c) *Nomen, quod superest, a Caballo, vocabulo illo tumido, deductum, ecquodnam porrò istud est?*

Ad numeros voti? Libyam, sitientis & Austri
Illa domos, Boreæ gelidas & personet arces,
Hesperiique, & Mygdonii loca dissita mundi.
Audiat, assensuque per atria lucida vocem
Ingeminet coelum, VIVAT REX: ille paterno,
Et patrio, & proprio surgens e funere Phœnix,
Gentium amor, Patriæ tutela, Propaginis aureæ
Læta bono nos e coelo spectantis imago.

Æquum est, ut damna præteritorum annorum compenset dehinc Vita Principis longior, & felicior.

Hactenus aut rigidi Chalybes, feritasve luporum
Ductilis in Fati stamen, silicesve Gelonæ
Materiam fuso, ducendaque pensa dederunt.
Prima nuces cum prætexta quæ porrigit ætas
Et faciles habuit filis e mollibus annos,
Æquævosque annis fati alludentis amores:
Donorum illa rudis tamen, imprudensque suorum.
His ubi succrevit robur, pueritia quamvis
Cum bulla vix dum Laribus transmissa pependit,
Heu facies rerum extemplo quam ferrea visa est
Incurrisse oculis, flexumque ætatis egenæ
In primum vis curarum transversa ruisse!
An vos arguerim, Superi? num sidera læsa
Censuerim? Sedet hæc Superis immota voluntas,
Ut, quem magna manent, explorent magna: nitescat
Et tyrocinii vario ceromate Virtus,
Quæ laudi nata est: rerum illa in pulvere multo
Versanda, & sole a multo ductura colorem.
Te quoque, ut esse, quod es, posses, quem grandia finxit
Ad merita exortis palmæ supremus Aliptes,
Esse tui testem fateor decuisse. probandæ
Dura rudimenta, & certamina cruda palæstræ
Debebantur: erat tentandum his ignibus aurum,
Ex quo nimirum mox essent secula genti
Aurea procudenda tuæ. Nunc orbita rerum
Vertitur, & facies subit altera. Damna prioris
Fortunæ, & frontem aversam, rugasque juventæ
Ut pensent læti soles, annusque repexo
Venturæ lucis radio productior, æquum est.

Et

Et quoniam esse Deas fama est Heliconia, Parcas
Nomine, lanificas, fusi vertigine sacra
Quæ statuunt nobis in vellere ferrea jura,
His ne commoveam bilem, libare Fluenti (est?
Quis laticem modicum vetet, & prensare quod usquam
Ergo Deas supplex affabere, Musa, superbas?
Ambiri affatu blando, & prece supplice Numen
Austerum petit. Annuerint modò, multa tabella
Pendebit templo; & Lachesis, quod odoret, habebit.
Deducant pensum dices ut pollice lento?
Hærere ex illo dices nos, nostraque filo?
Multa colo veniant ut vellera? multaque migret
In fusum colus? & damnis cùm coeperit hujus
Ille tumere, novo dices dispendia sumptu
Suppleat e calatho manus impigra? staminaque addat
Vel mea, si qua lucri spes emicat inde, clienti
Stamina subducenda tuo? Sed bruma peredit
Lanam multa meam, & traxerunt pensa rigorem
E ferro multum. Dices, geniale Juventæ
Ver ut depectant potiùs, byssique recentis
Delicias, tenera Euterpes quas insula mittit?
Fila nec inde mihi tantùm pete. Sidera siquid
Riserunt, siquid Phryxeo e tergore carpit
Phoebus, ubi Veris currus in pascua ducit,
Immittant filo dices? Procul illa maligno
E tribus illa soror cum forfice: torpeat illa
Jam Majestatis pridem rea dextera (a) læsæ.
Ludo parce, Camoena. Vide quo turbine coelum
Supremus Vertex agitet, Fusique volucrem,
Quo Vitæ fila, & Voti præsagia nostri
Torquentur, motum esse puta. Quo Præside coelum
Volvitur, omnem illi Fusum committe. Futuri
Instruit ille colos, & pensa recolligit ævi.
Et modò flecte aliò. Mortis qui vendicet annos *Mors certa.*
Immunes, atque imperium fatale recuset,

(a) *In Carolo primo perempto.*

Nemo

Nemo ſit. Æterna pendentem ex Arbore vitam
Non opis eſt noſtræ contingere. *flammeus* arcet
Excubitor, telique minax *verſatilis* ira.
Debemur morti, qui naſcimur; ex uteroque
Addicti dominæ nomen tranſcribimus urnæ.

Mortis certæ tres cauſæ præcipuæ.

Quæ mortem efficiunt certam, ſunt multa. Vel ipſo
Cauſa tibi prima eſt a corpore. Nonne vides, ut
Principia ingenuit maſſæ diverſa Prometheus
Corporeæ, quæ continuis, certamine cæco,
Inteſtinum odiis ſtudia in contraria Martem
Exacuunt? Socia illa quidem, hoſpitibuſque Penates
Confuſi, tamen æternas diſcordibus armis
Exercent inimicitias, & vulnere ſemper
Civili perimunt, pereuntque. Hinc aſpice, Partis
Fulturam alterius, primævam in corpore Partem;
Materiam appellant, qui cudunt nomina, *primam.*
Illa novos, jam jamque novos, diſcrimine nullo,
Sollicitat thalamos, tedæque oblita prioris
Innumeras ambit non æqua in fœdera Formas,
Mox alios, & mox alios meditans Hymenæos.
Hoſpitis occurſu alterius, dum tædet amorum
Inſtabiles animos veterum, prior interit hoſpes.
Interitus una hæc omnis perhibetur origo.
Præcipuam te ſacra tamen docet exedra cauſam.
Peccatum Mors ex pacto manet. (*a*) Icimus. omnis
Conditionem adiit Natura: ſpopondimus omnes.
Inde, ubi perfidiæ ſub Malo ſemina fovi,
Exequiis tuba continuò, pompæque futuræ
Præcinuit. Manes, cinereſque indixit, & urnas,
Legemque, injecto tabulis (*b*) ter pulvere, ſanxit
Æternam Prætor. Canit importuna volucris
Inferias, Hortique ululant ad limina Diræ.
Vixit avus, ſeri vivunt hac lege nepotes.

(a) *Huc ſpectat, quod de ære, æneaque libra Caius l.* 1. *Inſtit.* (b) *Alluſum ad morem in funereis uſitatum.* Injecto ter pulvere curras. *Horat.*

Et

Et quamvis meritorum alis subvecta tuorum
Fama tuum portat super æthera, Carole, nomen:
Quamvis densa fores incingunt arma, tuumque
Terra equitem tremit, & Neptunia marmora Tiphyn:
Amne sinus quamvis illabitur Hesperis aureo
Unda tuos, & Gange, (*a*) tuo modò, gemmeus exis:
Pulvis es. Et Titulos, & Opes, & Prælia pulvis
Excipit. Extrema est in pulvere linea rerum.

Certa suas Mors sub leges vocat omnia. Vitæ
Nec ratio est incerta meæ minùs. Omnibus usu,
Mancipii ritu nulli data vita. Nivoso
Vertice præterito, viridem Mors sæpe juventam
Insequitur: sæpe enervis cervicibus, & quas
Devovit telo Morbus, festiva pepercit,
Florentes aggressa. Ithacæ nunc illa genistis,
Nunc Libano falcem ambiguam, & frondentibus infert
Phæacum sylvis. Ut cuique fit obvia, tondet
Nunc humilem, nunc regalem Proserpina crinem.

Vita incerta.

Musa sile. ingentem renovas incauta dolorem.
Nam subit, hunc reduci quàm nuper inhospita ludum
Insultans Aulæ Dea luserit. Advena fratres
Invisit soror. at venit (trahe carbasa Nauta)
Non reditura. O virginibus deflenda Batavis,
Nympha Britannine, & multùm deflenda Britannis,
Et Regum soror, & soboles, & regia mater!

Hic mentio incidit de Maria Arausionensi. In Angliam veniens e Batavia Fatres reduces invisum moritur.

Et tabulis te regalem fatalibus addit
Mors incerta sui testem: fatumque refiget,
Glocestri, vis nulla tuum. Fraterna Sororem
Teda præit; lenti Fratrem sed ponè sequuntur
Luctus, & trahitur curarum in longius ordo.
Pulla mihi mens exuitur cum veste? recessit
Ex oculis, non ex animo. Sed figere certos
Mœrori decuit fines. Et fortè sagacem
Quæ lachrymis salis inspersit Natura saporem,

Item de Henrico Duce Glocestrio, e tribus fratribus uno, paulò antè mortuo.

(a) *Ex conventis nuptialibus, quibus cessit sub ditionem Britannicam pars ibidem aliqua Indiæ Orientalis.*

Ut saperent, eadem monuit. Sapuisse licebit,
Cui doluisse parum satis est. Proba lachryma tardè
Aruit. Et quædam, perhibent, est flere voluptas.
Parca magis nulla est, minùs invidiosa voluptas,
E lachrymis quàm quæ trahitur, gaudetque dolendo.
O bene, si, fueras quàm felix indolis, ævi
Tam fueras felix. Meritis qui præterit annos,
Incusatque moræ, sibi destinat arbitra cano
Parca senem in puero. Profugo dant extera mitem
Tecta Larem: reduci limen natale pheretrum.
Est aliquid pressisse oculos, & frigida saltem
Oscula sic (a) positi repetisse. Suprema manebat
In fatis si perverso tam funere præceps,
Nec votis inhibenda dies, qui spiritus esset
Henrico supèr, extremum legisse decebat
Ore pio Patriam, dederat quæ provida primum.
Ereptum nobis querimur? Sua dona reposcunt,
Indignisque diu Superi permittere terris,
Quæ maturavere, negant. Si fabula nobis
Vivitur, haud melior semper, quæ longior exit.
Anglia, parte sui quanta minor! unica gentis
Spes non illa quidem, tamen e tribus occidit una.
Dives virtutum, patriorum dives amorum,
Laudum dives, inops (sic Dii voluere) dierum.
Sic voluere? novo ut tantus redeuntia fluctu
Gaudia inundaret dolor? ut crudesceret ictu
Irritanda novo propè jam coitura cicatrix?
Ut sidus, quod natali regione refixum
Errore ignotos longo peragraverat orbes,
Cœlo deinde recens patrio, sphæræque receptum
Axe suæ, statione iterum pejora moverent
Imperia, exilii æterni missura sub umbras?
Quid vitæ flore in primo spem divitis ævi
Ostendisse juvat tantam, si flebile germen,

(a) *Vocabulum funebre apud veteres, ut apud Virg. de Anchise, & Pallante.*

(a) Funeribus

(*a*) Funeribus tantùm ornandis, tumuloque futurum
Spargendo decus, ante diem malè ſedulus unguis
Demetat? Egregium juvenem quid fervida refert
Tot vada Fortunæ ſuperaſſe, quid ariete portum
Votivo rubuiſſe, Noto inſultaſſe coronas,
Suſpendiſſe pium Galateæ in littore veſtem,
Servato ex undis maneat ſi naufraga terra?
Siſte. polo Phlegram indixi. bellaſſe Typhœos
Hoc erat, æternæ Mentis moviſſe receſſus.
Sic voluère? ſat eſt voluiſſe. His certa voluntas
Hæc ſedet, incerto rerum ut diſcrimine verſent,
Quicquid obit ſemper ſibi diſpar orbita, Lunæ.
Atque hìc (ne tenues pigeat divertere mentem
Ad caſus) meminiſſe libet, cùm regius olim
(Sex illi brumæ, vix ſeptima fluxerat æſtas)
Chelſæi curru ſublimis in æquora campi
Ferret iter puer, & placidè aſpirantibus auris
Occiduam in lucem, cælo frueretur aprico:
Ecce novi tranſverſa fremunt ab Iapyge nimbi,
Incumbitque ſolo Caurus ſpirantior: & mox
Pulverea in cumulos ſubvolvitur undique nubes,
Inſurgunt tenebræ campo magis, & magis ater
Aggeritur turbo. Deſcenditur. ocyùs omnes
Vicini greſſum advertunt ad (*b*) littoris oram.
Hìc, ut erat ramis, & ceſpite fultus odoro,
Prætereunt properæ per cærula fervida cymbæ.
Cymba volat: ſociis nec deeſt ſua lintribus ala.
Tonſæ addunt animos. adductis crebra lacertis
Palmula plaudit aquas, alacrique celeuſmate remex
Prima novum e tranſtris in vota vocat (*c*) Melicertam.
Clivoſæ ille ſupèr recubans in margine ripæ

(a) *Alluſum hìc, circa ætatis hoc teneræ, ſpeique optimæ germen ante diem decerptum, ad conſuetudinem veterum accumulandi tumulos, ſeu animas puerorum floribus, ut apud Virg. Æneid. 6.*

(b) *Ad ripam Thamiſis.* (c) *Ducem* ſc. *Glocestrium.*

Despectat celeres immoto lumine fluctus:
Seque undis jam tum solers agnovit in illis.
Namque videbat, uti spatioso pronus in alveo,
Undosoque sinu per ripas impiger amnis
Ferretur cursu denso, seque humida moles (tem,
Usquè premens, præeuntem urgens, fugiensque sequen-
Cedensque, incumbensque sibi declive per æquor
Ad gremium commune revolveret agmen anhelum.
Respectans inde ad comites, Me fluminis hujus
Me signat præceps, inquit, fuga. Pectore cedunt
Injussi gemitus, suffusaque lumina rorant.
Hoc distant uno Thamisi mea tempora. prono
Ille ubi paulisper defluxerit amne, supino
Tramite flectit iter, tumidoque refunditur æstu.
Cursus ut exigitur meus, irremeabilis esto.
Limes & est forsan non longè dissitus annis
Ille meis. Absiste puer. mala verba procellæ
In vacuum vertant, in nubes irrita venti.
Debita erant ventis; at fluxa loquentis ab ore
Eripuit Deus, & fatis adamante revinxit.
Ergo, Puer miserande, tuis cùm læta redirent,
Invidere, face aversa, tibi sidera. Nobis,
Te nobis inviderunt. Sed rumpere (a) nodum,
Quem triplici tanta implicuit concordia nexu,
Non nisi (b) falce minax, cœlove indignius Astrum
Debuit. At Superis, credo, nimis Anglia felix
Visa malum pœnis necdum commune piasset,
Tu nisi vere tuo steteras redimitus ad aras.
Complesset paucas tenuis modò si mora lunas,
Lætitiæ testis fraternæ, & nuncius isses

(a) *Trium scilicet Fratrum.*

(b) *Saturnus olim cœlo pulsus. Causa ea stella vulgò habita Exanthematum pituitosorum: quo morbo Princeps interiit ante solennem inaugurationem, seu coronationem fratris: quæ nimirum peragebatur Anno 1661. Mense April. die 23.*

Sollicito

Sollicito (*a*) Genitori. Illi caſtiſſima gentis
Narraſſes ſtudia, extinctæque piacula noxæ:
In populo patriam, in nato rediiſſe parentem.
Narraſſes dignam ſole, auſpiciiſque decori
Sideris (O pulchro lucis genitore propago
Pulchrior!) affulſiſſe diem, qua vertice fulvo
Imperium ſedit triplex, & amabile pondus
Appreſſit tota feſtiva Britannia dextra.
Narrantem cœtu quanto, quàm limina circùm
Stipaſſent fremitu proceres (*b*) prætoria læto,
Heroum genus, Heroumque in nomen ituri,
Pro patria vitam qui projecere, ſacramque
Purpureæ ſparſere animæ libamine cauſam!
Caſte vale interea Juvenis, longùmque valebis.
Non alio ſanè decorem te funere, quàm quod
Inſtruxere tuorum amor, interceptaque vota,
Virtuteſque tuæ. Qualis roſa, candida qualis,
Seu rubra, (gentilem ſpirans viret utraque famam)
Quam Cypris ante alios Floræ dilexit honores,
Stricta noti pennâ æſtivi, fluxoque ſoluta
Vertice, decidua in ſeſe, in gremioque ſepulta
Ipſa ſuo, fruitur nativo funere: talis
Ipſe quoque in te decumbes, roſeoſque jacebis
Inter, quos tua fama tibi diffudit, odores.
Quæ reddunt vitam incertam ſunt plurima. Vati *
Adde gradum comes, & mecum interiora recede
In Vitæ ſpatia. Objicitur via prima tuenti
Indiſcreta, ducemque petens iter. Inde videri
Poſcet opus, laudari opifex. Viden'? Ecce potentis
Imperii, quinis inſtructam ſenſibus, arcem,
(*d*) Sedem Animæ dictam. Solio ſubnixa frequentem

**Vitæ incertæ rationes varias dant etiam multa in corpore humano.*

Caput: ſedes ſpirituum animalium. Hi ſi effluant, ſeu per medullam ſpinalem obſtruatur illis aditus, vita continuò labat.

(a) *Carolo primo, jam antè ſublato.*
(b) *Patris videlicet extincti.*
(c) *Pertinet utraque ad familiam regiam: Rubra Lancaſtrenſis, Candida Eboracenſis.*
(d) *Sic ſecundum Platonicos.*

Illa regit populum, legumque in fœdera miſcet.
Hìc (a) animæ graciles illæ, vitæque volucres
Ingeniis fervent primis. exinde benigno
Nervorum ductu, fœtu gliſcente, per artus
Diffugiunt, gentemque agitat vis ignea totam.
Inſtabiles certo teneant quæ vincula nodo?
Hæ ſimul effluxere, ſatiſcimus: omnis & unà
Vita fluit, tenueſque vigor concedit in àuras.
Implicat hinc nervorum apices teſtudinis arcu
Convexæ in ſummo *Meninx:* hinc tortilis ambit
Ventriculorum oras ſeries; tum nexile caſſes
Laxat *Retis* opus, properi queis Sanguinis hæret
Intercepta errore ſuo fuga, *Spirituumque*
Progeniem incluſam mora nutrit, idonea donec
Principiis animos teneris ſufficerit ætas.
Devexam inde vides Cerebri ad confinia maſſam?
Spinalem ludi vulgò dixere *medullam*
Pæonii. Stipata fibras quàm vertebra denſas
Colligit! His partes Motuſque, & Senſus in omnes,
Et virtus animæ ſpirabilis, & teres aura
Funditur. At pateant aditus. Obduntur? in artus
Irrepſit Mors: & labefacta repentè ſilentem
Vita dat, infeſto ceu (b) ſidere tacta, ruïnam.
Quo tu cunque aciem converteris, undique fibris
Objicitur cæcis textus labor: undique nervos,
Et venas premit indeprenſus, & invius error.
Vita cave. Fati furtis accommoda fines
Multa tuos intra cerno loca. lumina mille
Quis tibi, mille tibi excubias accommodet Argus?

Cor; *ſpirituum vitalium, & caloris ſedes.* *Hic ſi nimis efferveſcat, vitæ periculum pariter eſt.*

Cor hinc digreſſum excipiet. notiſſima Vitæ
Regia: prætulerim reliquis quam ſedibus unam.
Huic & opum, decorumque, & famæ credita ſumma eſt.
Hæc, ſi quando recluduntur fatalia belli

(a) *Spiritus animales.*

(b) *Apoplexiam hanc, quæ venit ab interceptione ſpirituum animalium, ſiderationem aliqui vocant.*

Limina

Limina, vitalesque lacessunt classica fines,
Perfugium extremum, & rebus fiducia fessis.
Hic illa, ignivomis quam sustulit axibus olim
Iapeto satus, ætheteæ pars optima prædæ
In penetrali adyto posita est. At si qua sororum
Intemeratarum, canæ comes addita Vestæ,
Assidet huic etiam pernox antistita flammæ,
Pervigil esto. hac incolumi res salva: perimus
Extincta. Quid ais? Vitæ usqueadeone propinquo
Nullus ab Igne timor? Genitalia quatuor inter
Corpora, tam fines ultra Telluris, & Undæ,
Aereasque domos, habitat cur extimus Ignis,
Usque a nostro longissimus? An quia nusquam
Illi tuta fides? Certè nascentis ab ævi
Exortu, seclis volventibus, affore tempus
Præsensit Natura sagax, cùm tota laborans
Eximii moles operis considet in ignes:
Circumfuso ingens porrecta sub æthere moles
In cinerum cumulos abitura, levemque favillam.
Hoc metuens nostris longè submovit ab oris
Pestem indignantem. hinc nocturnos lambere currus
Jussa, relegatamque facem submittere Lunæ.
Luna cave. petit alta superbia. flamma superba est.
Visceribus Vitæ in mediis tam fervidus hospes
Hæserit? At nutrimentis incendia fomes
Admotus nimiis si paverit, hei mihi, flammæ
Nonne Veseva minùs, quàm quæ mea, viscera torrent?
Perge. viæ fax prælucet. Circumspice, quanto
Concursu Cordis subeat conclavia Sanguis.
In vultu rubor; at quali conchylia lanam
Ambigua, & primo Sidon infecit aheno;
Qualis, ubi vixdum stratis excita seniles
Sub lucem erubuit thalamos Tithonia primam:
Et jejunus adhuc, & discolor. inde ubi fumos
In graciles vitium exudans excoxerit ardor,
Fulgor inardescit novus, imbuiturque renidens
Uberiore anima, coccoque simillimus humor.

Sanguis: vehiculum spirituum vitalium.

Jamque

De circulatione hac post Harvæum, Medicum nostratem, alii modò fusè.

Jamque viæ accinctus patulæ ſuccedit *Aortæ*,
Primum ingreſſus iter. pergentem tramite recto
Deducunt medium Natæ, multæque ſalutis
Affatu tradit citimis *Arteria* Venis.
Panditur inde ſinu lato *Cava*. Cordis in illo
Flos, & amor, Vitæque opulentia navigat alveo.
Dicta *Chilis*: (Matrem Venæ dixere minores)
Dignanda *(a)* Eridani fatis, aſſunderet illi
Styx niſi ſæpe ſuam nebuloſo e ſplene paludem.
Hinc ubi diſceſſum, viden', ut *(b)* collegit, iterque
Corripuit ſpatia interior per proxima lævum?
Ad thalamum Cordis dextrum deflexit. at inde
Protinus obnitente propellitur hoſpes ab æſtu:
Quàque *Arteria* per bibulos *venoſa* meatus
Spargitur, Æolias *Pulmonum* appellit ad oras.
Siſte. via forſan feſſos levet aura. faventes
Crebreſcunt animæ. Vicinis ignibus afflat
Quàm tempeſtivum plaga pulmonaria frigus!
Pulmo tumet gravidus, tum detumet: impiger auras
Concipiens auras enititur. Obvia ſi qua
Vis animæ portas oppreſſerit, æſtuat intus
Confligens regio ventis, & non niſi turbo eſt.
Cernis, ut interea toto Pulmone viator
Purpureus flexus varios init, ambiguoque
Occurrens ſibi circuitu, *Nervoque* receptus
Venoſo tractus iterum, & penetralia Cordis
Læva ſubit, nota rurſum condendus *Aorta*?
Hìc virtus rerum eſt, & quicquid Vita decoro
Spirituum in cenſu numerat, congeſtaque gaza,
Herme, tuo, Pactole, tuo pretioſior auro.
Haud ego, ſi facilis verbo indulgentia detur,
Vitalis Fiſcum regni dixiſſe verebor.
Et jam curatus Sanguis, multaque ſuperbus
Vectura vitæ ſubductas corporis oras

(a) *Fluvii relati inter ſidera.*
(b) *Dictum a nautis arma colligentibus.*

Inviſurus

Invisurus abit. Ledeo naviget astro,
A puppi surgente noto; comitentur euntem
Cymbiaque, & pecudes niveæ, pennæque secundæ.
Tuque adeo, ingenii dives, cui scilicet anguis
Infanti, ut perhibent, cunas, Epidaurius anguis
(Non alium reor) e cœlo demissus, amico
Ambiit allapsu, & vagitibus æmula primis
Innocuùm assonuere jocosæ sibila linguæ:
Quemque modò æthereos inter Latonius ignes
Excepit pater, amplexuque Ophiucus inhærens
Vincula spirarum collo dat squamea circùm,
Huc ades, Harveie: & facilem da sidere cursum
Conspicuo, medicæ pars O pulcherrima famæ:
Seque suas artes discat Natura doceri.
Eodem, Harveie, tuæ decurrunt tramite laudes,
Semper inoffensæ, & famæ quem nulla prioris
Hactenus arte Machaonia tentaverat ætas.
Auspice te, hoc inceptat iter, te Præside, cœptum
Pergit Sanguis iter; cùmque oræ, te Duce, fines
Legerit extremæ, partesque invexerit æquam
Annonæ mercem, cursum permensus, ad omnes,
Inde, omni facto pede, te revocante, Penates
Ad primos remeat, sumptu de more refecto
Ut solvat novus, æternumque recurrat in orbem.
Gressum inhibe fessum, Princeps. provincia fessis
Cætera vix aditu facilis. Subsistimus? & jam
Tædet, credo, moræ: in tenuique operosus, & oti
Nec parcus videor, nec inops. Ut (a) cerite plectar?
Haud equidem, te præsertim censore, recusem.
Parce manu. culpæ venia est. At respice, quantæ
Sanguinis hanc Vitæque viam, & discrimine quanto
Obsideant pestes. hinc lento frigore tabes,
Ingeniis illinc discordibus utraque bilis,
Inde gravis cœli morbo vapor, halitus inde
E fibra sacer, & virus penetrabile, quali

Sanguinis tamen hoc iter sua pariter discrimina obsident.

(a) *Cerites tabulas* ceritem ceram *vocat Horatius.*

Pocula

Pocula non infecit Atrax, non Theſſala mater.

De Symptomatis, quæ accidunt, certiores nos facit Arteria.

Una ſtat ad fines monitrix Arteria. quo res
Summa loco, doctus monitricem conſulit index.
Æquato micat in numerum, & ſibi redditur ictu?
Salvè. Subſultu vario ſibi diſſidet? hæret?
Intercurrit? habes. (a) *Myurum* porrigit? ægro
Increſcit timor, & medicæ qui ſupplicet herbæ.
Tardior intermittenti mora? ſuggere ceras
Extremas, puer. An *capreæ*? *formica*? ſub ictu
Falcis es. hunc exire tamen datur. Ecquis at ille
Undoſæ tremor infelix? ad tranſtra, ſudemque
Portitor, armeturque novæ ſcapha ſutilis Umbræ.
An morbos memorem? an numerum ſubducere tentem?
Tam numerem, quot Pleïadum ſub ſidere fluctus
Ex alto reſoni volvant ad littora Cauri.
Vita ſuis frondet foliis, ut frondea ſylva eſt.
Hanc quatit Autumnus ventis, Mors febribus illam.
Sylvam ipſe Autumnus foliis an pluribus, idem
An Vitam ſpoliet noſtram, *ſub judice lis eſt.*
Hìc, Morti quot ſint aditus, tum copia Vitæ
Quantula ſubſidii, ſi mente pependeris æqua,
Certa cui lux hæc præſens, cui craſtina certa eſt?
In lunam cui certa fides extenta ſequentem?

Neque tollunt hanc incertitudinem artes medicæ.

Ecce tibi in foribus Podalirius atque Melampus,
Gens Epidauria, Phœbigenæ, gens (b) addita Parcis,
Cum tripode oſtentans artem, numenque paterno.
Nimirum in ſoles hi vitam ducere ſeros
Dant tibi. continuò Tegeæi e caulibus horti,

(a) Μύουρος *a medicis motus ſic dictus a muris cauda, quæ ſenſim uſque ad apicem minuitur. υ ante vocalem in antepenultimis in his tantùm producitur:* μυελὸς, πύελος, πυετία, ὑετὸς, αἰσυήτης, μύουρος, μυοδόχος, ἐνυάλιος. *in cæteris omnibus corripitur, quantùm memini.*

(b) *Oppoſita, ut illud e Virg.*
Et Teucris addita Juno.

Et frutice ignoto Neleïa pullulat ætas.
Nestora tu vives totum, a cornicibus alter.
Adsunt, fatalem quinto qui (*a*) Melle retundant
Forficis importuni aciem. His Hermetica nomen
Ara facit, Liquidique auri sacra vena, Latexque
Flammeus e mediæ concha cogendus Erythræ:
Virus Echidnæ aliis, Magneticus humor, Aliptæ
Ora politura senii, rugamque secundam.
Fallant hæc si fortè fidem, demittitur Astrum
E cœlo, radioque nomismata simplice fingens
Sideream in terris dat (*b*) Talismanica vitam.
Carminis O vis Pæonii! Quid? & æthera (*c*) certum
Carmen habet? Terræ quovis e germine Parcam
Herba domat, pretii quam luteus irriget imber.
Vilia mi placeant, donumque salutis inemptæ;
Inque diem, quæ mox aderit suprema, trientem
Pollincto liceat curtum, Cymbæque reservem.
Vos ego, cognatum genus, & quos Cynthius autor
Occultas adytis e nobilioribus artes,
Communis Deus, edocuit, nec falsa (*d*) Coronis
Substituit, non incusem. Nos ut sinat esse
Mortales, vos æternat Medicina. Potentes
Agnosco, (*e*) diasque manus exosculor. at quas
Omnia posse velim nullus, quia posse videntur.

(a) *De nominibus medicamentorum similium Renat. Moreau ad scholam Salernit.* p. 14. *ubi adducit Artesium quendam gloriantem se illorum ope* 1025 *annos vixisse, atque id genus alia.*

(b) *De arte Talismanica videri poterit Gaffarel in suis Curiosis.*

(c) An habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum? *hoc est, ad nutum sibi obsequentem. Lucanus.*

(d) *Alluditur ad Nympham, ex qua Apollo fertur genuisse Esculapium*

(e) Θεῶ χεῖρες. *sic appellati.*

Denique hæc incertitudo oritur a variis casibus.

Sit sanè, sic annuerint si Numina, Pæon
Omnipotens. veniant illi sub jura Podagræ,
Calculus, & Phthisis, & tota cum pyxide Febris.
Casibus at rerum a subitis, jactuque (*a*) canino
Cui cautum satis? E Samio nos nomine gentem
Ducimus. hospitio fragili Figlina recepit.
Fictilis (*b*) illa taberna? patet. succede tabernæ.
Vasa situ video quædam obsita, candida quædam,
Passa rotam impune, e viridique recentia limo:
Nec vitium sonat icta fidelia. Sunt, quibus imâ
In caveâ sedes: aliis, e divite massa
Quæ finxit peregrina manus, subsellia prima,
Orchestramque dedit formæ præstantia cultæ:
Nec mensis olim, nec Diis ingrata secundis.
Dic, quæso te, si forsan conjeceris, horum
Ecquod frangetur primum? Frangetur, opinor,
Casus, ais, quod primum aliquis colliserit, aut quod
Ad terram casus primum dejecerit. At nos,
Figlinæque premant nostræ quot limina casus,
Quis, cedo, quis numero comprenderit? æthere casus
A supero, a terra, mediis est casus ab undis.
Non est a senio timor? a levioribus annis
Esse potest. præceps nimis in sua damna juventus.
Fulmina vitaris? Phlegræi tegula teli
Præstat sæpe vicem. Non læserit ursa Libystis,
Non te Marsus aper? Muscæ nocuere, suamque
Commodat & Vermi patrio Mors sæpe pharetram.

Vita omnibus chara: Mors nulli non injucunda.

Chara tibi lux hæc meritò, votisque tenenda
Hæc vitæ statio est, Anima mea. Nempe ubi cœlo
Reddideris modicam hanc usuram lucis, inanes
Ingressura viam in ventos, ubi castra moveri
Jusserit extremo Prætoria tessera signo,

(a) *Canis, Venus, senio, alea prona, sinistra, & cæt. in aleis.*

(b) *Suppono ingredi cum lectore officinam aliquam vasorum fictilium.*

Quò

Quò tendes? nitidum coeli non ampliùs axem,
Non solis jubar aspicies. linquendus avorum
Et focus, & quæ jam nullos habuisse feretur
Ara Deos, linques; & quas tibi copia rerum
Fecit amicitias, & quæ tibi gaudia fecit
Rerum spe præcepta quies. oblivia Lethes
Sed neque sola bibes: mox oblitura tuorum,
Mox obliviscenda tuis. In viscera Matris
Regreditur magnæ consors tuus: inque parentis
Amplexu misero absentem te respicit unam
Absens, & queritur non exaudisse vocatam,
Frigidus, & sensu, motuque, & lumine cassus.
Culta quidem exangui struitur domus: &, quia limo
E nitido veniens, & censum sanguine longo
Multa genus cera, & fumosa notabat imago,
Fortè suum tumulo decus additur, ossaque signat
Incisum Titulis veniens e Perside marmor.
O mendax lapis! hanc aliud non incolit aulam,
Quàm (vulgus mutum) Vermes, & Pulvis, & Umbra.
Se novat, aut reparat res quæque; suumque, superstes
Ipsa sibi, eludit funus. Titania, lucis
Noctivagæ præses, post ægra silentia Phoebe
Et redit, & rediens extinctos suscitat ignes;
Interit, & vasto sepelitur in æquore flumen,
Pòst iterum ut fluat; Autumnum populata comantem
Cedit hyems, coelo redeunte: Favonius annum
Restituit sibi, decussumque reponit honorem.
Tu, cùm decideris, Anima mea, nulla ruinas
Sarciet hora. tuos urget Mors integra manes,
Vita mihi chara est, mors injucunda. Sed hanc quis
Submoveat? seros illam quis mittat in annos?
Mens est, est coeli consistens vertice Numen,
Attingens rerum fines, impervia rerum
Principia æterno placitorum ex ordine ducens:
Fata cui, stellæque, volubile tempus, & annis
Nexa futurorum series, ævique propago,
Et rerum in varias abiens Natura figuras,

Mors & Vita sitæ in Dei potestate.

Causarumque altrix, effectorumque ministra,
Sub pedibus fluit. Ille movet mea tempora solus,
Temperat annorum sortes, momentaque librat
Vitæ cuncta meæ. In lucem, cùm jusserat ille,
Aurasque æthereas veni: cùm jusserit ille,
Decedam, æthereasque auras, lucemque relinquam.
Verto (*a*) solum, muto cœlum; trans æquora curro.
Cùm volet ille potens rerum arbiter, immigrat ægra
Sardinia in Tybur sanum, in mediamque recedit
Sardiniam Tybur. Certo stant ordine fines:
Ad quos me vel producit vel corripit, ævi
(*b*) Regula non violanda mei, divina voluntas.
Calco viam, incertus, Vitæne an Mortis eunti
Ignotum, variumque, & inextricabile trames
Monstrat iter. Tua non optem, Minoia virgo,
Fila: tuam implorem, vitæ suprema Potestas,
Incerto quæ cæca regat vestigia, dextram.

Pro vita Principis Votum.

Hunc saltem rebus Juvenem succurrere fessis
Ne prohibe. Satis e venis fluxisse memento,
Quo luimus pœnam: ex oculis, quo denique noxam
Eluimus, satis. Et veteris memor Anglia plagæ,
Et necdum siccata genas procumbit, & aræ
Poscit opem. Certè tellus e sanguine Regum
Nulla tot æthereis transmisit nomina fastis.
Quo peccet minùs, huic sese si proroget uni
Anglia, solamenque sibi: si nomine juris
Prætexat causam, & meritorum robore Votum
Armet. Erit, patrios olim cùm regia cœli
Accipiet Reges inter secura. Manebit
Grande moræ pretium. positum est in fœnore tempus.

Conjecturæ de Vita Principis a Deo intenta ex habitu corporis, & animi.

Haud equidem, quid penna velit, seu lingua volucrum,
Cum fatis seu quæ jactent commercia fibræ,
Interpres sim. Sidereis nec cœtibus ausim

(a) *Vertere solum non solius exilii causa dicimur.*

(b) *Ut libella explorat altitudines, norma angulos, sic regula longitudines. Jun. Nom.*

Inspecturam

Inspecturam inferre aciem, quo Principis ortus
Ad primos radium Genius legarit ab astro.
Nota minùs nulli domus est Tithonia, (*a*) Vitæ
Illa domus: cœli facies, arcanaque regna,
Quàm mihi, nota minùs nulli. Speculentur Oloris
Candentem plumam, surgentis & aurea tecum
Ora Jovis, Cepheique humerum, & talaria Persei,
Queis sapere est altum sapere. Imperiosior horæ
Natalis pars sitne Aries an Capra, laborem?
Nec Pecudem, nec Avem, nec Sidera consulo. Solum
Et Chaldæus, & Augur ego, nec vanus Haruspex,
Carole, te solum observem. præsagia solus,
Ominaque ipse tui dederis. Tibi corpus in artus
Eximios finxit Deus, adjecitque palæstræ,
Quem vel livor iniquus amet laudetque, nitorem,
Et speciem imperio dignam. (*b*) Cultissima vestis,
Sic animæ longævæ habeant, ut quærit haberi.
Et vires habiles, utendique addidit artem.
An favet alma valetudo? jam luminis oras
Ingresso & (*c*) Salve dixit Lucina, (*c*) Valeque.
Subrisere Deæ: &, quas moverat æmulus Humor,
Compositæ lites, &, cæsa non sine (*d*) porca,
Pugnaces iræ mansura in fœdera missæ.
Addita, discordes animi quæ temperet æstus,
Mira quies. Sua non solis est noxia labes
Corporibus: mala sunt animo sua, visceribusque
Ingenitæ pestes. dolor hinc, hinc improba surgunt
Gaudia, sollicitique metus, & dira cupido. (*e*)
Quæ suprà est animæ regio, tranquilla: quod infra est,

(a) Æ 12. *in oriente sita Horoscopus dicitur, Vitæ domus.*

(b) *Corpus indumentum animæ.* Vestis bona quærit haberi. *Ovid. Inde habitus.*

(c) *Mortuis dicebatur olim. Varro. Hìc contrà.*

(d) *Noxia qualitas in humoribus, semen intemper. Alluditurque ad illud:* Cæsa jungebant fœdera porca.

(e) *Quam noceant & corpori hi animi morbi, Galenus.*

Quàm

Quàm ſtudiis miſcet variis ignobile vulgus!
Sic alto Sinai recubans in vertice Moſes,
Otia cum Superis agitat cum pace ſilentis
Colloquii ; multa fervent dum Thyade caſtra
Interea, ſtreperæque volutant murmura valles:
Cymbalaque, & choreæ, & ſiſtris laudatus (a) Oſiris.
At cœlo quo progenitum, quem nulla laceſſat
Tempeſtas, hauſiſſe rear quo ſidere vitam
Indemnem? Certè ventos excedere fertur,
Parnaſſo ille tamen nimiùm (b) confinis, Olympus.
Non ſum animi dubius, quin, quæ mortalibus ægris
Obveniunt, & te, Princeps, mortalia tangant.
Sed tibi mens rerum prudens, quæque ardua menti
Præſidet aſtrorum placitis ſapientia major,
Pacis inæquales motus ad fræna vocare,
Teque tuum dedit eſſe. Virum, cùm finibus exul
Arcebare tuis, te ſæpius advena talem
Ad nos Fama tulit. Famæ primordia ſerpunt
Obſcurè, & ſurgunt modico de fomite faſtus
Exiles. Trepidam ſenſim ſe librat in alam,
In facileſque, metu primo vaga, nititur auras,
Tenuis adhuc, mentiſque anceps, atque inſcia pennæ.
Pòſt, ubi vis animis, humeroque protervia crevit,
Par (c) fratri ſoror, & jam dedignata (d) parentem
Filia, cæruleis caput ardua nubibus infert,
Et ventis avecta ferentibus, ocyor ipſa,
Quicquid ubique leve eſt prævertitur. Omnibus ora
Sub plumis, oculique ; oculis par excubat auris.
Centum aures, oculi centum. Par millibus una
(Ingentem exiguis affingens rebus honorem)
Lingua loquax ; Produntque vel ipſa ſilentia linguam.
Virtutum illa tamen fines ingreſſa tuarum
Conticuiſſe loquens viſa eſt. Compleverat aures

(a) *Sunt, qui vitulum aureum Oſirim putent.*
(b) *Ac proinde fabulis obnoxius.*
(c) *Encelado ſc. &c.* (d) *Terram.*

Non

Non modico certè sonitu præuncia nostras,
Utque tuos agili reditus præceperat ala,
Sic annos animis præsumere jusserat aureos.
Dixerat ingenio pulchrum, qualesque Minervæ
Duci olim nitido perhibent sub pollice mores.
Dixerat alloquio comem, tractabilis iræ,
Quàmque tui, tam rerum utinam, regnique potentem:
Adversis ut non minui, sic & neque lætis
Imperii rebus tumidum fore, quique timeri
Placatus posses, necnon iratus amari.
Dixerat extorrem patria nova regna potiri
In Regum dominantem animos, atque indolis aureæ
Hospitibus latè populis imponere morem.
Dixerat illa---Diem Famæ Præsentia dicet.
At litem ipsa sibi quoque fecerit. Officit idem
Carolus absenti præsens sibi. Fama fatetur
Laudes detrivisse, sui non parca, minoris
Sed culpa linguæ. Queritur sic Phosphorus astri
Præcedens radio de candidiore sequentis.
Sisto. rubet læsus pudor? elicuere pudori
Sanguinem, ut indociles Regum ad præconia, Musæ.
De cœlo servas Augur? Præsentius æther
Non dedit auspicium, Patriæ quàm pectora fidæ,
Quemque tui Numen populis insevit amorem.
Inde meis comitata volant, & in astra feruntur,
Ad Superûm accubitura fores, tot candida vota,
Quæ Pylium referant ævum tibi. Nos pius ad quæ
Instinxit Deus, an votis obsurduit idem,
Dona sua avertens, & ventis irrita donans?
* Fortè sui memorem Henrici, charæque Mariæ
Vicini sonitus fati, dubiumque propinquus
Terruit Ucalegon. Tibi, Carole, vixit uterque:
Vixit uterque, (a) suos ut Frater viveret annos.
Unum ego jurè subesse putem, præque omnibus unum,
Quod timeam, ne, quæ servant regalia curæ

Alia conjectura ab amore populorum.

** Neque timendum a Fato nuper nimis vicino.*

A curis, quippe quæ longævitati inimicæ, poterit esse timor.

(a) *Id est, Henrici & Mariæ juxta reg. reciproc.*

Limina,

Limina, purpureosque solent obsidere somnos, (tem
Te quoque multa moventem animo, nobisque timen-
Sollicitent. Non est, animæ præcordia carpat
Quod magis, & surdo labefactet verbere vitam.
Appellem virus? forsan medicabile. verùm
Sublapsæ ad venas ubi persedere, ubi fibris
Altiùs implicuere luem, lentique veneni
Vipeream nervis animam infudere, retusus
Mox vitæ stupuit calor, aruit humor, & atro
Exesæ tabo, culpa serpente, medullæ.
Ut mihi sit secura quies, tibi cura quietem
Eripit: ereptum Regem sibi sedula nobis
Elocat. Ad remos sic per juga libera fusus
Ut resides artus furetur nauta labori,
Ut sua vectori sint otia, somniferæque
Grata periclorum ducant oblivia noctes,
Ipse gubernaclo Rector suspensus inhæret,
Suspectans anceps pelagus, variumque tridentem.
Rectori noctem eripiunt hinc nubifer Hœdus
Exoriens, Hyadesque atræ, Arcturive cadentis
Impetus, hinc cautes, & semita cæca profundi,
Et fraudes brevium, & syrtes: dubiasque fatigant
Explorantem auras, Arctique arcana moventem.
Dormit prora: vigil proræ facit otia puppis.

Superest tamen modus illas temperandi.

Ergo tibi curâ, Princeps, ut pectora laxes,
Autor ego prudens fio, clavumque remittas,
Despondere fidem dextræ cui fœdera tanta?
Heu necdum mare, nec venti, nec sidera constant.
Sed neque tam jacet unda, quies languentis ut ipsa
Non tumeat, turbo exanimis non æquora tentet.
Ut solitam intendas curam? Nec pectus obarmat
Ferrea fibra, nec æs vincit præcordia triplex.
Continuò teneram compagem, & mollia solvet
Texta labor. Quid ago? Sine cura cura gerenda?
Cura tibi talis proponitur, haud secùs, ac si
Senio penderet cura & Venus omnis ab illa.
Parte alia Superûm in curis, & pectore totus

Sic

Sic habita, spem sic versent hi totius (a) orcæ,
Quasset ebur quasi nulla tuum sua tessera prona.
Cura sic dabitur tibi curam solvere. Mentes
Esse quoque aligeras memini, queis tradita fertur
Ætheris, & terræ custodia: credita gentis
Humanæ cura, & stadii retinacula nostri.
Jura polo dant, & terris data jura tuetur
Terra, gerit morem polus. Obluctatur habenæ
Humanum genus, imperio intractabile, nodi
Impatiens. (b) ori indomito sua surduit auris.
Hoc opus, hic labor. æternum tamen æqua tenorem
Mens colit, integræque labat pars nulla quietis.
Audior? inde tuæ petitur tibi regula curæ.
Fræna tenent. placidis pax incubat aurea frænis.
O Superis Vir dilectus, cui providus æther
Excubat, & vigiles pendent e nubibus ignes:
Sortesne eductas relegam? veterisne libebit
Pauca remetiri mecum vestigia fati?
Posthuma tristitiæ saltem hæc permissa voluptas,
Ut meminisse juvet. *Virgam* vidisse fatemur,
Sed placidè *vigilem.* Quot succeslere laborum
Inde vices, totidem, Superis quàm sit tua curæ
Vita futura, manet, credo, confessa tabellis,
Pignoribusque obstricta fides. Facunda Pronœæ
Lingua: sed auditor surdus. speciosa Pronœæ
Forma: sed inspector cæcus. Tibi sæpe videndam

Conjectura alia e præteritis argumentis circa Principem providentiæ divinæ.

(a) *Tubulus ille, quo alcatores utuntur. Pers. & Plin. appellant* orcam, *Martialis* ebur.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum cum cane quassat ebur.
De alea prona, cui opponitur sinistra, Venere, senione, & c. suprà. Licèt apud Martialem hic senionis jactus *accipiatur pro damnoso; habetur tamen plerumque pro fortunato.*
Hìc autem per tubulum illum alluditur ad machinas Providentiarum nostrarum, quæ Sap. c. 9. dicuntur incertæ.
(b) *Translatione ab equo, cui auris in ore. Horat.*

Se præbet, te sæpe docet Dea. cernis, & audis.
Quin age Mentis iter sublimius arripe, & amplos
Naturæ campos decurre. Quis ignibus illis
Astrorum in noctem crines redimivit, & auro
In lucem compsit soles? Quis tempora mensis
Annua tam classes æstumque & frigus in æquas
Digessit? Refluis volvuntur ab æstibus undæ.
Aggere quis sepsit furias? Elementa perennes
Exacuunt iræ. quis tela refutat, & ipsa
Ad pacis partes accedere prælia cogit?
Tollitur in currum Fortunæ mundus, & errant
Regna. rotæ cursum quis temperat? Est Dea, Mentis
Quæ speculam æternæ stabilis tenet. illius omnis
Illius imperium sequitur Natura, sequetur
Imperium. Illa sibi semper Dea consona, Rerum
Naturæque sedens in vertice, currere motu
Ad certas quàm composito jubet omnia metas!
Natales præit illa dies quoque: seclaque ducens
Temporis arcanis e fontibus, evocat annos
Inde tuos, intenta suis & destinat astris.
Illa minas fati fregit, secuitque malorum
Obstantes cuneos. An seriùs? Otia lusit
Impigra. neglexit Pugilem studiosa probandum.
Illa tuas speculata vias divortia calles
In certos compellebat, jurisque docebat
Fortunam non esse sui. Quot Sortis iniquæ
Fluctivagum per iter cæcos transmiseris æstus,
Si repetam, antè dies ruet, alipedemque remittet
Nota Meduseum serus sub pascua Vesper.

Fit mentio brevis prælii Vigorniensis, quo spes omnis Regiorum penitùs concidit.

Prima spei quæ diluxit, quæ summa Britannæ,
Sæpe dies menti subit illa. Rebellibus, olim
Anglia quas *(a)* dederat, vincique dolentibus Umbris
Insessos video montes, tetraque corona
Infectam lucem. Videt in sua viscera ferri

(a) *Temporibus olim Watte Tileri, & cæterorum veterum perduellium.*

Anglia

Anglia bellum uteri unius: ſuſpenſa nec horret
Armari pietas. Odiis concurritur æquis,
(Ferri par utrinque ſitis) non viribus. (*a*) Ipſe
Millibus in mediis Bellonæ Præſtes in armis
Horridus accendit Martem: furialiaque haurit
Succeſſu atque animis fervens præcordia faſtus,
Et rabies ſæva, imperiique infræna cupido.
Præcipitem in furias mentem, cæcamque futuri!
Hanc, eſto, (*b*) duplex inſignit adorea lucem.
Eſt tamen, eſt lucem ſua quæ circumvolet umbra.
Poſt aliquot, veniens quas demetet annus, ariſtas
Indignantem animam ſupremæ noctis ad umbras
(*c*) Hæc eadem ejectura dies, laurumque feroci
Decutiet capite, (*d*) & furias diſperget in Euros.
Interea propiùs patriæ per funera victor
Infert ſe campo, & formidine ſeptus equeſtri,
Sævo Marte tumens, & Martem ſævus anhelans,
Ad muros urget bellum. ſuccincta procellâ
Fulmineâ peditum agglomerat, quà proxima, nubes.
Apparet lethi facies teterrima. letho,
Diſcrimen fati parvum, prætenditur agger,
Heu, Cauſæ addicit litem Victoria fœdæ.
Æra tonant. Heu noſtratem quàm fulmina notum
Jamdudum per ſola Jovem! Gravis ingruit horror
Undique; crebreſcunt & confuſæ fremor urbis,
Fœmineuſque ululatus, & illætabile murmur
Cædentum utrinque ad portas, & utrinque cadentum.
Urbem O antiquam, & celebrem: pietatis avitæ,
Et priſcæ præſtantem animæ! quæ copia fandi
Explicet, innutrita odiis quid militis ira

(a) *Olivarus Cromwellus Dux.*

(b) *Dumbarrenſis, & anno proximo Vigornienſis, eodem die, tertio ſeptembris.*

(c) *Poſt aliquot annos mortuus eodem die.*

(d) *Tempus memorabile fecit horribilis & inuſitatus turbo ventorum.*

 Poſſit,

Possit, & indulgens iræ sine lege potestas?
Infelix una ante alias, Vigornia! Felix
O una ante alias! Uni tibi creditur ingens
Depositum. exortem ducent tua secula famam.
Occidis. invidiam casus movet. una potiris
Multarum voto. gremio complexa recentem
E Scotia, &, quantùm licuit, solata fovebas.
Occidis. Instabat summo cùm spiritus ori,
Eluctantem animam, fugientemque ipse legebat.
Spes reditus est. pelle metus: animæque vel ipsi
Invicti superent animi. Melioribus astris
Vita redux animam tibi reddet, & halitus alter.
Jamque, die labente, rotam festinus ad amnem
Hesperium Sol tendebat. Subit altera cura
Afflicti porta aversa subducere belli
Relliquias tenues. Et erat credenda sequestro
Alea (sic animo tibi sederat) altera campo.
Scilicet audenti pulchra, & se digna gerenti
Suppetias mittit Virtus. & sæpe reponit
Deciduam frondem capiti Victoria nudo.
Mox *(a)* aliter. Sic hinnitu cùm terruit auras
Flammifero insultans Pyroïs, & buccina quarta
Venturam cecinit roseo de culmine lucem,
Ilicet hìc propiùs spumis albescere fines,
Hostilemque diem properos efflare jugales
Prospiciens specula Pallantide Phosphorus effert
Ex alto signum. vigili statione cohortes
Sidereæ sensim cedunt. Ille arduus albo
Agmen claudit equo, & *statione novissimus exit.*
Phosphorus excedit. subit Hesperus. alter, & idem.
Te quoque mox *(b)* habitu, Princeps, & nomine mutas,
Et cœli regione tui. Decedit Eoum

(a) *Nam fugæ consilium visum opportunius. Quod proximè sequitur, inducitur solùm per modum similitudinis.*

(b) *Id est, tu mutas habitum, &c. dictio Horatiana.*

In

In noctem sidus. Quos inde cucurreris orbes,
Novimus. At fines habuit, quò curreret, error:
Devius ille tibi, non fatis. Inscia campi
Cæcutit Fortuna. regit vestigia Fatum.
Et fumum patrio similem, glebamque, Laresque
Terra pares omnis Sapienti præbet: ut Orbem,
Sic Patriam. At Regum exiliis natura laborat.
Quæ gregis est, eadem pastori patria sola est.
Excussum regno, nudum auxiliaribus armis
Ad cædem, inferias Umbris missura paternis,
Anglia te tua quærebat, fœcunda Luporum
Anglia. Pòst enantem undis te Gallia læto
Excepit materna sinu. Cognata subibas
Littora: sed qualis, pelago post condita vota,
(a) Qui laceros de puppe Deos, miseræque jacentem
In picta ostendit se tempestate tabellæ.
Hanc Belgis ostendebas quoque naufragus. illi
Fortunæ documentum ingens fovere: nec assis
Defuit. Et profugos habuisse Colonia Reges
Dicitur; & miseris novit succurrere. Vidit,
Et simul indoluit. Nec circumferre pudebat
Exangue imperium, tabulamque advolvere portis
Occidui solis. Spes inde nitescere visa est;
Fortunæ sed per nebulas mens credula qualem
Aut videt, aut vidisse putat, nec certa, nec expes.
Regius exul ades. reditu, votoque potimur
Incolumi. Casune venis duce? Qui duce casu
Utitur, utetur cæco duce. Te Deus ipse,
Ut scires, cui deberes tu solvere nomen,
In censu esse suo voluit. Quis tela sequentum
Elusit? Deus. Hospitio quis stravit arenam
Ignotam? Deus. Et solio quis pignus ademptum
Restituit? Deus: ille tuus. Circumspice, bello
Qui tanto fractum insidiis ferroque petebant,
Vulnifici mirmillones ubi sunt? ubi sunt, qui

Post cladem in Galliam se Princeps contulit, in Belgium, Coloniam, & demum in Hispaniam.

Incolumis redit.

Ubi sunt, qui quærebant animam ejus?

(a) *Juxta morem veterum naufragorum.*

Fervebant

Fervebant modò tanto æstu, nimbisque fremebant?
Effugit visum levis umbra, simillima somno,
Et noctis ludum species imitata volucrem.
Quod reliquum, submissa juba est. Te, seque fruuntur,
(Supplicii novitas!) intabescuntque fruendo.

Et Cromwellus ipse imprimis inter cæteros?

Et quoniam lustrare vacat, Cui lora, vicesque
Cui Fortuna suas, & campi regna remisit,
Ille potens armorum, idemque, tonantius ipso
Vel Jove numen, ubi est? juvat ire, locique reductas
Vestigare oculo sedes. (*a*) Aquilonis ad arces
Crediderim affectasse viam, aereoque recessu
Altivolas inter posuisse cubilia nubes.
Jamque adeo seu Dædaleæ mihi vincula ceræ
Nectere, seu potiùs Cyrrhæa valle vagantem
Pegason, Æolios suetum transmittere campos,
Ad frænos accire placet. Quò provehor? horret
Contemplari animus. (*b*) Libitinæ vindicis oram
Agnosco tristem, & Nemesis ferale trophæum.
Siste viator iter, mecumque addisce vereri
Justitiæ certum, & Sortis mutabile numen.
Quò cecidit? dominam præceps audacia sellam
Huic nuper dedit. huic sellam cinxere curulem
Vis, & opes circùm, & crudæ formidinis ora:
Non hominique datum per iter dedit ire libido.
Quò cecidit? Ferit astra indemni vertice nemo.
An, quia desedit lori rudis, & minor Hæres,
An, quia præcipiti radio sufflamina nulla,
An, quia diversos egit furor Automedontas,
An, quia perfidiam rota dedignata rebelles
Nunquam auditura est cæcæ ambitionis habenas,
Vindicias jam tum regno dicentibus astris,
Huc ruit ex alto miser? Est sine nomine truncum
Corpus: erit, sic astra jubent, sine nomine nomen.

(a) *Allusum ad tempestatem ortam sub illius mortem.*
(b) *Tiburnum, ubi cadaver suspensum, & post, truncato capite, defossum sub patibulo.*

Huc

Huc demum revoluta, hìc irrequieta quievit
Vis animi: admirandarum molimina rerum,
Prætervecta diem, & vestigia solis, & anni,
Hìc sedere. Animis operosa superbia summam
Hìc posuit tantis? (a) Ausis nova fabula magnis,
Fœdus ager, locus infamis. Sed furca (procaci
Parcendum verbo fuerat) vel sera latroni,
Expellas illam furca licèt, usquè recurret.
Et vidi viventem. Oetâ rediisse putabam
Alciden enixa novum Tirynthia secla.
Et vidi morientem. Illæ, quo turbine fœtam
Efflarit, quantamque animam, docuere procellæ.
Occidit, & Manes ingens externat imago.
Fors & pendentem tulerat vidisse. videbam,
Penderent heu quàm vario mortalia filo.
Et vidi tandem, necnon vidisse sepultum
In votis fuit. Invideas, Mausole, sepulto.
Pulchrum Heroi suo struit Anglia funus. Honori
Quæ struitur, quàm terra levis! Lustrate favillam
Funerei juvenes in equis, & versa (b) cruentet
Hasta solum, & mœstùm lituus canat, Assyriosque
Cum lachrymis, gens atra, tuis bibat urna liquores.
Busto te divellat amor non alter ab illo.
 Umbra silet. laudem insultare silentibus umbris
Non habet. Est saxi facilis jactura superbi,
Nomen ubi virtus exaggeret. Et sua Laudi
Squalenti caligo nitet. Quæ fragrat amomo
Fama suo, Syrio non indiget. Et tibi terra
Incubet haud onerosa, sacroque e pulvere surgant
Et calthæ, & violæ, per me licet. Ossibus ægris
Incumbunt proprii, & convellunt funera Manes,
Cumque suo canis & serpens & simia gallo.
Hoc saltem, infelix, casum solabere tristem.
Te digito plebs præteriens dignabitur. Hìc est,

(a) Magnis tamen excidit ausis. *de Phaethonte.*
(b) *Intincta scil. sanguine victimarum regiarum.*

Et forsan diceris, Hic est. Dissederat ausis
Si non causa tuis, meritis nec debita Memphis,
Nec Pugili sua defuerat memor (a) Artemis. Ingens
Famâ, dum res floruerant: ingentior armis.
Causam fama malam sequitur brevis. ardua nuper,
Nunc jacet; & tenuis superest vix sibilus auræ.
Occidis, & totus sepeliris. egere sepulchro
Teque, tuumque futura negent oblivia nomen.
Defossas agmen funebrius astrepet umbras,
In noctem exululans canis, incestæque volucres
(Pars animæ, Cromoelle, tuæ, nativaque pluma)
Corvus hians, milvusque rapax, & præfica bubo;
Perque recurrenti Nemesi sacra (b) tempora mittet
Inferias tibi Diva, parentabuntque sepultis
Manibus atratus Scinis, informisque Procrustes,
Teque tibi objicient. Sævum Babylone Leonem,
Funere qui mersit multo prædator Idumen,
Exultantem animis, fremituque immanè rudentem,
In caveam misere. Feram quoque cerno Britannam,
Cerno (c) jubam indigenam feralia sub juga missam,
Tiburno domitam fræno, in caveamque subactam.
Regum jura verenda time, fuge lora, viator,
Dextræ non permissa tuæ. Sua certa nocentem,
Clauda modò ut sistant, flectant modò devia fata,
Certa manent tamen, & certo pede crimina pulsant.
Ne redeat, nullus timeam. Expugnasse Tonanti
Enceladum satis haud erat. imposuisse perusto
Terrigenæ Ætnæam fama est post fulmina molem.
Encelados non sola vetus tulit: edidit ætas
Nostra suum, Phlegreque arsit nova. Pelion Ossæ,
Pelio Olympum audax simul involvebat, Olympo
Se, fastusque suos. Disjectas cernimus arces,
Aereasque minas. Monstro gens Sicana venit,

(a) *Artemisia, quæ viro Mausoleum condidit.*
(b) Sessions. *conventuum juridicorum latronibus suspendendis dies fatales.* (c) *Leo illi pro insignibus.*

Terra,

* Terra, tuo: sua nec deerat (u) Trinacria nostro.
Hic Bavium erubui, fateor, neque Mævius istis
A sannis aberat. Caveam hæc spectantia summam
Insulsæ sapuere salem convicia linguæ.
Qualis at ingenii spumas mereatur, habeto. (pem
Quæ veteres meditantem iras premat, haud ego ru-
Imprecer, Ætna, tuam. Jacet, æternùmque jacebit.
Et quî, prô coelum! prô numina sancta! resurget,
Quem scelerum tantorum urget chaos, atque mali vis,
Aggestæ strages morum, legumque ruinæ,
Avulsum Regi caput, & tria subruta regna,
Tanta per Europam bellorum funera, tantus
Restagnans cruor; incumbentis & orbis, & ævi
Quem venturi odia & diræ, Carolique prementis
Infra terrarum latebras, caveasque vel infra
Infernas cohibebit ineluctabile pondus?
Carole, ubi es? Vivis: Regnas. Premis aurea gentis
Lora tuæ: & plausæ sonitum cervicis amamus.
Vive, tuæque redux præsagia conjice vitæ,
Coelitum amor, nec cura minor. Persolvere grates,
Quas opis est nostræ, nostrum est. reddantur opimi
Castorum (b) vituli labiorum, victima pinguis,
Lustremusque Deo, & cordis Panchaia nostri
Tota coronatas templorum fumet ad aras.
Si vitæ moveant sortes, suasque reservent
Jus sibi si totum Superi, dos optima vitæ
Non aliunde petenda meæ. * Salomona, nepotem
Jesseum, regnorum illum medicisque potentem,
Et vitæ pariter modicos extendere fines
Aggressum, medicis esset quis in artibus usus,
Disseruisse ferunt: tum foetus utile quicquid
Arborei sylvæ, posito de semine quicquid
Cultus ager, quicquid sobolis campestria ferrent
Injussæ, docuisse suis inolescere chartis.

** Erat enim Enceladus filius Terræ.*

Interea Princeps Providentiæ divinæ munere superstet. Et conjectura inde de futuro.

Donum Vitæ expectandum a Deo.

** Periêre libri Salomonis de usibus medicis, ne toti penderemus ex illis. ita Isidorus*

(a) *Si quis respexerit ad patibuli Tiburni triangulam formam, leve id quidem: at non abnuerim.*
(b) *Allusione ad illud Osee* 14. *admitti poterit locutio.*

Quin & avara sui quicquid vitale cavernis
Occuleret tellus, in luminis extulit auras,
Argenti spumas, electri semen, & æris
Squamas, & rerum sulphur: rigidamque coegit
Usus in medicos Chalybum mansuescere gentem.
Pulchrum opus interiit: dignum, cui rite minores
Justa ferant Medici, & cineri solennia mittant.
Defuit e Libano cedrus sua, nec tulit ævum.
(a) Interitus causa, ut perhibent, ea maxima, ne, si
Pæonis arguti prostans in limine nostras
Pelliceret spes, humanæ fiducia vitæ,
Divinis sensim desciscens transfuga signis,
Ad plantas omnis medicasque adreperet herbas.
Ergo vale Pæon, Amythaoniæque valete
Cum plantis herbæ, pellè, mihi, Phoebade sana,
Si Melopoeus adest, non pharmacopoeus Apollo.

Igitur vita Deo placens ad vitam longam via; & e contra; &c.

Vita Dei donum. Divino munere quisquis
Utitur, usuræque petit compendia longæ,
Det coelo nomen: Superos adsciscere pergat
Integritas sibi, cum Superis commercia solis.
Si Superis placeat, vivet. Quà se via pandit
Lactea, virgineoque albet cum nomine trames,
Hàc (b) immortalem ad vitam fert semita. Vitam
Quæ ferat ad longam in terris, sit semita labis
Pura mihi, scelerisque expers, & lactea vita.
Jesseum memini Solymæo pectine Vatem,
Et Regem cecinisse; (quid. o pulcherrime Regum,
Quid canis o Vatum pulcherrime? languida tentat
Fila meus, Musisque tuis assurgit Apollo.
Fare.) (c) *Quis est hominum, qui vitam diligit?* inquit.
A Pravo diverte pedem, Rectum cole: Sic est.
Si dexter pergam, vivo; sin lævus oberrem,
Quis mea servantem arcuerit vestigia Mortem?

(a) *Sic, inquam, habetur ex Isidoro Clario modò dicto.*
(b) Hàc iter est Superis ad magni tecta Tonantis. *Ovid.* (c) *Psal.* 33.

(d) Fallor

(a) Fallor? adest. An bellatrix (b) Dea? Quæ mihi
Exterret species inopina? ferocia pugnam (sensum
Illa, minæ bellum intentant: it tessera bello.
At fremitu, si Diis placitum, sata Marte virago,
Quò tanto? *Populos*, inquit, *domitura rebelles*.
Parturiunt aquilæ. trochilus nascetur. At æreæ
Frontis ubi crinitus apex, & cornua rubra?
Nec tergum lorica, nec ilia balteus, umbo
Nec latus armat. Ubi nodis consertus Iberis
Squamisque in plumam thorax? Balearica nulla
Fulmina, nulla trabi sparsura phalarica pestem,
Malleolusve, onagerve, aut, qui munimina pulset,
Incursans aries, cornuve coniscet aheno?
Nidum dejectura minas intentat arundo.
Sed neque fronte sedet bellum. quàm Martius oris
Campus hebet! parci vultus, & lumen abactum,
Atque interfusa turpis fuligine pallor.
Malæ tabentes, & raro consita crine
Calva; riget cervix, frigent ad vulnera palmæ,
Succusso poples nervo labat. ossea crates,
Exanimes animi, vietum, & sine pectore corpus.
Ære puer necdum lotus, quem mortua terrent.
Illa nihil. Dubio tandem cava lumina risu
Intorquet frendens, bellatoremque superba
Poscit (c) equum. Paret jussis accitus agaso:
Circumstantque Ferum pavidi Morbusque, Famesque,
Quosque die genuit Casus Fortuna nefasto,
Et Dolus, & nati nutrix Discordia belli,
Demulcentque armos, & pectora plausa lacessunt.

Mors in procinctu: & minatur.

(a) *Sensus sequentium usque ad finem hujus partis est, Mortem omnes consequi, atque eò citiùs, quò magis mortalium peccatis incitetur.*

(b) *Volunt aliqui Mortem non feminam, secuti Pausaniam; qui, nisi fallor, Mortem sub pueri forma vestitt alba veste. Certè Noctis & Herebi filia est.*

(c) *De Mortis equo in Apocalypsi.*

Nec mora: quadrupedis tergum premit. avolat ille,
Et vix suspenso summam pede signat arenam:
Tela sonant. humeros pulsat corytus eburnos.
Hic sonipes, hic est: belli fiducia tota,
Robur Achilleum, & suprema superbia, fati
Delicium. Si quem assequitur, devota pharetræ
Victima lethalem occumbet tinctura sagittam.
Missile, quod non extimuit cornicula sola.

Mortis equus (de quo in Apocalyp. uti suprà) dissimilis illis, quos fama celebrat.

Et quis Thessalici Juvenis præsepia nescit?
Cui non dictus Echionio formosus Arion
Pulvere, seu quorum Musæ meminere Pelasgæ,
Thraces equi, æthereoque agiles e semine currus?
Splendet equo Pugilis nostri nihil instar in illo.
Nam nec iaspis erat, nec erat quod manderet aurum,
Nec juba compta vibrabatur, (a) philyrasve gerebant
Serta, nec in niveum demissa monilia pectus.
Ipse nec insultare solo, nec volvere fumos,
Nec pressi imperio visus pugnare lupati,
Orbesve ambiguos numeroso carpere gressu,
Bella fremens, Non luxuries animosa tororum,
Non cervix, non spadices, nec terga, nec armi
Nobilitant pecus. Exangui frigentis in ore
Pallor, qualis inest frondi, quam frigus adussit
Primæ hyemis; macie tergum declive, resistens
Ad tactum, atque alvi referens jejunia pellis:
Liventes oculorum orbes stupor horridus urgens,
Obstipum caput, auris iners demissa, peresæ
Nares, obsessamque premens faux arida linguam.

Neminem tamen non assequitur cursu vel velocissimum.

Est in equo quàm multus Eques! Si pulvere curret
Eleo tamen, Alpheæve ad flumina Pisæ,
Vicit; Olympiacæ veniant ad tempora tæuæ,
Cumque sua mistus palmis oleaster oliva.
Et cujus, cedo, tanta unquam fiducia liquit
A tergo limen, Geniorum exceptaque plausu
Corripuere olim vitæ vestigia campum,

(a) *In quibus scripto notatæ victoriæ equestres.*

Audacis

Audacis licèt idem aquilæ, cautæve columbæ
Ad plantas alam, volucremve aptaverit Eurum,
Quem non ille (columbam, aquilamque, Eurumque vo-
Antevolans) cursu præverterit, & sibi palmam (lucrem
Promeritus victricem, & famæ nomen equestri?
Accedat Mortis (a) stimulus. Quàm protinus igneam
Increpito plantam vis ocyor urget ab armo!
   Nescia nubis erat, noctique obnoxia nulli *
Lux homini quæ prima data est. Testaceus illi
Sanguis; at impressus signis melioribus æther.
Mors stadiorum aberat quot millibus? infinitis.
Peccat homo. Stimulo illo amens instinctus adacto
Continuò effervet Sonipes, & tanta repentè
Se dans in spatia intrepido pede conficit æquor
Immensum, totumque homini se spumeus afflat.
Fortè modò ex me quæsieris, quot suspicer annos
Esse mihi supèr. Ætatem si consulo, nutum
Sideris obliqui, tum si quos obvia nuper
Occinuit presso decies mihi gutture cornix,
Bis quini sunto. ille meo stet terminus ævo.
Bissenum venit, adjecta trieteride, lustrum:
(b) Enneas hebdomadam texens septena novenam.
At pecco. vetitam decerpsit ab arbore frugem,

At a peccato fit longè celerior.

** Assecutus est primum hominem.*

Me peccantem, qui multò propiùs absum, quippe quem dividunt a Climactera grandi & fatali 10. *anni solùm, quàm assequetur compendiosiùs, & faciliùs?*

(a) *Stimulus autem mortis peccatum,* 1 *Cor.* 15.

(b) *Mortalium anni plerunque subducuntur per septenaria. & septimus quisque annus immutare censetur statum corporis. Inter numeros, tres præcipuè considerantur nihilominus a doctis* , septies septem, novies novem, & septies novem; *qui numerus postremus habetur Climactera grandis, conficiens annum sexagesimum tertium ex Novem septenniis, seu hebdomadis annorum, vel Septem novenniis, seu enneadibus. ac proinde consistens ex utroque numero fatali comprehendit fatalem characterem utriusque. At quantum habeant ista momenti ad terrorem, æstimet quisque, ut cuique libitum fuerit. Ne sit tamen, qui ad motæ trepidet arundinis umbram.*

Et

Et necdum repressa, manus. Si, criminis uno
Unius admoto stimulo, tam fervidus arsit
Cornipedi effræno dolor, infinita patentem
In spatia ut puncto campum transmiserit uno:
Quid me, qui toties incussa cuspide fodi
Immeritum latus, & toties a cuspide vulnus
Irrubuit, crudique recanduit ulceris æstus,
Quid me fiet? Equus planta festinus & acer
Quàm bis quinque repentè meos trajecerit annos! (*a*)

(a) *Facit porrò, ut in spem uberiorem Voti mei veniam, Principis singularis indoles: & quem reservari auguror ad hæc tempora, ut, quemadmodum pronunciabat solertissimus Batavus anno, nimirum* MDCLX, *quo Princeps ex Hollandia in Angliam solveret,*

Sicut
per DeVM regnat CaroLVs,
Sic
per CaroLVM regnet DeVs.

PARS II.

Argumentum fortuitum videtur esse, idque ex occasionibus datis in itinere, quod se ait Author suscepisse ad nemus Boscobellanum, Principis hospitium primum post cladem acceptam in fatali illo, & suprà memorato prælio Vigorniensi. Et sic primò, adumbratâ Viatoris personâ se remittentis in itinere, exhibet Author ipse, quamùm referat promptum esse in obediendo excitationibus divinis. Pòst infertur mentio de duplici Vita extrema non incommoda ad Vitæ mediæ institutionem. Tum de materia lætitiæ, quæ suppeditat e præsente temporum facie. ita tamen, ut Justitiæ divinæ (cujus exempla afferuntur nota, tempori quidem apta satis, at ejusmodi, quæ minus offensionis habitura videbantur) memoria abjicienda non sit. Deinde, ut occasio se obtulit, quò significetur, quid Deo debeatur, proponuntur

aliqua,

aliquæ, e quibus Lector eruat notas non obscuras tutelæ divinæ circa Principis Vitam, quales nonnullæ afferebantur etiam in prima parte. Scopum harum Inductionum conjicere poterit Lector hujuscemodi esse. Ponebatur Conclusio versus finem primæ Partis, Vitam Deo placentem, sive bonam, esse viam ad Vitam longam, & e contra. *Itaque Considerationes dictæ, quæ ad materiam, quæ tractatur, ex occasionum interventu tempestivè & spontè accedunt, subsumuntur ut Media quædam conducibilia ad Conclusionis dictæ institutum: ad Vitam nempe Deo placentem, sive bonam, instituendam. Poterant considerationes illæ nudè poni sic. Sed* ad Conclusionem allatam circa vitam Deo placentem Media sunt illa modò dicta. *At commodiùs censuit Auctor proponendas illas sub involucris occasionum fortuitarum. Et ratio hujus studiosè profectò affectati rei sic exhibendæ modi prompta, credo, jam satis est. Neque verò novum est a Scriptoribus subinde, quod intendunt, sic inumbrari. Si neque satisfecerint hæc nonnulli, occinendum fortè Persianum illud*

Nec clam? nec cum scrobe? nusquam?
Hìc tamen infodiam, *&c.*

Concluditur hæc Pars cum repetitione Voti.

ET jam vela quidem legere, atque advertere forsan
Debueram terris proram. In communia peccem
Commoda, si teneat, Princeps, tua tempora sermo
Longior. Et nimiam plectunt fastidia linguam.
Me sed Musa silere, operique imponere finem:
Antè vetat, quàm curriculo interiore retexam,
Institui quod nuper, iter. Nec (*a*) Boscobel omen,
Nec sacris volitans è finibus abnuit ales:
Maius erat modò, sed præceps; dabat altera finem
Mox oritura dies. & jam Junonis ad astrum

Mentio itineris, quod Auctor se ais suscepisse ad nemus Boscobellanum anno 1663.

(a) *Nemus Boscobellanum, sic dictum, quo Princeps se recepit post fatale illud prælium Vigorniense.*

Lapſus Amyclæos Dominæ narrabat amores. (*a*)
Lætus iter, quà Staffordo (*b*) Salopia campo
Accubat, & geminæ incipiunt commercia terræ,
Lætus iter carpebam equidem: ſed feſſa ſoporam
Suadebant æſtus medii per membra quietem.
Hoſpitio excepit quæ proxima fronduit umbra.
Gramineo ſomnos. Lethæi tempora rores
Utraque perfudere, oculoſque hauſere natantes.
Herboſo poſtquam thalamo laxaverat artus
Prima quies, ut fortè toro reſupinus in illo
Sternebar, prono jam ſol devexus Olympo,
Interlucebat raras quà pervius æther
Per frondes aditus, gracilem per opaca ſopori
Inſinuat lucis radium. ſenſere monentem
Palpebræ, obliquoque acies perſtringitur ictu.
Evigilo. evigilaſſe piget. quemque humida necdum
Emovere ſinu ſegni præcordia ſomnum,
Languentes oculos repetit. tum pectore prono
Obverto dorſum monitis ſolaribus. at ſol
Perſequitur velox iter, increpitatque morantem.
Interea ſecurum animi, penſique diurni
Immemorem tenet alta quies. Fugit, ignea lora
Temonemque premens, cum ſole volatile tempus.
Ut thalamo indultum ſatis, exaturataque ſenſim
Liquit membra Sopor, coruuque aufugit inani,
Verſo artus utrinque: oculiſque amota receſſit
Inconſulta quies, excuſſaque pectore nox eſt.
Continuò vultum attollo. Nox incubat orbi
Tetrior: alta tenent cum nocte ſilentia terras.
Viſu anceps inopino hæſi, incautoque recentem

(a) *Et hic notandum, quod de hac Inductione ſui revmittentis in itinere, de ſcopo item cæterarum Inductionum uſque ad finem circiter hujus Partis Auctor meminit in Argumento. Non convenicbat, inquam, rem aliter tractari, quàm per iſtiuſmodi Inductionum ſimulationes.*

(b) *Hinc non longè Nemus modò dictum.*

E ſomno gelida formidine perculit horror.
Nec niſi parte ſui micuit jam Cynthia luce,
Rareſcente minor, mundi inferioris imago
Plena tamen: nec erat verno nitor ullus ab aſtro.
Involvit noctem nox altera. nubibus atris
Denſantur tenebræ, & terris ſubducitur æther.
Fit ſonitus ventis ſurgentibus. incita flabris
Horreſcunt nemora: inſequitur cum turbine torquens
Nimbus aquoſam hyemem, terrarumq; ardua plangunt.
Præcipitant e cœlo imbres, e montibus amnes.
Atque hìc Occipitis calvi memor improba ſomni
Alterius ſenſi diſpendia, ſeraque Frontis
Neglectæ documenta. Bonum quàm pendet ab uno
Crine meum! Cœlo purgatior emicat axis
Interea; fugiunt nubes, &, nocte recluſa,
Apparet lux aſtrorum, excubiæque decoræ.
Hìc lentus circumſpexi, jam mente recepta, (*a*)
Convexos orbes, ſcenamque patentis Olympi,
Et fixos certis alios in ſedibus, oræ
Per juga palantes alios ſeptemplicis ignes;
Ignibus & dixi prô quantùm dividor illis!
Lætitiæ illa tamen tantùm proſcenia noſtræ.
Summa ſpei tota, & mentis cumulata voluptas
Interiore ſedet tractu. pars illa, locorum
Diſſidio vaſto, penitùs ſubducta recedit.
Et dixi, quis amica pedi talaria lento,
Quis pennas humero nectat, queis nubila ſupra,
Supra ignis lunæque domos impervia terris
Lumina tranem illa, empyrias & præpes ad arces
Siſtar, inacceſſas ubi Cœli filia gazas
Aſſidet, indigeteſque beat Macaritis alumnos?
Sola moras omnes ſuperat, mortalibus aptat
Hanc humeris alam, hæc pedibus talaria Virtus.

Objicitur facies cœli ſtellantis: eaque occaſione excitatur animus ad cœli viam ſectandam.

(a) *Hìc item meminerit Lector, quæ dicebantur in Argumento circa media ibi commemorata. Idem quoque, cùm ad Vitæ Infernalis mentionem mox pervenerit.*

Deserimus patriamque, torumque, laremque jugalem,
Et longè submotum alio sub sidere litus,
Auspice avaritia, petimus; quique extimus olim
Limes erat, (Nemus Hesperidum, & Diis invida rura,
Æsoniæque viæ trabis, Hyrcanæque procellæ)
Nunc in vicino est, signatque repagula limen.
Nempe suburbanus Calpe labor, Herculeæque
Sunt in carceribus metæ. Quà Circulus annum
Dividit, & mundo litem discernit utrique, (Urnam
Quà Zephyrus Phrygiam atque Eurus pluit alter in
Imbribus alternis, Pagasæum quà Notus ignem
Respicit, exclusam oceano quà nubibus Ursam
Riphæis Boreas, & turbine pascit aquoso,
(Europæ carcer sordet) trans ultima rerum
Claustra, per ignotos æstus, per inhospita brumæ
Frigora, quanquam albæ cautes, & rauca reclamant
Æquora, vento omni votorum pandimus alas.
Interea cœli nec iter, nec munera norunt
Indecores animæ. Cœli quàm nobile semen
In glebam subigit vilem vesana cupido!
Sed nec gleba fami satis est peregrina: nec aurea,
Æstuet ut toto fluctu, seu gemmea Tethys
Expletura sitim. Qui continet omnia mundus
Grandior, est parvo minor; impatiensque sui mens
Semper anhelat, & ardet inexaturata quod ultrà est.
Nasci ergo ad majora putem. Meditare, capaci,
O homo, quod menti faciat satis: exue terram,
Degeneresque aude mecum dediscere curas.
Væ misero, cujus Serpens in postera serpit
Fata vetus. Terram ille comest, & pectore toto
Incumbit terræ. Trahitur pars infima cujus
E terra, florem generis qui ducis Olympo,
Tu niti ad cœlum potiùs, patriosque tueri
Disce lares, dignumque tui te finge. Beatorum
O domus alta, nec ampla minùs! suprema quietis
Regia, votorumque quies suprema! Tonantis
Aula: sed illa minarum expers, & fulmina supra.

Extremas

Extremas habitat media hæc, incertaque Vitas *Vita cœlestis.*
Vita duas inter. Cœlestem suspice. Nullus
Illic est à falce timor. Lunæ atria circum
Quæ volat, haud illò penetrat fatalis arundo.
Nulla plagam perflant illam suspiria, nullâ
Gaudia mœroris lachrymâ respersa, malorum
Felle madent nullo ambrosiæ convivia mensæ.
Corpora quin etiam multo splendoris amictu *Dotes corporum beatorum.*
Lux circùm induere, & radiis distinguere candor
Dicitur: Invectamque polo vis ignea terram
Circumferre volatu agili. Non frigora lædunt,
Sithoniusve rigor, nec aquæ, nec Sirius ardor,
Nec Diomedeo metus est a vulnere. Corpus
Trajicit illæsum vis corporis enthea, lapsu
Insinuans sese innocuo. non robur aheni
Obicis intercludit iter, non invia rupes.
Non, si centeno voces in carmina centum *Sedes ipsa.*
Ore sonent, centum totidem cum vocibus æquent
Ora locum. Non, si vel dextera Coa tabellæ
Tentet opus, nisi pertenui subleverit umbra.
Et quoniam inter opes, queis nostra superbit egestas,
Nil auro est gemmaque prius, (*a*) transcribimus astris
Hermum continuò, & cœlo donamus Hydaspem:
Cudimus ex auro stellas, consternimus auro
Immortale solum, turres & tecta pyropo,
Beryllo extruimus muros, & iaspide portas.
Sed neque gemma tuas, melior Natura, nec aurum
Nobilitat, Fortunæ inopis ludibria, sedes.
Nec lingua sequimur, nec mente, recondita sensum
Quæ fugiunt. loquimur, quæ nobis obvia. norunt
Non aliud jumenta, suæ quàm fercula sylvæ,
Lactucam labris similem. Percurrere possum,
Quæ tango, videoque. datæ non cætera pennæ.

(a) *Non quòd Hermus, seu Hydaspes sint inter sidera relati, sed quòd omnia ibi faciamus aurea, & gemmea, seu quid simile.*

Quale opus, æterno secum quod mensus ab ævo,
Confessusque Deum struxit Deus, artis, opumque,
Et largi monumentum animi per secla futurum!

Beatitudo Essentialis.

At torrens ille, O Superi, si nosse licebit,
Torrens ille *voluptatis*, qui *(a)* flumine tanto
E solio Regis lætas exundat in oras, (mæ
Quem cœlum sitit omne, quis est? nam plurima fa-
Ad terras e longinquo percrebuit aura.
Dicitur & Manes eadem delata sub imos
Spem guttæ saltem assimilis fecisse, flagrantem
Imbueret vel sic liquido quæ frigore linguam.
Torrens; æternus currit tamen. ille perennes
Decursu æterno Vitæ fons sufficit undas.
Et sitit, & satur est, quisquis bibit; est satur idem,
Et sitit. offendunt saturum fastidia nulla,
Nullus habet sitientem angor. Mens undique voto
Plena: cupitura æternùm, & fruitura cupito.
Has recubat propter lymphas pulcherrima Virgo,
Os habitumque decora, cui nec candida Luna,
Nec facis Eoæ certet Titanius ardor,
Dives opum: dicta indigenis ab origine *Vita*
Cœlestis. Comites juxtà sincera Voluptas,
Læves exporrecta sinus, innubiaque ora,
Et Pax, & secura Quies. Æonia circùm
Amplectens ambit Divas Dea. Circulus illi
Verticem obit radiantem ingens, & vitta nitoris
Siderei radiis per crinem flexilis aureis.
Hinc Mentes perhibent, seu quas alit ætheris aura
Simplicior, seu concretam natura biformis
Quas in materiam miscet, quibus hospita terra est,
Haustus quamque suæ primos arcessere vitæ;
Huc, coelo demum pignus repetente, referri
Natalem ad fontem, & luci succedere primæ,

(a) *Torrens, & flumen? Attamen Æneid. 2. legitur* rapidus montano flumine torrens. & *Iliad.* 5. ποταμῷ χειμάῤῥῳ.

Ni

Ni pennam sordes ægram suffusa resolvat.
(a) Illa Dei fixa in vultu, atque immobilis hæret.
Illustrat penitùs Nympham lux intima vultu
Divino absistens. luci respondet imago,
Ipsum quæ referat Numen; (b) vitalis imago.
Et Phœbum videt Iris, & Irida Phœbus. at illam
Incingunt atræ nubes, & protinus imbris
Solvitur in rores. Et nobis sæpius idem,
Qui Superis ardet feliciùs, hìc quoque, rerum
Hac vel in illuvie positis, usuque palustri,
Objicitur Deus, & vitam propiore sereno
Mortalem attingit cœli nitor. hinc nova lucis
Fulgor & ardores in mentem gaudia vibrant.
Sed quoniam in nebula sumus, & premit undique men-
Peccati vapor, in luctum, pluviique doloris (tem
Continuò in rorem fluimus. Sed crimina vitam
Nube premunt nulla cœlestem. terra recessit:
Cum terra vapor & nubes, cum nubibus imbres.
Divinos, artis modicæ quæ copia cuique est,
In mentis tabula vultus depingimus: at (c) quæ
Per sensus, &, fuco aciem fallente, colores
Peniculum ducit luteos. Ubi molis opacæ
Mortalem lux cœlestis dimoverit umbram,
Qualis ea est, oris species germana tuenti
Redditur; ulla nec emanat *Deitatis* imago
Interpres media, objectæque vicaria formæ.
Inde venit Menti suppar accita Voluntas:
Quodque bonum Menti alluxit complexa Voluntas
Hæret in amplexu, gremioque infusa cupito
Illa abit in Numen, penetrabile Numen in illam.
Immenso a nobis spatio, &, si longius usquam est,
Longiùs immenso distat Deus. intercedunt
Rerum quippe *creabilium*, & quas divite posset

(a) *Nimirum Vita cœlestis, de qua modò.*
(b) *Est enim ipsa vitalis actus.*
(c) *Refertur ad artem.*

E causarum

E causarum efferre sinu, speciesque, gradusque
Innumeri. Tot naturæ discrimina, rerum
Tot classes, intervalli divortia tanta
Transgreditur, nosque astringit sibi. vincla ministrat
Visio, mox Amor, hinc soboles utriusque Voluptas.
Sublucent rebus, fateor, vestigia quædam
Numinis immisti reliquis, umbræque renident
Sublustres; sæpe in mentem simul emicat ardor,
Stricturæque breves, fugiens apprendere Numen
Conjectrix quo mens radio queat. At modò plenâ
Perfusam luce interior cum numine toto
Ipse subit Mentem Deus. O bona gaudia! Pacis,
O Pacis torrens ille! O æterna voluptas!
O *cœli cælorum!* Habitant hìc vota: nec ultrà est,
Votorum quò Mens ingens pomœria tendat.
O curvum terræ quid agis pecus? Indus arenam
Obtulit. astra valete. hoc mens in pulvere sudat.

Vita infernalis.

Hinc agesis * (Oriens Umbris commercia nondum
Nostra negat) detorque oculos, oppostaque coelo
Ad loca tende gradus, Anima mea. Respice. Dispar,
Inquis, iter. Sed facturum compendia cœlo.
At non te Phlegethon aliquis, fletuve noveno
Terreat interfusa Palus, crinita colubris
Tisiphone, Murusve triplex, Ixioniæve,
Circumagit quas fama, rotæ. Te terreat ignis
Fax alia, & fletus alii; Sua vipera sævit
Mens sibi; Decretorum adamantinus undique portas,
Æternorum emunit obex; Agit orbe perenni
Usquè volubilem & usquè rotam immutabilis Æon.

* *Hæc enim omnia supponuntur adhuc agi inter nocturnas illas excubias, uti suprà.*

Tenebris, & miseriis cincta.

At quæ squalenti barathro nox incubat horrida?
Eumenidum genitrix: at nostræ filia * Terræ.
Natus (*a*) egon', hoc ut cœli spirabile lumen,
Ut currum ardentem Solis, Titaniaque ora
Aspicerem? Sol o mihi dulcis, amabile cœlum!
Lux o lætitiæ genitrix, & filia Patris

* *Terræ fingitur filia, & Parcarum.*

(*a*) *Sic opinabatur Anaxagoras Clazomenius.*

Fœcundi

Fœcundi primogenita! ut te dicitur unam
Nosse parens, & tu risu agnovisse parentem!
Lucis at hic cœlique expers locus. ardet. at ignis
Nescio quæ lucem (a) vox intercidit. Avernum
Exurunt tenebræ, & noctis sata frigore flamma.
Noctis in hoc tetræ chaos, has formidinis atræ,
Quas meruit, cœlum quondam lucemque perosa,
Vita nocens abit in caveas. hac illa * Seripho
Conditur: & (b) *dulces* frustra *reminiscitur Argos.*
Ipsa sui, rerum omnium inops, deserta; dolores,
Jure suo tantùm sævæ cessere tenebræ,
Contempletur ut ægra suos. Torquata catenis
Nympha sedet scelerum in solio, Regina Nocentûm,
Ipsa nocens, ultrixque sui. Latus ambit inermis
(Dirutus ære animisque) Furor, feralis Egestas,
Et Pavor, & malas Rabies lacerata cruentas,
Culpæ turpe satellitium. Caput insidet Anguis,
Causa mali princeps, relegensque exordia (caudam
Insertans ori extremam) sit tortile fronti
Vinclum continui luctus, & tænia tristis,
Perpetuoque mali series circumflua gyro.
Tota sibi patet in pœnas obnoxia; parti
Lex & priva venit nulli. Plantisne facessunt
Angorem nostris podagræ? intestina quierunt.
Calculus exurit renes, seu glarea mordax?
At non indoluit caput. Hîc infesta querelis
Omnia. tota patens in verbera, (c) totaque dorsum est.
Mortis agit vitam; vivit, moriturque, perennem
Æternùm vivens mortem. Cùm pondus ab ævo
Venerit, immensum in melius bona singula crescunt,
Immensum in peius crescunt mala. Magnus, at idem
Se minor, expirare solet dolor: immodicusque,

* *Alluditur ad insulam illam, sic dictam, quò mittebantur olim exules nocentes, sicuti & in Gyaron.*

Pœna sensus: generalis, & æterna.

(a) Vox intercidentis flammam ignis. *Psalm* 28. & *sic interpretatur Basilius.*
(b) *Delicias veteres. Dictum, si velis, proverbiale e Virg.*
(c) Pones eos dorsum. *Psal.* 20. & *sic interpretes.*

Et

Et brevis. Et valde nemo doluisse, diuque
Sufficit. Intexunt Manes utrumque dolori,
Et Valde, atque Diu. Rerum implacabilis omnium
Extinctor, rerum, atque sui communis Erinnys,
Tormentum extremum, Nemesisque triarius ultor,
Ipse nec extinguit, nec verò extinguitur, ipsis
Vim semper ducturus, opesque ex ignibus ignis.
(a) An saliunt Erebum flammæ? mirabile dictu est.
Quos uret, pœnis saliet vitalibus ardor.
Mortem animantis hic ille rogi sal igneus, urens
Ipse, dat usto animos, ut ab æstu fortis, ab æstu
Uratur semper. Cordi suspiria donet
Quæ Metanœa, imbremque oculis? O lacryma, tantis
Quæ restinguat anhelantes fornacibus ignes!

Pœna damni. At modò quo sis mota gradu, cumuloque bonorum
Quo spoliata vide: semper fletura videndo,
Infelix anima. Factum bene: qui videt, idem
Ritè flet & visus oculus fletusque minister.
Et superas videt illa domos, & læta Quietis
Limina. Sed vastum miseram chaos alligat. atro
Ah plùs quàm novies Styx interfunditur alveo.
Et videt illa Beatorum per Olympia templa
Consessus, quique e terra venere coloni,
Quique polo genus aligeri duxere Quirites.
Amplexus mille alternos videt, oscula mille.
At solos hæc attingunt commercia, Vitæ
Quos retulit Liber in cives. Liber aureus. at cui
Nec venit e Cretæ norma, tabulisve Lacænis,
Nec certè ex ævo cedri, seù pumice nomen.
Expolit illum æternus Amor, præscitaque Virtus.
Sæpe meas illud fama pervenit ad aures,
Et pretium, & nomen fecit cui Gloria, Lumen.
Nascitur; at Lucinæ oriens nil debet Eoæ;

(a) Omnis igne salietur. *Marc. 6. Et sic pariter nonnulli interpretes, a salis nimirum natura tribuentis incorruptionem.*

Nec

Nec ſimiles, utero quæ cætera lumina fudit,
Prima, parens lucis, partus enixa dies eſt.
Primævæ lucis candor: qui tempora primùm
Aligeri Ducis, & cœli tentoria cinxit;
Solis inoccidui radius: quo panditur ipſum
Numinis in penetrale aditus, quo, quicquid amœnum,
Quicquid dulce Deus, fruimur. Sed nubila regna,
Quaſque palus fundo noctes exhalat Averna,
Huic interclusere viam. Cocytia monſtra,
Et fuligineos vultus, & verberis ictum
Horreo, vorticibuſque atrum torrentibus amnem:
Nexus horreo nodoſos, dentemque chelydri
Viroſum, anguineos tortus, & ſi quid acerbum,
In pœnaſque ferax aliud. Sed damna quis horror
Illa ſatis? gemitus inde, horriſonique ululatus,
Et fletus diri, & rabidus per Tartara ſtridor.
O, lethi conſanguineus Sopor atria ſi quis
(Ut memorant) aulæ informis, ſeu limina ſervat
Excubitor, medicato irroret lumina ramo,
Spargens blanda venena, papavereamque quietem,
Ut me ſopitus lateam, ſeu tantula Damnis
Vel connivendi fiat mora. Si qua ſilentum
Prænatat excubias volvens oblivia Lethe,
In curas fluat illa meas, qua triſte remittant
Imperium, & fallat requies furtiva dolorem
Pauliſper, me ſurripiens mihi. Sed neque Somnus
Luminibus, menti nec commodat otia Lethe.
Involitant uſquè in mentem, memoremque laceſſunt
Viſum importunæ ſpecies: nec damna facultas
Ulla, recurſantemque oculis avertere peſtem.
Hinc habitans ille inſomni ſub pectore Vermis,
Subditus ad fibras altè, & præcordia Vermis,
Et jecur immortale, renaſcenteſque medullas
Depaſcens morſu æterno. Suſpiria ſera,
Queſtuſque in ventos abeunt. Quæ janua ſolem
Antè recepit utrumque, Suburranoque vel ipſum
Admiſit puteal cum fornice, janua clauſa eſt;

Ferreus haud exorando stat robore cardo.
Conclamata jacet spes: (*a*) (Ilicet.) una malorum
Dulce levamentum. seu fructum porrigit illa,
Seu finem. metas hæret dolor omnis ad illas.
Fructus ubi est? steriles exercent Tartara pœnæ.
Finis ubi est? redit æterno labor orbe, recursu
Pœnarum assiduo refluentium. ubique dolorum
Congeries immensa, malique informis imago
Æterni. Astrorum, numeroque carentis * arenæ
Subduco numerum. Pœnæ quis calculus annos
Colligat? Alipedes absolvite, & axibus alas
Nil profecturas appendite segnibus Horæ.
Temporis ad metas venit fuga. constitit æther.
Ætheris immoti rota sistitur. at rota pœnæ
Volvitur illa meæ, æternoque volubilis ævo.

** Archimedes fertur subduxisse.*

In eodem adhuc situ persistens Poeta vacat cogitationibus lætioribus, atque ad statum Angliæ præsentem magis accommodatis, sub ortum Auroræ.

(*b*) Et modò sideribus dubiis Nox sensit Eoæ (*c*)
Lora Deæ, surgensque polo jubar. Illa rubentes
Memnonio luxu crines, & plena rosarum
Extulit ora. Salutantum gens læta volucrum,
Excutiens alacri pennarum verbere noctem,
Imbuit ad cantum nidos, gratata soporo
Infusam ruri Auroram, rebusque colorem.
Glaucus aquis errat tremulis nitor: aura pruinâ
Tithoni placidè friget, nebulæque subactæ
Decumbunt arvis, & raro vellere canent.
Quàm facies dispar illi, cui turbida nuper
Induerat nox terrorem: cùm nubibus axem
Abstulerat, terramque involverat imbribus Auster!
Hìc, mens ut jam liberior, laxataque sensim
Lætitiæ spatia, & fibris illapsa dies est,

(a) *Solennis vox, qua missus populus in exequiis.*

(b) *Sistitur in hac descriptione, quippe quæ faciem infert diversam a nocte præterita, cum allusione ad statum Angliæ præsentem tranquillum, & præteritum turbulentum.*

(c) *Et hìc referat oculos Lector ad hujus partis Argumenti monita.*

In mentem pariter ſubiit confinia rerum
Tempora conferre, & varios componere fati,
Fortunæque habitus. Terris affuſa Britannis
(a) Aſtrorum redeunte choro, certaque diei
Spe dilucescente tui, quàm candida lux eſt!
Conſedit fragor, Æoliæque ferocia noſtræ.
Longa, procelloſa fatorum in nocte, ſevero
Turbine fortunæ, tulimus diſcrimina: quorum,
Pubeſcente malis ævo, pars maxima, Princeps,
Semper eras. Gens quæ luctus non conſcia noſtri?
Quæ freta? quæ noſtris cautes non oſſibus albent?
Fortunis, patria ejecti----Quid nota revolvo?
Sors melior quantò viſa eſt, quibus altera ceſſit
Pars rerum! charos Manes nec facta poteſtas
Ulciſci, nec verò ſequi. (b) Num Belgica lunas,
Num ſoles alios habuit? nox annua nobis,
Annua viſa dies. & huic nec bruma, nec illi
Solſtitium interiore dedit procedere gyro.
Diluvio ex illo miſeros urgeret egeſtas
Quanta, liquet. longè nec reſpexiſſe neceſſe eſt.
In citimo veterum ſpecies. in cannabe Baucis
Splendet adhuc, inſignia adhuc fert nota Philemon.
Dives eras. unum hoc deerat tibi, Noſſe beatæ,
Anglia, Paupertatis opes. Aſſueta novorum
Gymnoſophiſtarum placitis, ſcuticæque magiſtræ
Literulis modò tincta, Rotæ quàm ſtrenua noras
Ludum faſtidire, minas quàm temnere Cauri,
Cymodoceſque ſupercilium, breve littus & algam
Remigio radens tenui! quàm riſerat æris
Et curæ vacuus tumidum Scyrona viator!
His, Princeps auguſte, malis adolevimus, inter

(a) *Procerum exulum, quorum multi proximè ante Principis reditum revertebantur in Angliam.*

(b) *Cùm ſcilicet in Belgio exulaſſent Regii: quibus tempora videbantur ſolito longiora ob expectationem, ut fit, dilatam rerum meliorum.*

Has tecum mœsti lachrymas exegimus ævum,
Teste vel Invidia, miseri satis. Una fovebat
Spes languentem animum, & causam pascebat egenam;
(a) Spes ægro panacea, inopi sors ampla peculi,
Captivo sua libertas, victoria victo:
Sola sciens assentandi sine crimine, (solam
Hanc præter quis enim misero assentetur?) honesti
Progenies, præsentis inops, opulenta futuri.
Hac fretus noctem exegi, mediisque tenebris
Respexi lucem: hac fultus librata per undas
Non intermisso diduxi brachia nisu.
Et dixi quàm sæpe! Nitescite sidera. Dixi.
Et tandem nituere. Nitesce, nitesce, meus Sol,
Astrorum face, candidior Titane meus Sol.
Exorere; & dispelle hyemes, noctemque resolve.
Exoreris; pulsæque hyemes, resolutaque nox est.
Salve tot quæsita quies & reddita votis:
Aurea pax. Redeunt priscis e fontibus anni;
Lactis eunt, ibant toties qui sanguinis amnes.
Lætitiis terra incedit. Vox lenta. vel ipsæ
Subsultant tetricæ rupes. Accurrite Gentes,
Et quas finitimo vicinior alluit æstu
Nereus, & quas subducit longinquior orbis;
Tuque prior toties propiùs miserata gementem, &
Sæpe dolore dolens nostro, commercia cœli
Quam paria, ingeniumque soli, veterisque querelæ
Oblitum gemino manans e sanguine fœdus
Germano sociat nexu, gratare sorori
Gallia; Sequanides properent ad litora Nymphæ,
Aspiciantque *Deus quæ nobis otia fecit.*
At tu, cui nuper sociis e fletibus urnam
Intumuisse ferunt, occurre, sororibus undis
Lætitias affunde tuas cum murmure læto,
Pæanemque cita, Thamisis; fluat Inda per artus
Carbasus, atque Hermo rorans inserpat arundo;

(a) *Similem ferè in modum Coulæus Anglicè de spe.*

Cornuaqu

Cornuaque attollens glauca (*a*) bicoloria fronte,
Britonidum, pulcher Thamisis, moderator aquarum,
Magnificùm freme per ripas, & labere fluctu
Arduus, Oceanoque patri tua gaudia misce;
Quàque pedem fers undisonum, oceanitides unà
Plaudentem lustrent choreæ: vestigia lambant
Et Zephyri comes, & Etesiæ, & albus Iapyx,
Exultans. procul Æoliæ pars altera cedat
Nimbosa cum pube, nec affremere ausit eunti.
Lætus agat (tandem enodi festivus avena)
Pastor oves: niveo generosas vellere, quali
Pellexit Lunam cœlo deus Arcas ab alto,
Pascat oves. Pulsa tandem rubigine lucem
Induat attritus vomer, docilisque juvencus
Ad munus Cereale volentibus imperet arvis.
Naviget: incidat tortos mihi Navita funes.
Segnes increpuere moras Perüanaque rura,
Et mitratus Arabs, & cinctu defluus Afer,
Et diversus utroque Getes: Minyisque feruntur
Mirari, solito vacuos & Iasone portus.
Hac fortasse tenus licuit confidere ponto
Parciùs. ast agnam belli modò fluctibus icit
Candida pax; pepigere fidem modò Tethys, & Arctos
Mitior, arrectique sedent in litore venti.
Paruit, & velis immisit nauta rudentes.
Ecce fugit, spumasque salis ruit incita pinus:
Cornua, carbaseique sinus, & suppara summa
Festivùm crepuere. (*b*) Pedem bonus alter & alter
Incidit an Pollux in utrumque? Carina sequaces
Antevolat ventos, &, subsidentibus undis,
Extremam fluctu in primo præsumit arenam.
Mox redit: & ripis comes adnatat India nostris.
Vosque adeo, quos Parnassi per amœna vireta
Ducit amor, genus Aonium, quibus imbuit ora

(a) *Est enim mixtus fluvius ex Thama & Isi.*
(b) *Dictio nautica de prospera navigatione.*

Castior

Castior Hippocrene, & largiùs ungula manat:
Præque aliis vos, Musarum quibus altiùs arces
(a) Vertice consurgunt gemino, quibus affluit unda
Dives Isis, doctoque affunditur æquore Cama:
Laurigeram tempus, comites, exporgere frontem;
Ora probent lymphæ: desueta refingite plectra
Ad numeros veteres, reducemque Amphiona rupes,
Orpheaque sylvæ mirentur, Ariona pontus.
Rupibus, & sylvis, & ponto surdior auris
Vestra pellicienda fide est. et fortè rebelles
Anglia dediscet fastus, animosque remittet.
Auspiciis si fata meis decurrere vitam
Annuerent, &, qui reliqui, componere soles
Sponte mea, vacuum curis ante omnia Divæ,
Lustratumque undis, arcanaque sacra ferentem,
Acciperent gremio Parnassides. O ubi, Vatum
Excubiæ, bifido veteres in culmine somni?
Phœbus ubi? O quis me resonabilis ad juga Pindi,
Ad latices Libethræos, Pimplæaque Tempe,
Sistat, ubi fotos lauri vocalibus umbris
Permessi rorans guttis sopor irriget artus?
Siste. quis incautum tulit impetus? an Dea menti
Incidit improvisa? nec hospita sylva sopori
Illa meo, nec verò illi mea concolor ætas.
Et solitam, sensi dudum, mihi barbitos auram
Icta negat, solitamque negat Latonius aurem.
Vos, quibus articulus teres est, ad carmina quorum
Adrepunt lauri faciles, quibus integer ævi
Argutis micat in venis Heliconius humor,
Quos Deus ille, Deæque solent audire vocatæ,
Vos citharæ decet, ingeniique intendere nervos:
Vos animæ Aoniæ fœtus educite. Pæan,
Consonæ io Pæan referant ad sidera valles.
Innubesque dies, & candida currite secla.

(a) *Parnassi nostri vertices duo Oxonium, & Cantabrigia. Oxonii fluvius Isis, Cama Cantabrigiæ.*

Secl

Secla vetus Latium informet. Præsagia Mystes
E Clivo cecinit. Vocem festiva remittit
Pieris, assensuque antri cortina sonoro.
Hæc ubi fortuita verni sub tegminis umbra (*a*)
Mente volutassem, (vigil, an sopitus? utrique
Contiguus, credo, potiùs. Fugientibus astris
(*b*) Certior esse quies, & (*c*) cornea sistere luci
Morphea sincerum solet. Atqui excedere noctem
Illa mihi visa est, & somno major imago)
Rem præter solitum miram aut vidisse putavi,
Aut certè vidi. Vicino prævia soli
Jam propior lux albebat; transcurrere cœlum
Cardine nimbus ab Eoo, & Tithonide porta
Visus. cum maculis variabant (*d*) cærula fuscis
Vellera, suffuso ferrugo rubebat ab ostro.
Explicat inde sinus latebrosa volumina, & amplo
Orchestræ in faciem laxatur fornice nubes.
Apparent lances geminæ; sua pondera lances
Ambiguo librant examine; discolor æquat
Sed juga momentum. Sequitur, comitata catervâ
Virgineâ, forma ante alias pulcherrima Virgo.
Illi multus in ore rigor; nec læsa venustas:
Cui blandituros oculis miscebat amores
Ipse rigor. Sed nec leviter diffundere vento
Incertos dederat crines. a vertice nodum

Tamen oportet, Justitiæ divinæ non immemores simus.

(a) *Hic pariter occurrit repetendum quod monebatur in præmisso Argumento.*

(b) *Peripatetici enim, atque Academici magis probant somnia, quæ sub lucis ortum accidunt.*

(c) *Hoc est, ad verum magis accedens. & alluditur ad portas somniorum: quarum altera cornea, altera eburnea. per hanc falsa somnia exeunt, vera per illam. Rationem pete a Macrobio l. 1. in Som. Scip. c. 3. de cornea tunica oculorum, & dentium septo eburneo. quia quæ videntur, certiora sunt, quàm quæ audiuntur ore prolata.*

(d) *Accipitur hìc pro colore vergente ad obscurum: ut sæpe.*

In

In teretem morsu tenui collegit iaspis.'
Liberior cyclas, modicèque soluta. refusos
Aura sinus, croceosque hinc inde lacessit acanthos.

Adducuntur ejusdem exempla nota.
(a)
Casus Angelorum.

(*b*) Illic & veteres, & seras Numinis iras,
Et seriem irarum multam, pugnataque bella
Ultoris coeli, casusque ex ordine pingens
Dædala distinxit varios acus. Æthere summo,
Empyrias coeli regio quà surgit ad arces,
In diversam aciem mistas utrinque phalanges
Cernere erat. Connixæ illæ, pennisque coruscæ
Adversis Martem invadunt, & prælia miscent.
Ecce autem ruit inversis pars altera signis,
Turbinem agens agmen tenebrosum, & vertice prono
Volvitur ad terras. Nimbo non densior unquam
Tempestas, tortusve solum diverberat imber.
Tetra cohors; Dux horribili teterrimus agmen
Ore præit: sulco ruptum ceu nubis hiulcæ
Aeris in campos vibratur ab æthere fulgur.
Limitem agit flammis: & sulphure sidera fumant.

Ejectio hominis e Paradiso.

Non procul hinc hortum gaza splendescere verna
Fecerat, Armenii veris, Floræque Penates
Æternæ. Croceo subtemen germine pubet:
Vernat opus, Florâque omni distincta Minerva.
Vestis erat. Certant oculi. sententia fertur.
Hortus erat. Viridem spatiis induxerat umbram,
Et vario lautum cultu frondentibus umbris
Pendentem Autumnum. Phrygius non talia dona
Vidit ager, nec Phæacæ pomaria sylvæ.

(a) *Poterant alia exempla afferri. sed hæc afferre placuit ob rationem positam in Argumento.*

Si cui longior videatur hæc descriptio, sciat modum esse inductionis poeticæ per exempla.

(b) *Elegantiæ fuit veterum vestibus figuras varias, & historias intexere. Notum ex Athenæo l. 12. de chlamyde Demetrii, & Sidon. & ex Apollonio in Epithalamio Polemii de palla Jovis, &c.*

Hæc inter ſcatebris ſurgens illimibus unda,
Decurrenſque nemus per textile, proflua ſenſim
In fluvium tumet. Haud alio juvenilia mallet
Fata redordiri Cephiſia fabula rivo.
Fecerat & variis implexum tortibus Anguem
Arboris eximiæ per lævia brachia volvi,
Virginea inſignem facie, illecebraque juventæ
Pellacem, radiis ſquamam incendentibus auream,
Verſicolorem anguem. Non illi ſibila colla,
Non avidi rictus, oculi nec ſanguine ſævo
Suffecti. Arrectum pectus, criſtamque, jubamque
Mille nitorum obeunt auræ, per nubila qualis
Incedit luci adverſo Thaumantias arcu.
Femina ſiſte. latet colubri (fuge dona ferentem)
In dono coluber. Ramos pars cætera longo
Agmine pone legit: rutilatque in cortice virus.
Quæ tamen illa minacem armant incendia dextram?
Ite, (*a*) pares Superis, nova numina. Forte pigebat
Noſſe bonum. Supereſt pars numinis altera veſtri.
Fœda fames, diræ ingluvies uxoria menſæ!
Decoxit ſe, meque Nepos. (*b*) e ſentibus aſpris
Eruitur panis meus, & convivia ſudant.
Spina, cave mulier, teneras ſecet obvia plantas.
Spinea, Virgo, tua eſt; & ſpinea ſemita noſtra eſt.
Viventûm dicenda parens, nova Nupta. ſed ornat
Vitalem Nympham Mors pronuba. Terra parentum
Pacta manet natos. Pomum hoc dotale marito eſt.
Parte alia cano ſpumans in ſtamine marmor, *Diluvium.*
(Æquor erat, vacuum ſed limite litoris æquor)
Et phocas turpes, & phyſeteras anhelos,
Et quæ monſtra ſeni glauco creat humida mater,
Addiderat. Montes hinc atque hinc gurgite ſummo,
Nubilus Apenninus, & Oſſa nivalis, & Othrys,
Jamque humilis, nimbos nuper raucumque tonitru

(a) *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.*
(b) *Spinas, & tribulos &c. In ſudore, &c.*

Despectans, fessisque astris datus hospes Olympus,
Vix medii eminuere. Feræ de rupibus actæ,
Hinc Pangæus arator, inhospitus inde Lycaon,
Ursaque jam siccas non irrisura sorores,
Et vulgus ruris varium vestigia miscent
Cum populo maris. Et nantes in gurgite raros
Fecerat imbelles ad sidera tendere palmas;
Sidera: sed medii prohibent commercia nimbi
Ulteriora: latetque hærens in stamine clamor.
Interea totum non secius actus in æquor
Nubibus abruptis ruit implacabilis æther.
Undas emolitur hyems; cœlique ruinas
Devolvi in pontum aspiceres, refluumque vicissim
In cœlum aggeribus tumidis ascendere pontum.
Hæc inter texti arborei surgebat imago
Terga premens salis indomiti. nec tonsa, nec alæ
Velorum apparent ullæ; nec nubila servat,
Nec clavum Palinurus. aquarum in montibus arbor
Acta ferebatur, nec, quò ferretur, habebat.
Ultrices undæ! (a) in vestro primordia rerum
Concrevere, tener vestro sub lumina mundus
Prodiit ex utero. generis spes ultima nostri,
Quæ supèr, & mundus tenui natat in trabe totus.
Causa mali Dea. sed natalibus interit illa
Arreptæque facis pœnas expendit in undis.
Emersura. leve est & mobile Cypria numen.
Mortua? femineum genus est; & mortua fallet.

Conflagratio Pentapolitana.

Hæc oculos ego cùm tacitus per singula ferrem,
Non procul inde novos objecit tela timores.
Infames an sola domat fax altera tedas?
Nempe venit nimbis ruptus flagrantibus imber
Tetrior; accenso fervent in vellere flammæ,
Immissusque ostro dirùm rubet aureus ardor.

(a) Oceanumque patrem rerum. *Virg.4. Georg. ex opinione Thaletis, & veterum Philosophorum, qui omnia ex aquis generari asserebant.*

Sulphureus

Sulphureus ſævit vapor, ignivomæque procellæ
Turbo vorax. urbes, tabulata per alta volutis
Vorticibus flammarum, acies Vulcania regnat
Per medias; populant tedæ ſylvaſque, lacuſque:
Fumat humus, denſæ candent in nube favillæ.
Corripuere viam trepidi per opaca locorum,
Obverſi in ſaltum, quà ſe ſubducere campi
Incipiunt, tumulique leves attollere callem,
Vir, conjux, natæ geminæ. Quò lumina, Virgo?
Fœdifragas oculorum acies ad mœnia flectis
Sulphure digna, ſacroſque lares. Riget illa; ſalemque
Artifice argento mentita reſiſtit imago.
His auro, ſpirant aliis in marmore vultus.
Sola ſalem Lothis meruit? non Lothida ſolam
Commendant famæ vultus in terga retorti.
Undique multiplici textam formidine telam *Serpentes igniti, &c.*
Cernebam. Ignitis ardent ſerpentibus iræ;
Infigunt morſus, animamque & virus inhalant
Lethiferum. Denſa plaudit ſub nube coturnix:
At condit Mors atra dapes, & funere menſam
Inceſtat. Labe immani deſidit, & ipſos
Immiſſo Manes exterrens æthere tellus
Hinc ſcelus haurit in abruptum. Pendentibus illinc
Objectu vaſto ſaxis, aſperrima rupes
Tollitur in cœlum. Ruit extimulata ſiti plebs,
Circumfuſa. Riget rupes; at verbere cæſa
Liquitur in fontem. At grandævi funeris umbris *Aaron.*
Redduntur ſuprema. jacet frondoſa pheretro
(Triſtes exuviæ, & fidei monumenta caducæ)
Virga, ſacerdotalis apex, & ianthina byſſus,
Mala, bis & ſeno totidem cum nomine gemmæ,
Et ſacro fluitans non amplius infula collo.
Te quoque, magne Pater, votorum in margine cerno *Moſes.*
Supremo poſitum. Phaſgæo e vertice terram
Deſpicis expectatam olim, fugientiaque arva,
Et longo, per iter cæcum & loca ſenta, petitos
Circuitu annorum fines. Ephraimque, Manaſſemque

Obtutu legis, & ſpatioſam Nepthalis oram,
Quàque patet latè Judas projectus in Auſtrum,
Extremique ſinus pelagi. Ditiſſima terra.
Par opibus formæ ſpecies. Sic ora ferebat,
Sic oculos, ſic purpureo vernabat amictu
Longo ducta gynæcei Natura receſſu
Eoi in thalamos (*a*) horti. Lætiſſima ſalve,
Lacte fluens, manans & mellis nectare tellus.
Sed moritur. tellus alio luſtranda ſub axe eſt;
Et ſacer hoſpitio ſedem parat exulis umbræ
Thariadæ ſinus. An Moſi tam ſaxea rupes?
Digna, fides quam, ſi qua potens magis, in mare tollat.
Flent ferrugineæ valles, epicedia miſcent
Atrati montes. It funebris ore ſacerdos
Incompto, pronamque manus faſtidit acerram.
Hic ſitus eſt tumulo inſcribi juſſere Camœnæ.
(*b*) Incertum ſedes at fugerat invia vatem.

Nationes variæ.

Inde ubi deflexiſſem, agitata lacinia gentes
Obiecit ſpectanti habitu, vultuque, modoque
Diverſas; Garamantas, & ultima Bactra, dieque
Noctescentem Indum nimio, Phariumque Canopum,
Quaſque ſecat Ganges, & quas Pactolus arenas,
(*c*) Arſacium ſolem, atque Othomannæ cornua Lunæ.
Omnibus his minitans æther, & cuſpide telum
Imminet adverſa; dextramque e nube tuebar
Implicitam capulo, qualem, cùm flammea cœli
Porta tonat, flagratque Dieſpiter, acer Apelles
Armatam nimbis oſtendit, & igne rubentem.
Undabat frameæ vibrantibus undique flammis
Ardor, & extremus rorabat ſanguine mucro.

Anglia.

Tuque Nurus tu Nerines formoſa, perenni
Et maris, & curarum æſtu perfuſa tuarum,

(a) *Paradiſi ſcilicet.*

(b) Et non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem. *Deuter.* 34.

(c) *Perſas, quorum numen Sol.*

Extremam

Extremam infelix implebas Anglia telam.
Infelix? nam quæ felicior? orbita fines,
Usquam si qua fuit, lustrat Saturnia nostros.
Attamen ille quis ora *(a)* Deæ, comitumque severus
Insedit terror? necdum exaturata resedit
Ira? reæ num quid superest de sanguine venæ?
At quas non terras nuper, non æquora tinxit?
Anglia, tange aras. & adhuc ambire minantem
Obsequio poteris. da thura; crementur odores.
Votivo poteris celare piacula nimbo.
(b) Illa nihil. Clauso coeunt aulæa theatro.
Avertentem atri nimbi, Boreæque curules
Avexere. *(c)* Fragor, tristisque secuta tubarum
A tergo vox, & gemitus, & clamor, & iræ;
Tum squalor gravis, & pheretrorum lugubris ordo:
Haustusque urbes fatalis ab ignibus ardor.
Sol oritur. Roseo perfunditur æthere terra.
Fallor? an hi nubis ludi? num talia fingunt
(Haud equidem reor) aereæ spectacula scenæ?
Excutior tandem, & suspensus numine multo
Rura *(d)* procul circumspicio subjecta, situsque
Villarum dulces. hæ prono in margine pendent
Clivorum: has querulæ per valles ambitus undæ,
Et depressa tenent: fugiunt in opaca, sinusque
Sylvosos aliæ. Latet incola. Tuta recedunt.
(e) Ruris alumna, meis olim gens hospita Musis.
An par hospitio merces? Nec rostra, nec aulam,
Nomina seu prætexta, nec alta theatra, nec urbem
Aspicio; sed nec turbas ego, seu quod in urbe
Urbis inest. Pars naturæ sincera, prioris

Circumspicit Poeta ex eodem loco rura subjecta.

(a) *Justitiæ.* (b) *Justitia.*
(c) *Indicia bellorum, pestis, & incendiorum, quæ consequebantur.*
(d) *In vicino, pro oculis, ut accipitur nonnunquam.*
(e) *Horum de Rure occasio sumpta potissimùm ex eo, quòd Princeps se contulerit eò in fuga.*

Ævi flos illibatus. Bona si modò nostis,
Quæ vestræ recubant humili sub fronde myricæ,
Gens o fortunata nimis! Si limite Parcæ
Signarunt tenui vitam, nec in æde lacunar
Sidonium laxa splendet, nec rupe recisas
Mygdonia testudo premit speciosa columnas,
Palla nec Indorum filis illusa refulsit:
At cultus morum, & censu casa simplice dives,
Virtutis domus antiquæ tibicine fulta,
Pax indelibata, proculque nocentibus armis
Pacis opes, & damnosæ mens inscia culpæ,
Et responsuræ culpis mens inscia curæ,
Non desunt. Si non mensis accumbit eburnis
Lauta fames, gemmave sitis bibit: at neque terret
Seta dapem. Ambitio sæva, Insidiæque per oras
Auratæ lancis serpunt, similesque (*a*) parenti
In vino libat genialis concha tumultus.
Incolume in vili est. Modici nec rixa salini
Nec livor condit cœnas. Quàm læta diurno
Empta labore quies, cui somnia temperet albo
Vespertina teges! portæ cùm limen ad aureæ
(*b*) Apparet timor, armatus licèt, at timor, & nox
Ægra, soporque vigil. Ruri sed nec sua deerat
Regia; nec forsan minùs aurea: Thyrsidis aulam
Cùm Tituli intrarunt nulli, nec sorduit auro
Læsus honos. Erat, & Dryades meminere superbæ,
Tempus erat, cùm sylvestris mutaret aratro
Consul ebur: cùm, quæ tauris juga dempserat, hosti
Indueret, terræ dominis dans jura, colonus,
Farra serens, & regna metens. Se fictilis aureum
Jupiter e Sylva peperit. Rus montibus Urbem
Et mundo imposuit. Nobis ingloria sordet (nat.
Sylva? Tuum tamen est, Sylvane, quòd Anglia reg-

Surgit, & amici hospitio excipitur.

Surgo, & vicinas primo, quà semita monstrat
Proxima, fortunæ ductu divertor ad ædes.

(a) *Mari.* (b) *Apparitoris munus exercet.*

Hic

Hìc, ubi pulsa fames epulo breviore, sitimque
(Nam neque vitea erant, nec erant Cerealia. casus
Sic tulit.) infusis Acheloia pocula citris
Restinxere, gravem fingens ad mollia frontem,
Quisquis es, Hospes ait, felix ades, & Jove dextro.
Splendida erat nobis, & erit quæ splendida semper,
Vertentes annos (a) Carolo quæ læta reclusit,
Altera lux. meliore meas signanda lapillo,
(Interdum, inque loco fluimus; curisque nec ipsi
Stultitiam miscere brevem vetuere Catones)
Et nectar Genio fundens, & debita dona,
Alterno pessum illa dedit certamine cellas.
Hìc hominem lustrans oculo propiore, Nec oris
Illius, inquam, hospes videor: nec forsan ademit
Me tibi sera dies. Stupet improbus ille: meoque
In vultu fixus, Naris quia lentus obesæ,
Hæreo; mox, Occurris, ait. Vestigia retro
Pristina, servatos si ritè remetior annos,
Scotus ego, tu Gallus eras. An te fugis? & jam
Bis centenam egit rota Cynthia, ter denamque
Sub terras hyemem, Aurelæ sub mœnibus altis
Ex quo bellacis Nymphæ nos signa secuti
Contulimus duce sub Calabro zonamque, manumque,
Conque tubernales Ligerino in cespite somnos.
Panthoides; inquam. Sed ludicra mitte. licebit,
Communes spatiis brevioribus insequar annos.
Oxonio prô quantus abis! Grus advena, credo,
Excidit. At cujus pluma candescere Corvum?
Substitit; irrubuitque. Alludere plura paranti
Cætera surripiens in collum invasit: &, Idem
Tune mihi ipsus, an ipsus, ait? Sex addita lustris
Altera jam ex illo messis. Rhamnusia ludum *
Ex illo varium lusit. Sed, amice, tot inter
Cyclopum scopulos quo naufragus assere salves?
Hìc reliquas multo sermone fefellimus horas.

* *Varios sc. inter bellorum intestinorum casus.*

(a) *Erat enim natalis Principis dies Maii 29.*

Instaurat

Instaurat mensam vesper, mensamque secutus
Excepit sopor, excepit sua pluma soporem.
Postera ubi radios in somnum Cynthia lampas
Injecit primos, e molli membra cubili
Corripio, velox & roscida prata reviso.
Nec matutinus minùs hospes; Et ecce sereno
Aspirant, ait, Eois e finibus auræ.
Lustremus campos libet, Auroraque fruamur?
Pergimus, alternoque viam sermone levamus.
Inde, solum ut tumuit tumulis acclive, supinum
Cœpimus obniti in callem. Pede fervidus urget
Ascensum comes. Insto viam. conferre sed æqua
Lite gradum prohibet non æqui poplitis ætas.
Defessi tandem considimus. Editus amplum
In valles dat despectum locus. Undique Juni
Apparent ineuntis opes, & puberis anni,
Umbriferi saltus, arvisque natantibus Euri
Impulsu turbata Ceres, viridesque procellæ.
Quin age, (sermoni cœpto comes instat) & istam, (a)
Complexu procul arboreo quæ secubat, ædem
Respice, virgineo notam candore, patrumque
Relligione sacram. Teneris dat candida vestis
Virginibus, necnon (b) Sedi per secula nomen
Concolor. Excidio tristi Vigornia postquam
Subsedit, (neque enim famæ cum spe modò tantæ
Belli hujus licuit Carolo componere palmam)
Res acta, & cessum fato est. Plaga lucida coeli
Vertitur interea, surgensque parentis opacæ
E gremio, opportuna diem, quæque impia fecit
Damna dies, Nox involvit, rebusque colorem
Abstulit aspectu fœdis. Quà proxima cursum
Spes dedit, huc ducente fugam regione viarum

Narrantur ab hospite nonnulla, quæ digressum e Vigorniensi prælio excepere, occasione capta a locis sub aspectu positis. Novit Poeta, quo præsente hæc renarrentur. Atqui & Auditoris, & sui oblivisci videntur Poetæ sæpe, dum Lectori consulunt.

(a) *Hic demum Lector in hac narratione, quæ continuatur usque ad finem circiter pag. 77. meminerit, quæ adnotabantur in Argumento.*

(b) *White Ladies: sive Dominæ candidæ.*

Tenditur

Tenditur. hoſpitii niveum non diſparis offert
Hæc omen ſtatio. In peditem, & ſine nomine turbam,
At nodum pugnæ ingentem, violentia campi
Tota, & flagrantis belli incubuere ruinæ.
Seu cæſi, ſeu capti omnes. ſors ultima cæſis,
At potior cecidit. Patriam, compendia ducunt
Quà propiora, fuga repetunt Calydonides alæ.
Irrita res. patriæ paucis permiſſa poteſtas.
Egregiæ nimirum animæ, & melioribus ortæ
Sideris Arctoi radiis. quàm, ſi qua priori
Inſedit famæ, labes eluta, novumque
Claruit ad proavis dignum nova ſemita nomen!
Sanguine ſancta fides veſtro eſt. & ſanguine ſancta
Integri vigeant in relligione minores.
Cardine in hoc rerum tanto, quò tenderet, anceps
Hæſit in ambiguo Princeps. ceſſare vetabat
In peius præceps hora, in mediumque jubebat
Conſulere. In varias Procerum ſententia partes
Scinditur. Hìc ſubitus media inter talia rumor
Diditur accelerare hoſtem, jamque affore certum,
Conſiliiſque inſtare diem. Mora rumpitur omnis.
Fractæ conſultura manet fuga ſola ſaluti.
Non ſecùs ac moniti properant, invitaque mœſti
Corpora ſubjiciunt in equos. Ad terga labores
Diverſi, & ſors poſt equitem ſua quemque ſedebat.
Quæ cuique acciderint diſcrimina, mitto; nec hujus
Eſſe putes operæ forſan meminiſſe, nec oti.
Perge, inquam. Noſſe illorum mihi contigit unum
E numero: nec Famam olim meminiſſe pigebit,
Dum laudi, & meritis maneant ſua præmia: dignum
Patre, ſed aſtrorum placitis melioribus. Exul
Nobilis ut poſtliminiò remearet in urbem,
Cura domus tulit. at, capiti cauſæque macello
Addictæ metuens latebris & noctis aſylo
Fidebat. nec me latuit quam prenderat arcem.
Sermo illi pugna ſuper, & diſcrimine ſummo,
Digreſſuque frequens. Illo narrante ſuorum,

Communiſque fugæ caſus, Quàm ſæpe ſub axe
Nocturni Jovis ipſe per invia teſqua, viæque
Fallacis vario perplexos tramite ſaltus
Ferret iter, nunc incedens, nunc aure maligna
Arripiens ſonitus omnes, noctemque, diemque
Adverſam, plenam incertæ formidinis illam,
Hanc latebris non uſqueadeo, furtiſque faventem,
Incuſans, Quàm ſæpe famem vapidave polenta,
Semeſave penu depelleret, & dape cruda,
Cæteraque, hibernos retulit quæ ſerus ad ignes,
Ingemui ſæpe. & narrantis ab ore pependi,
Abſtiteruntque meo lachrymæ auſcultantis ab ore.
At ſiluiſſe licebat, ait comes. ut mihi luctum,
Sopitoſque moves animos! mihi vulnus adactum
Altiùs, & memorem doleo crudeſcere curam.
Nam capitis menti alterius funeſta recurſat
Heu capitis chari ſpecies. Quàm ſæpe, ſub armis
Dum pugnacis equi premeret luctantia colla,
Hærebam affixus lateri! Caput atra bipennis
Abſtulit; & lacerum luget (*a*) Boultonia funus.
Ille ubi (*b*) regali multùm flens oſcula dextræ,
(Triſte miniſterium) ſupremamque ore ſalutem,
Qua non ipſe potiturus, libaverat heros,
Conſcenſis Proceres in equis (ex ordine deni
Vix toto quater) a vultu liquente capeſſunt
Auſpicium curſus primi. Sub margine ſylvæ
Extremæ, bivias aperit quà cædua fauces,
Arboreum inde vides ingens ut vulgus inumbrat
Ulmorum par, aereoque cacumine nutat?
Illac, ad dextram exterior quà ſemita ducit,
Se trepidi glomerant in iter. ferrata fatigat
Cornipedem calx, & piceam rapit ungula nubem.

(a) *Oppidum in Comitatu Lancaſtrenſi, ubi Comiti Derbienſi caput amputabatur a perduellibus.*

(b) *Nam digredientibus cæteris ſubſiſtit Carolus in viċinia Whiteladienſi modò memorata.*

Ecce

Ecce autem captivæ urbis per mœnia furtim
Elapsus (multa interea divortia, circùm
Agminibus fusis, speculasque insederat hostis)
Exploratorum fugiens infesta sequentum
Arma Levistonus spumantem in pulvere frænis
Immissis agitabat equum, campumque terebat
Fervidus. Illum ardens districta cuspide prædo
Insequitur; pulsu alipedum gemit ardua tellus.
Respiciunt, animi ancipites. Tum fusus in orbem
Fit globus. In tutos elabitur ille receptus.
Hostis abit, retroque datis aufertur habenis.
Inde novus turmæ comes additur. illa (*a*) cohortes
Dudum certa Caledonias apprendere cursu (pum.
Urget iter cœptum, & propero quatit agmine cam-
Jamque e conspectu saltus, primasque novales
Transierant, Neoporta, tuo. Pars lentiùs ire,
Et vultu spes afflictas attollere læto:
Pars alacres descendere equis, &, si qua fefellit
(Qualia multa viæ veniunt) attrita supellex,
Instaurare manu, & parti succurrere læsæ.
Sublatis hìc fortè oculis procul æra cieri
Conspiciunt, atque, ut passim disclusa dedere
Effugium soli tenues per nubila rimæ,
Luce lacessiri. Visum intercepit oborta
Caligo, (*b*) dumisque palustribus obsita vallis.
Confestim (*c*) Scoto unanimes, sociisque catervis
Acclamant: signis sociis adjungier ardent;
Subsistunt tamen. Inde frequens campestribus ulmis
Interjectu amplo fecit discrimina lucus,
Molle siler, glaucaque salix quem fronde coronant;

(a) *Cohors peditum propria. Virg. Æneid.* 11. *transtulit ad equites.*

(b) *Dumi illi erant ad dextram; tum modico inde spatio Lucus ad sinistram.*

(c) *Scoticæ enim turmæ, quas falsò autumabant has esse, præcesserant. proximè sub captam urbem.*

Adverſos hinc in colles dum prodeat agmen,
Expectant taciti, ſpeculariaque inſuper arma
Expediunt, inque apta tubos diſcrimina laxant.
Hæc inter denſant auræ, pulſataque longè
Dat ſonitum tellus. gemitu ille & turbine cæco
Allabi tractim, motæque horreſcere ſylvæ.
Diverſi circumſpiciunt. tum certior, inde
Certior advolvi ſonus, & clareſcere murmur.
Emicat e dumis, citimique crepidine ſaltus,
Quà non ſperavere, malum. vomit undique belli,
Quà patuit, nemus adverſis e faucibus undam.
Sic quibus Americen amor eſt inviſere, longus
Incertos, notique emenſos ſidera mundi
Exercet labor. intereà, quà margine viſum
Terminat, extremumque polo contexitur æquor,
Sæpe globum obſcurum cernunt, falſoque propinqui
Litoris indicio capti, Tritone ſecundo,
Conclamant terram; ventos nec gaudia ferre
Vana vident. (*a*) Neque enim quid erat, quàm nubis a-
Conceptu turgens ſinus, in cumulumque coacta (quoſi
Tempeſtas, ſufferta Notis & Orione toto
Foeta domus. mox, emiſſo per cærula nimbo,
Turbinibus totum involvit mare. lintea cogit,
At peritura, fidem ſi luſerit anchora, pinus.
Pergo? (*b*) Moras amat, invitus qui pergit. In hoſtem
Tentanda, & ferro turmas rumpenda per ipſas
Reſtabat via; ſed, numero ſuperante, procellæ
Ceditur: avertuntque. negat Pudor, & Pudor addit,
Imperii frænum indignans, animoſior alas.
Jamque incumbebat tergo, calcemque premebat
Prædæ avidus tantæ miles. novus ecce minatur
In frontem, adverſoque ſupervenit agmine terror,
Decurritque jugis, infeſtaque tela coruſcat.

(a) *Et modò habetur pro indicio uſitato Turbinis (Hurricani) præſertim in mari Americano.* (b) *Et excuſatio hæc eſto ſimilitudinis illius longioris.*

Tun

Tum verò concussi animi: exanimisque vicissim
Terga dedit spes. aversi in diversa, secat spem
Quà sibi quisque, citoque feruntur in avia saltu
Præcipites. Quàm lenta fuga est, ubi fata sequuntur!
Urna tamen quàm dissimiles ciet arbitra sortes!
Præ reliquis, Derbi, infelix! ut moverat urna
Nomen iniqua tuum, non exorabilis uni
Injecit tibi Parca manum. Crudelibus Heros,
Et fidei magnæque animæ reus, occubat umbris.
Eximium caput! immerita cervice revulsum.
Occidit: & (*a*) positum affata est Boultonia corpus.
(*b*) At tu, quam coluisti animam, Regina volucrum,
(Vincla soluta) tuo comitem comes infer Olympo.
Carolus interea quid agit? Fastigia lucus
Illorsum, viden', ut patet in discreta biformis?
Boscobel illa tibi est, multa notissima fama
Boscobel, & nostras inter cultissima sylvas.
Carolus hìc, & solus adest sibi. solus. at ægrum
Quot circumsistunt curæ! Vigornia, causæ
Contusæ facies miserabilis, eruta bello
Spes rerum, insultans hostis, fuga, terror, in ipsis
Omnia sunt oculis extrema. Strepentia nuper
Tympana, cornipedum fremitus, ærisque canori
Classica personuere aures; nunc murmure soli
Diverso alituum questus. Eques atria nuper,
Excubitorque frequens sepsit; nunc ultima restat
In vacuo tutela. Latus regale cohortes
Arboreæ stipant saltem. Famulone caducum
Subsidio in bellum venient? hastilia spondet
Fraxinus? armandos Taxus se torquet in arcus?
Æquoreisne audax occurrere casibus Alnus

Relinquitur interim Princeps solus in primo secessu nemoris Boscobellani; Comite ad tempus digresso ad alteram nemoris partem, ubi Pendrelli habitabant.

(a) *Vox funebris & Libitinaria, quemadmodum & verbum*, affata, *more veterum.*

(b) *Allusum ad historiam mirabilem Aquilæ nostratis Derbianæ, & Apotheosim Heroum apud veteres.*

Abiete

Abiete cum socia promittit, utramque futura
In sortem comes? Et forsan Saliaria Buxus
Prælia, matremque Idæam, Querceta Tonantem,
Populus Alciden jactat. Sed non ope tali,
Non armis his tempus eget. Si cornus egeno
Perfugium, si faginea sub fronde latebram
Præbeat umbra, sat est. Juvenem nunc (a) altera fregit
Fortunæ septembris hyems. Septembria vobis
Sidera veris habent multum: neque proxima Pleias
Sparsit adhuc sylvis tabem. succurrite nudo,
Dum licet, & foliis operite. benignior olim
Auxiliatrices Aquilo sic tondeat umbras.
Spissum erat, ut memini, cœlum. Ne fortè latebras
Luce mala præsens offenderet, inter opacas
Se nebulas clam subduxit, tenebrisque modestus
Indulsit sol. Et visus quoque flebilis æther
Indoluisse. sed officeret ne tristior æther,
In rorem pendens abiit vapor. Ille sub (b) ulmo
Considet, & varia confusus imagine mentem,
Ut circumspexit sese, lachrymisque, dolentis
Angores animi quibus immaduere, pepercit,
Hæc secum. Mene hanc animam servasse (nefandum!)
Casibus his? & non potuisse tot inter acervos,
Et cædes miserorum Umbris, Pater optime, natum
Adrepsisse tuis? Et nunc dulcissima Mater
Scriptorum, lauro anticipans quæ sæpe revinxi,
Expectat spe plena fidem. fors & prece multâ
Thurea dona tuis adolens, Lutetia, templis
Vota facit. Vivo. Superis vel sic rea Mater
Me debet. Vivo? Nimio de stamine cogit

(a) *Prima scilicet fuit in prælio Dunbarrensi, eodem mense Septembris, anno ante hoc Vigorniense prælium proximè superiore.*

(b) *Novi, quam arborem posuerim. Est enim Quercus illa memorata, in qua latuit Princeps, in altera parte nemoris Boscobellani.*

Rursus

Rursus cura queri. Cur non periisse licebat,
Cùm periisse decebat? an est mihi vescier aura
Tanta cupido? diu vixit, quem vivere tædet.
Si vicibus rerum numero, non solibus annos,
Consenuit dudum ægrescens & cana juventus.
Humani, sic permisit natura, dolemus.
Et mentis quis non livet sub nube malorum
Vel summæ color? At, veniam quod fortè dolori
Conciliet nostro, satis est. Fortuna, gementem
Quæ ridet, simul excusat. Me sortis in orbem
Dudum egit rota: nunc toto me turbine versat.
Dedecet at Regem nimius dolor. ut minùs ictum
Distineat, non succumbat tamen. imperet, armis
Et regno exutus, saltem sibi. Contigit (*a*) ævi
Nostra gradus jam nunc ætas, quibus arbitra cœpit
Esse sui. Vitæ sed præsidet Arbiter omni
Major. ei me dedo. malis cui texere visum est
Prætextam, ille togæ filum (quid nempe recusem?)
Quod lubet, immittat. Tanti cùm Numinis urget
Imperium, ut nolim, sequar: obsequioque rebellis
Invito fiam. Cœlum incendisse querelis
Haud licet. Et Superorum iræ mortalia curant.
Formidant ferrum sylvæ. tamen utile ferrum
Compescit rus exuperans. Humana cupido (tem
Spargitur immodicè. fastum hunc, luxumque fluen-
Votorum, nimiumque hominem depascere justum est.
Testor, dulce mihi quondam, nunc flebile nomen,
Patria, dulce tamen semper, tua vulnera pectus
Quàm mea confecere magis. Moderamine clavum
Qualicunque tuum tenui. me præside, durum est
Te laceram, inflictamque vadis periisse. Procellis
Si, patria incolumi, cecidissem victima solus,
Saxa cinis non infelix ad sacra jacerem.
Quid loquor? an totus perii? Incubuisse ruinæ
Urgenti miseros Deus improbat. An mihi tandem

(a) *Annum scilicet* 21.

Afflictæ

Afflictæ sic ad terram, fractæque jacent spes,
Ut non respirem? cecidi. jubet ille? resurgam.
Non, si nunc hodiernus, eodem crastinus æther
Imbre madet. Qua nunc subter consedimus, & quæ
Defendit pluviam hospitiis florentibus ulmus,
Nuda, rigens, similisque mei, dequesta rapinam
Imperiosæ hyemis, fœdata nivalibus Euris
Brachia tendebat cœlo. Solatia restant
Mœrori quæ sola meo, quæ cantibus aures
Demulcent, bruma populante cubilia, mœstæ,
Justitio indicto sylvis, siluere volucres.
O sortes hominum arcanas! O invia Divûm
In seseque recedentis sacraria cœli!
Hunc monet, incursu valido ferit hunc Deus, illum
Territat, aut telo stringit levis ira (*a*) secundo.
Justitiæ facies dispar; & verbera cædunt
Non eadem. sed quemque manent sua. Verbere cædor:
Sed quali natos solet exercere benignus
Virtutum exactor Deus. Hoc solamine curas
Tempero. Sunt, non diffiteor, solamina; saltem
Qualia quæ veniunt a verbere. Dixit. (*b*) At aura
Instrepuit foliis. & proxima tendere contrà
Per dumeta Senem sensit. Sylvescere vultu,
Atque habitu, infusoque humeris sine lege capillo
Visus. at, abstulerat si non præcepta pericli
Suspicio mentem, potuisset regius illo

(a) *Et aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ: Tela secunda vocant Superi.*

(b) *Offert se Nato in illa solitudine Pater jam ante extinctus, sed habitu sylvestri, toto tempore incognitus.*

Poterat hìc ab eodem Narratore aliquo modo commodo, eoque, qui cum Argumenti instituto conveniret, aliter induci idem Pater, & varia alia inferens de futuris, de modo gubernandi, &c. sed erat, quod suadebat, ut a proposito desisteretur.

Agnosci

Agnoſci ſub rure Pater. Tum lumine corpus
Ambiguo totum luſtrans ita commodus infit.
Terreris, Pugil, & terres. juvenilibus errat
Terror uterque genis. Immunes crimine curas
Solve metu. nec ſylva timet, nec ſylva timetur.
Hæc te ſi ſervet, Patri non defore credam
Elyſium nemus. O Superis quàm dulce, quod ulnis
Amplector, caput! Ille ſilet; gaudetque: nec, unde
Gaudeat, allucere videt: Natumque fatetur
Inſcius. Imperio potiere. at cætera Numen
Effari vetat. Hoc tantùm. Te plurima paſſum
Plura manent. Zephyri medio in diſcriminis æſtu
Cùm te deficient, inopino flamine mittet
In portum (*a*) Boreas. Monſtris *fatale* domandis,
Cardine ab Arctoo miſſum venerabere *Nomen*.
Hic tibi—prô, animi largus fideique: futurus
Et largus dextræ. Illa ſpei ſcintilla ſuperſtes
Sola tuæ. manet illa focos ſcintilla triumphis
Incenſura tuis. *Ignis* dicetur (opacæ *
Ut mentis modò caligans in *Nube*) *columna*,
Per deſerta Poli fœdus præitura. Sequentur
Et Pax, & Pietas, & victa Britannia victrix.
Ille litat Marti ſine ſanguine. Sub Duce tanto,
Sub (*b*) Patre (quàm munus cognomine!) ſub Patre
Vives. Tu cineri funus, cùm fata vocabunt, (tanto
Inſtaura. Fama excedit fatale tribunal.
Tantum effatus. & in verbo diffugit. At ille,
Quò non nota mihi mea gaudia? Dixit. & adſunt,
Hoſpita quos comitis monitu vicinia miſit.
Hìc tandem, ut rerum dubius formidine multa
Libraret ſpes oblatas, at fallere lucem
Hìc tamen, atque hoſtem placuit. Fugientibus æſtum

** Nam incertum primò erat, quò ferrent ejus conſilia.*

Latet Princeps habitu mutato, & committitur tutelæ Pendrellorum: Qui nemoris partem alteram incolebant.

(a) *Subſidia viz. copiarum Anglicanarum, e Scotia ſub Georgio Monko, Duce d' Albemarle.*

(b) *Carolus in Angliam reverſus, cùm primò illi occurriſſet Dorobernii, compellabat illum & Patriæ Patrem, & ſuum.*

L Pro

Pro portu quævis statio est. In nube latebram
Sol habet. ut lateat nobis, sibi lucet: & ipso
Nil de sole perit. Titulos, insignia, regem
Exuitur totum. Mox ferro tonsus agresti
Undique decrevit vertex, aulæque comantis
Luxuries posita. auriculam sed fusus ad imam
Perpetuo cirros gyro tumet orbis in æquos.
Tum placuit ruri similes inducere vultus.
Infectæ mista pallent fuligine palmæ.
Tum vetus e vituli spolio & malè commodus ambit
Regales artus thorax, olidusque, nitensque
Affrictu pingui. prasino de gausape turgent
Inflexæ ad suram, substricto poplite, brachæ.
Par crines umbrat petasus, par fascia suram
Involvit, par astringit vestigia pero.
In manibus robur nodis & cortice crudum.
Et totum rus induitur. Pendrellia circùm
Assistit pubes, & se miratur in illo.
Pendrelli fratres, humili de sanguine nomen,
Quos genuit pia pauperies, & nullius aulæ
Simplicitas aluit. sylvis educta juventus,
Natales ultra curas extendere mentem
Assuetam parvo, Celeique excedere gazam
Nescia. Rerum omne imperium brevis aggere fundi,
Septoque hortensi, atque angustæ limite caulæ
Terminat ambitio. fragili magalia culmo
Cœlum arcent, facilique famem dape frigida mensa.
His ergo raptus Juvenis de rudere belli,
Anglia quo læso cecidit, quo sospite surget,
Fortunæ rediture obses, spesque unica rerum
Credita? Sic magnorum operum fundamina ponit
In nihilo Deus. Accisis ubi viribus arces
Defecere, (*a*) levem porrexit aranea telam.

Tentatur fides unius e fratribus Pendrellanis.

Horum unus (solvendo æri lux affuit) æris
Solvendi reus, admonito priùs Hospite, pagum

(a) *Allusum ad historiam Felicis.*

Inde ad contiguum velox concessit. In hostes
Delapsus medios sensit miser. undique pagum,
Armataque aditus indagine presserat hostis.
Illum ubi conturbatum oculis, variosque colores
Pallentem, presso hærentem pede, mentis & ægrum
Conspexere, (neque hæc animos tum sola momordit
Suspicio. prædæ propior, nec inanis, opimæ
Contigerat nares odor) addensare frequentes
Agmen, & infusa pavidum sepire corona.
Multa super Carolo rogitant: mercede, minisque
Humfredum aggressi. Merces at cassa, minæque
In ventos abiere. sua stat mole, nec ullâ
Illecebrâve, metuve labat Pendrellia virtus.
Arreptum subitò juvenem in conclave retrudunt
Arbitrio subductum omni. sibi redditus, uni
Addicit Carolo versatque per omnia curas.
Hæc inter crepuere fores, foribusque reclusis,
Ecce tibi quidam Humfredo malè notus (amores,
Et curas olim similes convictus alebat)
Improvisus adest. Deserto rure, merebat
Miles equo. calamus dudum illi, & tibia vilis,
Et litui potior visus canor; artificemque
Nomine pro tenui fandi doctissimus usum,
Salve, ait: amplexusque virum, Dulcissime rerum,
Ut te conspicio lætus! Nec deficit alter,
Certandi, pro rure, sciens: gaudere jubens, &
Rem salvè gerere. Officii data, reddita sueto
Mutua more salus, astrictaque dextera dextræ est.
Suscipit ille. Tui miseret me. nonne ferinæ
Pertæsum vitæ? pecora inter inertia stivæ
Devotam finis æternùm marcere juventam?
An totum glebæ vili sic infodis ævum?
Tempus erat, (*a*) cùm (sic didici) sub cortice trunci

(a) *Fabula inde orta, quòd primi homines sylvas incolerent. In lib. Anth. inducitur Quercus petens a lignatore, ne se exscindat, ut priorem matrem.*

Gestarent uteros, mensemque puerpera sylva
Excuteret decimum. viridis puer ilice foeta
Excidit, adrepsitque virentis ad ubera (*a*) mammæ
Heus bone, tu gentile, reor, quoque germen es inde
Principiis sunt & rudibus sua semina laudum.
Excole sis, Humfrede; solo committe feraci.
Belliger hæc responsuro fovet ubere campus.
Dedidicit modò canities mihi prima juventam:
Quem fatuos etiam experientia dedocet annos.
Natales humiles an humum nos lambere cogunt?
Educta in soles alios ignobile planta
Exuit ingenium; quascunque vocentur in artes,
Et (*b*) cæcæ frondes, adsit cultura, sequuntur.
Quin etiam informes e sylva divite germen
In truncos migrat. Nomen sibi Cornus adoptat
Dura novum, & mutat gentem. Nunc tempus ag
Tempus, ait. Sylvescentes quid inutilis annos (re
Exigis? (*c*) In gremium delabitur aurea cornu
Cum pleno Fortuna tuum. tibi prospice. seri,
Ut sibi nunc sapias, orant, tua cura, nepotes.
Nostin'? exploratores, & fama reportat
Certa fidem vestræ Carolum (non ludimur) uti
Perfugio sylvæ. Digito obsignata premuntur
Ora (*d*) salutari. Sentis? Humfrede, silebo.
Degener ille quis ora, quis artus occupat horror!
Prô Majestatis numen! locus est sacer. (*e*) angues
Pinge duos. Tantin' ergo sunt nomina? tanti?
Deme levem fucum, & tectoria parietis albi:

(a) *Mamma pariter in surculis arborum dicitur ill exuberantia corticis, e qua prosiliunt rami.*

(b) *Sic appellantur a Plinio rami inutiles, qui si flore, & gemma apparent.*

(c) *Mille libræ Anglicanæ appromissæ proditura.*

(d) *Qui pollici est proximus, & quo silentium indi cere solemus. quasi nihil ad salutem opportunius oris si lentio. Alex. ab Alex.* (e) *De hoc Persius.*

Toll

Tolle modò e trutina fumos, & futilè vulgus;
Crede mihi, par momentum Rex, Upilioque,
Carolus, atque Humfredus. At audit Juppiter, inquis;
Relligioque animum perfuderit. Est ea juris
Est alieni, & transfertur. Dum fluctuat alnus,
Anchora quassatam religat. si frangitur, hæret
Alterius lateri. Quid? habet fortuna vices, &
Ludit par imparque suum. Quo stante licebat
Stare, cadente cades? socium si fulminis ala
Ingruat in caput, an geminum premet ira bidental?
Occiderit Carolus: telone Humfredus eodem
Occiderit? Cœlo qui nunc nitet, aspice solem.
Occidet. at non intereunt simul astra. minores
Nonne trahunt vitam solis de funere flammæ?
Fata vocant. accede vocantibus; & sapere aude.
Ille sub hæc. Equidem sapere, ac ditescere vellem.
Si qua subest, quam commemoras, tam certa latebræ
Suspicio, sylvas (facilis labor, in manibus sunt)
Duc age, qui tecum excutiant. An credere cuiquam
Ignoto Regem se credere velle popello? (est
Multus apud turbam nummi, non laudis egentem
Est pretio locus. At vanum si compererint me,
Pendere non ego, quæ minitant, extrema recusem.
Responsum simplex. res credita. &, ære soluto,
Sospitibus rediens aris soteria debet.
Interea sol incaluit: consurgimus. hora
Nos abitum monuit: discedimus. Inter eundum
De fortunæ habitu reliquo, fatique biformi
Incessu multus sermo. Pendrellia salve,
Ut rerum in censu tenuis, sub sidere parco
Nata, tamen, quæ censentur probitatis in arca,
Dives opum, pubes. (*a*) Nec te memorande silebunt,
Huddelstone, meæ, siqua est ea gloria, siquam
Ferre valent ævi partem mea carmina, Musæ,

His ab hospite enarratis, consurgunt e loco Poeta, & Hospes.

(a) *Aliqui alii, quorum ope in primo æstu periculi Rex utebatur in fuga.*

Cui

Cui (a) BENE Dii DIXERE tui, ſublimius omni
Invidia nomen. Tuque intemerata Lanorum
Progenies; an tanta viget ſub pectore virtus
Femineo? viget. & tanti *Dux femina facti.*
At lethes te quæ teneant oblivia, tota
Permeſſi lympha dignum, Carloſe? Loquuntur
(b) E *Quercu* æternâ memores tua facta *Coronæ*,
Et *Sceptris* tranſverſi *Enſes.* Tua prælia Patrem
Defenſum dederant olim, modò dextera Natum.
Dextera te Fidum memorat, te prælia Fortem.
Per vos ut *Reges regnent*? quæ tanta poteſtas
Vobiſcum cœlo communis? At Anglia ſceptro
Dum dominam admotura manum eſt, & veſtra Bri-
(Vera loquar) ſceptris intexent nomina faſti. (tanni
Carole, quàm ſit amor Superûm cœleſtibus illud (c)
Tam tabulis altè inciſum, cœlique repoſtum
In curas nomen, tua quo fluat omnis ab aſtro
Vita, vides. Cœlo debes. Et creditor idem eſt, (d)
Cui nos debemus. repetet ſibi debita, quàm te
Non alio ſponſore, Deus. Multeſima ſi qua
Pars ſupereſt, ſolvenda tibi multeſima pars eſt.

Salutato hoſpite, diſcedit Poeta.

Ædibus hìc notis ſucceſſimus, integer hoſpes,
Feſſus ego. Affectas ubi vires menſa refecit,
Protinus, hoſpitii perfecto munere, ſolus,
Et pedes, ut ventum, abſceſſi. Mens libera vatum;
Liberior, cùm ſola. Nec indignatur Apollo,
Amphryſi memor ipſe, lyræque ad paſcua miſſæ,

(a) *Refertur ad familiæ ſacræ nomen, cui ſe addixit*
(b) *Carloſi inſignia gentilitia, quibus illum Princeps decorabat in futuram rei memoriam.*
(c) *Terminantur hìc Inductiones memoratæ in Argumento hujus partis.* (d) *Circa Concluſionem hanc ortam e præmiſſa narratione, & ſcopum Inductionum præcedentium, remitterem denuo lectorem ad Argumentum, ſi memoriæ ejus diffiderem. Et meminerit hæc narrari & præſente quidem Principe, & quaſi non præſente, uti ſupra dictum. P. 64.*

Pegaſe-

Pegaseos equites sortem subiisse pedestrem.
Pergo pedes, pergo Musa cum segrege solus.
Solis esse licet felicibus. unus eremum
Compensat vacuam se plenus. in urbibus odi,
Quæ mihi me rapiunt. securior incola sylvæ
In pacis latebra secum sedet, & sibi prætor,
Et populus. petimus, quæ non sumus: odimus iidem,
Quæ sumus. Arabiæ in nobis pars optima floret.
Atque hìc lætum animi, & gressus per culta ferentem
Boscobel excepit tandem: placidissima visu
Boscobel. At nemorum si non inviderat horum
Notitiam priscis Helicon, hìc nonne Napæa,
Et Dryas, & viridis sedem posuisset Oreas?
Hìc porrò (a) zonam Chloris solvisse, sinumque
Visa mihi. non immeritò cognomine bello
Boscobel indigenis dictum nemus. Inde recentem
Pullulat in sylvam soboles de caudice matris,
Virgulto major, justa minor arbore, frondis
Perpetuæ superante propagine. At altera, lævam
Quæ spectat, pars nobilior: cui nulla vigorem
Ætas inflexit, pressitve bipennis adulti
Ruris honorem. Altas incædua sustinet umbras
Ulmus, & iliceum nemus, & quæ plurima sylvam
Intonso reliquam despectat vertice quercus.
In medio partes latè discriminat ambas
Gleba ferax herbæ: felixque uligine pingui
Admittit cœlum projecta in pascua vallis.
Vallis apricanti non gratior ulla Menalcæ.
Dic, quibus in terris inscriptæ nomina Regum
Nascantur sylvæ. Te dixero, Boscobel, unam.
(*b*) Scilicet haud invita meo signabere voto,

Pergit idem inde ad Boscobellanum nemus.

Repetitio Voti.

(a) *Quid sit* zonam castam recingere, *dicet Ovidius: & quid hìc* sinum solvere.

(b) *Symmachus Ep. 28. l. 4.* Mallem, *inquit*, Aborigenum more dictionem salutis alternæ corticibus scribere. Ægyptus papyri volumina bibliothecis texuerit.

Boscobel:

Boſcobel: innocuo tu vulnere teſtis amores
Experiere meos. Dixi. &, quæ proxima, fagus
Paſſa manum eſt: altoque inciſum cortice Votum,
VIVAT REX. Udo manant e cortice guttæ,
Mortalique dolet Votum ſub lege teneri.
Sic adeo inſiſtentem operi, votoque vacantem
Diſcurſu ludens placido per opaca vireta
Duxit amor. Tum ſe patiens ut cuſpidis arbos
Obtulerat, memoris geſſit veſtigia ferri.
Creſce Liber. creſcet Votum. ſuccreverit Ætas.
Progredior. (a) Stetit ante oculos pulcherrima ſylvæ
Non longè ſoboles, uberrima penſilis umbræ,
Altera qua non commodior defendere feſſis
Aut gregibus ſiccam æſtatem, aut paſtoribus imbrem,
Celſa, ingens. Propiùs viſam, indicioque recenti
Oblatam agnovi venerans, breviterque ſalutem,
Quam nobis dederat, retuli. Celeberrima ſalve
Filia Chaoniæ matris; ſi nomine facti
Tangeris, & famæ ſenſu, feciſſe juvabit
Et Carolo, & nobis, ſeriſque nepotibus umbram.
Sic tibi nec venturæ hyemes, nec flabra notorum
Inſultent: ſic, cùm ſylvis infeſta flagrantes
Dextra rubens cierit nimbos, capitiſque minores
Deciderint, faſtum telo plectente, ſorores,
Intactam te prætereat, lævuſque ſalutet
Juppiter, & frondes innoxia fulgura lambant.
Servaſti Civem. Merita cingere corona.
Ipſa tibi texes: & te donabere totâ.
Nec minùs hinc ſeris oracula Regibus edet
Boſcobel; e Delphiſque tuis *ſe noſcere* diſcent.
Sic effatus: & adverſa ter cuſpide ferrum
Admovi; ferro ter reſtitit. Illa retuſi
Ne teli vitio fieret mora, cote recentes
Admota ſubjeci animos. nec ſecius arbos
Obſtinat, excluditque aciem. Vaga lumina circùm

(a) *Et quercus hæc eſt, in qua Princeps* [latuit] *in fuga.*

Inde

Inde ubi sollicitus ferrem, permitteret ictum
Sicubi cessurum chalybi, & mage scissile robur,
Mens aliò sensim avecta: & juvenilior arsit
In solium ambitio, Princeps quo sederat olim,
Affectare viam Accingor. potuisse videbar,
Et poteram. rami nisu luctantis in altum
Ascensus facilis. Placita tum sede receptus,
Multa putans, tacitique loci dulcedine captus,
Insternor foliis, lentoque accline sedili
Compono latus. Hìc fessis adrepere suetus,
Insidians imprudenti commisit utramque
Palpebram sopor. An solis hæsere sub (a) ulmis
Somnia? an esse putem sylvis & Morphea quernum?
Quicquid id est, semper faciles ad somnia Musæ.
Atque hìc, ut sensim illabens in membra quietem
Altiùs infudit sopor, improvisus ad aures
(Non hominem, Divam sonuit vox reddita) sese
Insinuat sonus. Hospitii sacraria nostri,
Quisquis es, haud ingratus inis. Colò (mitte vereri)
Quem colis, & semper cultura; sed altiùs ictum
Inferri vetui, atque exemi crimine Votum.
VIVAT REX? an vota minùs sub pectore vivunt
Illa meo? Dixit; gelidaque aspergine roris
Elysii mortalem oculis & pectore nubem
Dimovet. Ecce loco lucis divinior aura
Diffundi, & radiorum ardor circumdare lucum
Visus. At ante alias arbos hæc una refulsit
Splendidior, quantùm reliquos supereminet ignes
Hesperus, hunc quantùm supereminet aurea Phœbe.
Sidereo latè ramos cingebat amictu
Ætheris auricomi fulgor, referebat elenchum
Sylvestris balanus, foliorum flammeus oras
Ambibat summas auri nitor: aurea frondem

(a) Quam sedem somnia vulgò
Vana tenere ferunt, &c. Æneid. 6. *De qua re Mythologi-allegorica quædam.*

Per mediam intervalla, fibrarum argenteus ordo,
Fortè, solet qui ludibriis imponere somno,
Et modò lusit amor. Foliis spectabile votum
Objicitur mediis, VIVAT REX, litera gemmam
Visa mihi retulisse, smaragdum gemma virentem,
Lætabar pariter, pariterque expressa fugaci
(a) In folio vitæ humanæ turbabat imago.
VIVAT REX. cur in folio? durabilis arbos,
Et vivax in se ipsa quidem est, & secula vincit:
In folio brevis. Hìc scenæ fastigia visu
Suspiciens ut metibar, se frondibus offert
In summis ostentum aliud: nota pulchrior auro,
Et gemma, (tamen in gemma quiddam instar, & aur
Artificem confessa manum, quæ Noctis apricæ (est
Obtentu stellas, & (b) Thaumate vestiit Irim,
VIVAT REX. VIVIT. Suspensos gaudia sensu
Pertentant: & suspenso vox fertur ad aures.
Grata mihi in Carolum pietas tua. Quæ nova men
In dubio teneat species, adverte, docebo. (te
VIVAT REX. (c) totidem numerans expleverat anno
Regius huc cùm primùm olim concederet hospes.
Adjice VIVIT; (d) adest instans quæ vertitur an
An, Quantam VIVET, quæris? Pars cætera nido
Implumis latet. huic prona supèr incubat ala
Soli nota Pronœa sibi, sibi pervia soli.
Dixit. At humentes Lethææ rore pruinæ
Attollens alas, porta diversus eburna,
Aufertur sensim per limina cornea Somnus.
Descendo: supplex & sanctum numen adoro.
Spiritus ergo (quis, incertum est) has spiritus umbr

(a) *Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρ*
Hom. Iliad. *6*. (b) *Inde Thaumantias*.
(c) XVVI.
(d) XVVVVIII.

Itaque ad illas voces, VIVAT REX, *& post* VIVIT, *adverte ad literas vocum numerales*.

Relligio

Relligioque ingens habitat. nec sola feretur
Vox nemorum, & Superûm interpres Dodonia quer-
Abscedo: relegoque viam festinus in Urbem, (cus.
Votorum auspicio felix plenusque meorum.

PARS III.

*Proponuntur insuper in hoc Vitæ Voto præcipuè tria, quæ spectantur in vita optabili, Jucundum, Utile, & Gloriosum; * deinde Vita cœlestis æterna. Repræsentantur hæc, & alia per Pyramidem, quam erigit Autor Principi. Pro varietate Statuarum in Pyramide necesse erat varia inferri, seu ut illustrationes, seu ut propositiones mediorum ad singularum præstitutos fines. Applicationes subinde referuntur ad Lectorem.*

** Hæc postrema refertur ad quartam Partem.*

VOta, pio Vatum nixu quæ mentis amicæ
Sollicitant uterum, nisi sidere fota benigno
Attentent (a) Operis lucem, peritura: brevesque
Exponunt ventis animas. Operosa labori
Tendat si Lucina manum, spectabile foetus
Quâ faciles in Opus veniant, in secula mittunt
Et famam, & genus, & generi sua nomina servant.
Votis, Musa, laboranti succurre Poetæ.
Mitis ades. tu votorum Lucina meorum.
Concepto quid agam voto gravis? annue. Cœlo
Educenda mihi Parnasso debita moles,
Calliopea, tuo. Poterisne, Orpheïa mater,
Progenie non inferior, poterisne Carysto,
Sive Paro auritum cantu deducere marmor?
Spirantes etiam in Statuis effingere vultus
Ingenuo meditor cælo. Poterisne Myronem,
Sive Syracosias arcessere Manibus artes?

Proponitur Pyramis vitalis extruenda.

(a) *Votorum mente conceptorum est editio in lucem duplex: altera, quæ fit per expressionem linguæ, altera, quæ per operis alicujus molitionem.*

Sed neque (*a*) Leucadios ſtatuæ, nec marmora dentes
Effugiunt. Cœlo inſertæ miracula famæ
In cineres deſederunt; Memphimque, Rhodonque
Exedit, Ninonque, Semiramioſque labores
Dura fames. An & Aonio queis ſurgere ſumptu
Muſa dedit, legem interitus ſua dixerit ætas?
Vivunt. Tarpeii Patris inviolabile Saxum,
Numine fundatum tanto, labat; ipſa fefellit
(*b*) Pax æterna fidem. (*c*) Sed quam deſcripſerat olim
In tenui, & ſulco nondum concluſerat Ædem
Auſonius vates, (traducta decempeda tantùm
Optarat ſedes, operas & Muſa redemptrix
E Cyrrha tantùm conduxerat) attamen ævo
Hæc operis ſpecies ſimplex, & linea prima
Tranſmittit memori nomen: mandonis avari
Ingluviem caſſam ridet, dentemque retuſum.
Ut deſit Maro, Cæſar ades. nec defore credam
Aonios, duce te, te Mecœnate, nepotes.

Erigitur Pyramis.

Surge age, quam meditor, moles. At, vindice cœlo,
Linguæ nulla meæ Babel obſtrepat. (*d*) æmulus aſtris
Hic apicem non attollit labor, arduus ævi
In fines vani jaciat qui nominis umbram.
(e) Quà geminæ medius commercia dividit aulæ

(a) *A loco, ubi Chronus præcipuè colebatur, Natos, Vrbes, & Monumenta propoſita mandens.*

(b) *Pacis templum æternum Romæ.*

(c) *Georgicon* 3. *initio; ubi templum Honoris & Æternitatis deſignat Auguſto Virgilius.*
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, &c.

(d) *Inſtar illorum, qui turrim moliebantur,* cujus culmen pertingeret ad cœlum, celebraturi nomen, antequam, &c. *Gen.* 11.

(e) *Locus, qui eligitur ad Pyramidem erigendam, eſt in campo, inter utramque domum regiam, quem appellamus* St. James's Park, *prope rivum recèns e Thamiſi inductum.*

Proxima

Proxima Jacobeus ager, Cynthoque Diana
Posthabito pharetram in sacras exercuit olim
Sæpe feras, Fratremque adytis frondentibus arcent
Intonsæ, cyparissus & ulmus & æschylus, umbræ,
Hìc, ubi liberior campus, quàque extima dulces
Riparum accubitus inter secat æquora rivus,
Subductus Thamisi rivus, furtumque silenti
Dissimulat passu Nais, pede mobilis æquo,
Hìc operi legisse locum placet. Ardua surgit
Pyramis Aoniæ rupis de marmore, Vitæ,
Carole, sacra tuæ. Fastigia suspicis? an te
Terruit extenuatus apex, operisque figura
Crescendo minor? Alta viri molimur: in arces
Tendimus æthereas, & vi, quò tendimus, itur.
Fit cuneo via. Terrestris fundamina glebæ
Quàm surgunt magis, in gracilem terrestria conum
Tam sunt extenuanda magis. Sunt semina nobis
Ignea; contracta surgunt in cuspide flammæ.

Fundat opus basis ampla; basim tetragonus in æqua
Sustinet intervalla subex. hunc arte figurat
In tortus varia, Phrygioque toreumate Mentor.
Multa basim cælo insignit Sculptura, piloque
Dædaleo Pictura frequens. Molimina Vitæ
Prima vides, ortusque rudes. Hinc insitus auget
Molli accremento plantam vigor; Instruit artus
Hinc sensu vis mobilior: per inane volucrem,
Et sola quadrupedem per sicca, per humida piscem.
Inde subit vitæ sublimior impetus, auræ
Halitus ætheræ subtilis. At, incola terræ
Hìc habet? E terra duxit genus; at cui cœlo
Libatam, & dio lustratam sidere mentem,
Particulamque sui sparsit Deus. Omnis in uno
Vivit, in hoc omnis vas fictile cogitur orbis.
Esse hominem solum nec oportuit. Ecce maritæ
Sub lucem prodit conjux & filia costæ,
Viventûm genitrix. Ad costam ponere sedem
Fertur amor. costæ servent communis amorem.

Basis, ejusque subex inferior.

In basi Effigies repræsentantes Vitam vegetativam, sensitivam, & rationalem.

Gentiles

Supra basim, ad quatuor angulos, Leones quatuor, (tres ex Anglia, & quartus e Scotia, Angliæ Regum insignia) sustentantes Pyramidem. quibus adjunguntur Lyra Hybernica, Lilia Gallicana, Rosa Eboracensis, & Lancastrensis.	Gentiles exinde Feras agnoveris? auro Illitus, (aversi vultus, obversaque terga) Quà coiit junctura, pares procumbit ad oras Tergeminus Leo. Tum saltu vicina Chivæo Submittit quartum (*a*) Calydonia. Discolor ori Forma: tori turgent per colla comantia rubri. Temperat hos Lyra rugitus: Venerique Britannæ Addit se sociam e Celtis Junonia Flora. Atque hìc, ut gemuere Feræ sub pondere vasto, Cernis? eas super extremas, paribusque laborem Sortitas spatiis (*b*) onus incubat. Area (*c*) frontes Diducit quadruplex. Spatio interciditur æquo Nativis habili Statuis in marmore sedes. Prominet in Statuas amplè sinus. Ambitus imas Laxior in partes abit; inde coacta supremos Jam minor usquè minor fastigiat area fines. At modò per classes aptas quæ Pyramis ora Exhibeat, libet expediam? ambitiosior hæsit Hìc labor: hæc studiosè operis meditata venustas.
Statuarum in Pyramide ORDO primus. Statuæ variæ Avorum. Quatuor scilicet in circuitu. Et sic de cæteris ordinibus statuarum sequentium ad apicem versùs.	Primus Avos, Atavosque tuos, famæque vetustæ Digestum in fastos nomen tibi suggerit ordo. Spirat adhuc vis exempli, memoremque nepotem Virtutem in veterem stimulant, animosque paternos Marmoreæ voces. Hic bello clarus: uterque Imparibus studiis Hunc pulvis, & utraque Pallas Nobilitat: leges Hic excolit: Ille ministras Addicit curas aris, aræque fideles

(a) *Hoc ferè, inquiunt Autores, (semper itaque non puto) observant Poetæ, ut, cùm Ætoliæ sylvam declarare velint, secundam syllabam per y Græcum scribant, eandemque corripiant; contrà, ad distinctionem, cùm Scotiæ sylvam, seu Scotiam ipsam sunt declaraturi, secundam syllabam per e scribant, eandemque producant. At hìc fortè non sunt in augustias compingendi.*

(b) *Pyramis ipsa.*

(c) *Angulos Pyramidis.*

Ereptum

Ereptum fama terris ad sidera tollunt.
Hos imitando tuum est superare, præire sequendo.
O te pacis amantem! oras ut fama tulit Te *
Advectum nostras, geminamque in mutua gentem
Fœdera venisse, & socios coiisse Penates,
Quàm poliit vultus, & fronte jocosus utraque
Risit, & ipse humeris obnixus cardine torsit
Converso, validoque emuniit obice limen
Clusius armigerum Pater! O qua parte latebas
Elysii, qua (*a*) lotorum, Jacobe, sub umbra
Sternebare, tuam nuper cùm bellica Mænas
Debacchata per Angliam, & ausa recludere portas
Captivi nodos Belli divelleret, omnis
Et belli telum exacuens sæviret Erinnys?

ORDO secundus.

** Statua Jacobi.*

Accedit Nato Genitrix. at gratia formæ
Dispar. Quid tacito mœstus defigeris ore?
Corde latens vultu citò proditur indice vulnus.
Sese offert oculis, Charitum sata sanguine Virgo,
Heroina tuis; sanguis maturus Olympo:
Te quàm digna nepote! Genus si credere fas est
E jactu lapidis rediisse sub æthera nostrum,
Dextram Caucaseis quis non e cautibus illam,
Marpesove putet natam, qua lactea cervix
Concidit? ah, duro violatum vulnere, (*b*) qualem
Progenuit nobis olim tua Gallia, (*c*) qualem
Submisit nuper Chloris Tartessia, florem!

Statua Mariæ Stuartæ.

(*d*) At canos inter nam quis nitet ille juventæ
Purpureo cum crine vigor? Cui serior ætas
Debita. Quid meruere, tuos ut semper iniquo

Statua Henrici Principis Walliæ.

(a) *Lotus arbor, cujus fructus oblivionem patriæ dicuntur inducere.*

(b) *Reginam matrem.*

(c) *Catharinam reginam.*

(d) *Petis, cur posuerim hunc Patruum, cùm patrui, non sint in linea recta Vitæ. Rationem erues e doctrina de Individuatione, quæ huc pertineat.*

Carperet

Carperet (*a*) Henricos fato Proſerpina præceps?
Eſt, aſtro Genius qui præſidet, albus, & ater.
Muſa, (*b*) Myron errat tuus. opportunior hora,
Et locus hæc alius. Vitalis gaudia Voti
Polluere ingrato luctu, exequiiſque decebat?
Et lacrymæ redeunt, & (*c*) Fothringamia turbat
Pectora deterior. Telo fatale rebelli
Hoc unum debebatur caput, illa ſub auras
Perfidiæ trucis ut tandem prodiret ab antro
(*d*) Bellua multorum capitum. (*e*) Manus impia famæ
Notitiam lætet. & lateat. cum ſanguine noxæ
Circumfert labem imbibitam. ſe novit. abunde eſt.
Tempore ter quinas ex illo Semivir arcu
Armavit brumas, totidem ſub Virgine meſſes
Decubuere: oculis & adhuc feralis oberrat
Scena meis. atri obtentus: Chalybumque, ſuoque
Induti ferro vultus: effuſa per ædes,
Per vicoſque ætas oculis humentibus omnis
Spectandi ſtudio, at crimen (prô lacryma ſera eſt)
Pars heu quanta ſuum! ſubſellia triſtia dirus
Horror habet, mutoque ſilentia murmure terrent.
Ipſe (*f*) dies ſociat mœrorem. it nubibus ater,
Et ſine ſole dies. Poterat quoque lucis habenam
Reflexiſſe. Thyeſtea res altera venit
Digna via. Quin attonitas & vidimus ipſi
Cromwello immaduiſſe genas. Portenta timebam.
Eſt in prodigiis aliquid, cùm marmora ſudant.
Aſt ubi, quove ſub axe ſumus? (*g*) Quæ limina Diræ

Statua Caroli primi.

(a) *Avum, Patruum, Fratrem: Henricos.*
(b) *Statuarius ſc. Muſæ, per antonomaſiam.*
(c) *Nova ſcilicet Fothringamia per alluſionem: ſed priore illâ, Mariæ Stuartæ, ſic dictâ, deterior.*
(d) *Cùm Monarchia devolveretur in Democratiam.*
(e) *Cujus demum carnificis manu facinus peractum, etiamnum latet.* (f) *Erat enim dies maximè obſcurus.*
(g) *Locus eſt etiam circumſtantia memorabilis.*

Candida

Candida funestant? Populis Hic optimus olim
Jura dabat Pater: Hinc gentes responsa petebant:
Libratumque oris nutu seu Pacis amicæ,
Seu Belli pendebat opus. Solennibus idem
Hic ludis locus, Hic epulis; Genioque jubente,
Præbebant epulare loco *Convivia* nomen:
Sævitia ridente. Locum legisse Tragœda
Non alium Feritas optabat. Et ecce theatrum
Ingreditur fatale. Sile dolor. At tua cessant
Fulmina, nomen inane, Tonans? hìc alta Ceraunia,
Hìc sit Athos tuus, hìc Rhodope. Sed vindice Telum
In dextra Nati positum est. an fulminet Æther,
An Natus, nihil intererit, modò fulminet. Ast hunc
Dii mitem, similemque sibi finxere Tonantem.
Vicisti, Fera, vicisti. tibi contigit uni
Barbariem vicisse omnem. Vacat aula: vacantem
Ingredere. excessere adytis, te mancipe rerum,
Dii, quibus imperium hoc steterat. Sed limina sævus
Interea, postesque nigros circumsidet horror.
Ille tuo ad spondam somno comes accubat, inflat
Ille tubas; mensæ ille tuæ convivia condit.
Ingrederis. Pietas exit: nec sanguine fœdos
Respectura Lares, vivo se flumine donec
Et scelus abluerint. Exit, fractamque bilancem
Justitia ostendit cœlo. Themis exit, & atro
Pulvere canitiem turpans aversa (*a*) cruentam
Se simul, & lanas exhorret cæde rubentes.
Ite Deæ. tellus vobis, solesque petendi
Sunt alii. hospitium Natus præbebit: at exul
Ipse. redux vos restituet. Nunc cædimus agnam
Exiles. (*b*) at nobilior quatit hostia funem.
Infandum scelus! ast ætas quod nulla tacebit:
Regibus usqueadeo texunt non byssina semper
Pensa Deæ. At capiti interea (sic currite fusi

(a) *Facinore scilicet peracto forma judiciali.*
(b) *Parricidæ post plectendi.*

Ultores) restim nent: & nevere nocenti.
Postico nec tale videt, nec tale videbit
Antico Janus vultu scelus. (a) Ora biformis,
Ut vidit, simul occuluit, cessitque. sequuntur
(b) Februa: sed factum purgent quæ februa nunquam,
Si quod habet scelus huic geminum scelerata vetustas,
Tullia, habes; (c) VICOque parem dabit Anglia fa.
Tullia, te Tullus, te Carolus, Anglia, damnat. (mam.
Diri pergit in amplexus ruitura Tyranni
Utraque per Regis miseri caput, utraque Patris.
At tu regali (d) Collis dignate sepulchro
Insere te sublimem astris. Æquabat Atlanti,
Sidereos axes qui vertice sustinet, (e) arces
Dudum fama tuas. necdum tamen inter avorum
Sidera Winsorio stetit hoc in vertice pondus.

Vive precor, laudis patriæ cognominis hæres,
Non fati. Exhausit factis & nomine famam
Primus. at invidisse negat majora *Secundo.*
Carole, vive. Remitte colum, & sua ludicra Parcæ
Pensa sibi, fusumque habeant, calathumque puellæ.
Fati opifex est quisque sui. Vel ferrea vitæ
Fila suæ proprio net quisque, vel aurea fuso.

Sequuntur statuæ, repræsentantes tres dotes vitæ optabilis, Voluptatem, Utilitatem, & Gloriam.

* Quæ texant auro Vitam, tria sunto: Voluptas,
Utilitas, atque Heroum suavissima merces,
Gloria. Nimirum *Tria* sunt hæc *Omnia*: & uni
Sancivere tibi nostræ, sua Vota, Camœnæ.

ORDO tertius.

Statua Voluptatis. Comites, Sanitas corporis, Sanitas mentis, Pietas.

* Prima Voluptati statio. Qua tantus in artus
A lima nitor? An Veneres hanc omnibus unam
Surripuisse omnes? oculis festivus inerrat
Risus, inoffensusque lepos, & multa juventus.
Blandimenta, quibus, fateor, sopita subinde

(a) *Facinus actum penultimo Januarii.* (b) *Mense* Februarii *fiebant purgationes,* Februa *dictæ.* (c) Scelerat*us* *sic dicto Romæ ob Tulliæ Facinus.* (d) *Sepultus in arce* *jugi Winsorii.* (e) *Ob tot sidera illustria gentis Anglicanæ, quæ ibi sepulta requiescunt.*

Conniv

Connivet virtus, & honesti a tramite flectit.
Arrisit? Substricta tamen sunt gaudia. Frontem
Tænia crinalis, Zonamque, & (a) Carbasa lina
Virgineus subnectit onyx. Quæ vincula mollis
Excutit, arbitriique sui est, & laxa Voluptas,
Extra sese abiens abit ipsa. Sequuntur amari
Tortores (b) illam a tergo. Sua crimine læto
Synteresis abest nusquam comes. Heu quibus illa
Verberibus proprios gestantem in pectore fasces,
Seque timentem agitat pernox, & perdia mentem!
Frustra terque quaterque foris mihi ritè salutem
Dixit matutinus Olor, si psaltria noctis
Intus triste melos Libitinamque occinat Ales.
Expandunt frontem totam proba Gaudia. fletu
Insontum risus nullo madet. Illa Voluptas
Illimis, nullosque trahit sincera dolores,
Quæ vitæ semper fluit integra. Candidus æther,
Suda nitet *Synteresis*, cui nulla lacunam
Colluvio, nebulam exhalat Pars infima nullam.
Quas lateri ascierit comites Dea, cernis? utrinque
Assistunt: Hygiea duplex, socialibus ambæ
Ingeniis; hæc Corporibus missura salutem,
Mentibus illa. Voluptatis suffragia campo
Humanæ si quo fierent, addiceret ales
Centuriis, Hygiea, tuis, & puncta referret
Prima tribu ex omni *Mens sana in corpore sano.*
At te, fatorum domitrix, quæ sidera læva
Imperio frænas, cui parent frigus, & ardor,
Et gens humorum pugnax, & Pæonis artes,
Corporeæ præses pacis, Regina, bonique
Fundamentum ingens nostri, ut te luximus ægri
Absentem, aversamque diu! Viduata colonis
Arva, domos dominis vacuas, & civibus urbes

Statuæ duplicis Sanitatis.

Statua Sanitatis corporis.

(a) *Dictio Propert. de vest. pretiosis e lino, seu serico.*
(b) *Hinc duæ illæ Divæ apud Romanos, Angerona & Volupia: & simulacrum illius in hujus ara positum.*

Vidimus. Ipſe tuas, cùm renibus acer adeſis
Incubuit languor, nil proficientibus aras
Quàm ſæpe incendi votis, & thura paravi
Ceſſura in fumos? Ut gaudia te ſine frigent
Cætera, queis miſero ſatis eſt dare verba dolori!
Nam quid opes ægræ proſunt? quid dulcia menſæ
Munera Tantaleæ, contingere Morbus Erinnys
Quam prohibet? quid febrili ſpecioſus in oſtro,
Splendidiuſque dolere ſciens ſopor? Integer Irus,
Dic age, dic ſodes, Cræſo quotus invidet ægro?
Nil tamen iſta moror. Manet altera cura. Satelles
Umbrarum Morbus (a) Regum, te præſide, fines
Obſidet? At, cujus vitâ ſua vivit, & haurit
Anglia prædulces auras, huic te, Dea, ſaltem
Impende. Et neque te teneant oblivia gentis
Interea, quam fatorum ſub jura per ignes,
Per ſtrages belli, & peſtes Proſerpina dudum
Compulit. Ignovit (b) furto Latonia proles;
Et pœnas dedimus. ſat Caucaſus ultor, & Ales
Sævit. Aſtrorum, per me licet, ignea lampas
Indemnis micet, & furti ſecura futuri.

Status Sanitatis mentis.

Altera ſed quam te memorem ſoror? Utraque partu
Edita jucundo. ſed candidiore parentes
Te vultu (c) riſere. Boni ſi provida primi,

(a) *Refertur ad morbos, qui aulam invaſerunt ſub Principis in Angliam reditum.*

(b) *Per Promethei furtum circa ſolares radios, unde morbi conſecuti, & Promethea ipſum, ad Caucaſi aquilam damnatum, alluditur hic ad Rebellionem præteritam, qua Dignitas regia inſignibus ſuis ſpoliabatur, & miſerias inde conſecutas nimiùm notas.*

(c) *Sic Plautus Capt. ſc. 1.* Quaſi muti ſilent, neque me rident. *id eſt*, Neque riſu accipiunt facetè dicta a me, *vel* mihi non arrident. *Virg. aliter Ecl. 4.* Cui non riſere parentes *in eodem ſenſu. De ratione hujuſmodi riſus Interpretes ibidem.*

Nec

Nec mens læva fuisset, adhuc & sana fuisset.
Ex quo natalis puduit me pulveris, ex quo
Delicium ambitiosa fames fatale momordit,
Amisi te: quamque Parens mihi vellere nevit
Virgineo posita jam cyclade, protinus omnem
Ad morbum patui infelix, & sidus ad omne.
Defluere ex illo virtus, animique caduci
Vis sensim sublapsa fatiscere. viscera Mali
Computrescentis subsedit ad intima tabes.
Innumeræ subeunt pestes, & totius instat
Naturæ Phthisis: Invidiæ furtiva teredo,
Languorum pituita, Libidine fervida venas
Depascens febris, & toto Phlegethonte vaporans.
Cernis, ut hunc nimium usquè sui, seseque laborantem
Inflat hydrops immanè, cutemque, sinusque tumentes
Proluvies distendit aquosa? sitivit; & amnem
Hausit Hydaspeum, & toto se proluit Hermo,
Necdum exempta sitis. sitis ignea gliscit ab undis,
Seque explens irritat inexaturabilis hydrops.
Hæret huic in visceribus damnosa Celæno,
Ingluvies. Patriæ mulcent Stymphalida cœnæ
Nequicquam. ecce Getas ultra, Nomadesque metuntur
Rura: petendus Itys de Phaside, fercula sæva,
E Rhodope Palamedis aves, e rupe Sabella
Marsus aper, scarus e Sicano gurgite, fluctu
Eruta Lucrino conchylia. Nota Palerni,
Bacche, saliva tui nulli mage. (a) Tmolus, & ipse
Gutturis æternùm sidit per cola Phanæus,
Nec satiant tamen. Olla gravis, nidorque culinæ,
Luxurians abdomen, aqualiculique sagina,
In votis primum est. Putris sepelivit omasi
In barathro fœtentem animam. Quàm turgidus illi
Aëria viden' ut tumuit farragine pulmo?
Fastidit terras, & sola vescitur aura:

Amissa illa per inobedientiam.

Succedunt innumerabiles morbi: Invidia, &c.

Avaritia.

Gula.

Inanis gloria.

(a) *Tmolus mons Lydiæ, Phanæus promontorium Chii insulæ, ubi pretiosissimæ vites.* Georg. 2.

Heluo

Heluo ventorum, & multo repletus inani.
Desidia Paralysis. Ille quis? Ut venam tentem? Quam funere vivo
Illusit Morti! vires, animique, soluta
Nervorum compage, fluunt, præcordia languor
Obsidet, & coeli spargens oblivia somnus.
Ales Ephebus adest. amnem ciet ales Ephebus.
Vitales an erit (a) miserum qui mittat in undas?
Causa mali, e terræ coeno qui nascitur, humor
Concrescens, & lenta lues. (b) At tabida pestis
Si caput insideat, reliquæ Mens unde, Fidesque
(Illa Fides, Agapes genitrix & alumna pudicæ)
Defluit in partes animæ, nec (c) Spiritus æger
Obsessum eluctetur iter, subit atra veterni
Tabes, & mentem sternens Apoplexia totam.
Triste malum, & fatale; malum, quo tetrius ullum
Non afflant animi fibris Hecateïdes herbæ.
Passiones animi. Hospitium morborum ingens sumus. Altera nec te
Pars tanget minus. Hinc brumis febrilibus alget
Exanguis Pavor; inde Spei per certa remittit
Spiramenta quidem dolor; at mala sæpe medelis
Ægrescunt, mensque angorem delusa resorbet.
Parte alia, viden', illi oculis ut subjicit ignem
Irarum fervor? tristes ut colligit illi
E bile attonita furias jecur? Inde Cupido,
Et Dolor, & mentis mala Gaudia. Phantasus illis
Se comitem jungit, curis propioribus æger,
Tormenti ipse sui faber, ignotosque volutans
Terrores animo, larvis obseptus & umbris,
Irrequies. Venere, Stoa venere Magistri
Stoici promittunt medelam, sed vanam. E media, occultum cecinit cui noctua carmen
Ipsa, tuæ, Zeno, fuligine tincta lucernæ,
Chrysippus, vultuque stoam qui fulcit Ariston

(a) *Joan. 5. ex sent. Amb. & Chrys. ibi de Paralytico.*
(b) *Qui sciens hujus morbi est, intelligit analogiam hanc Paralysis spiritualis ad corporalem.*
(c) *Analogus ad spiritum animalem.*

Impexo,

Impexo, & curto dorsè qui foetet in antro
Atticus, Aulæ Cynicæ latrator, Anubis.
Hi tibi morborum spondent clementiam, malique
Surgentis causas tradere: pestis & audent
Stirpem omnem valido sophiæ convellere nisu,
Quippe lacertosi medici. Si severis alto
Frugem corde Cleantheam, si noveris ori
Induxisse caprum, & rigido cum poplite curas
Doliolo inclusisse breves, si rancida cepam
Tetricitas vitiosam oleat, vappamque decennem,
Sanus es; albentes Hygieæ sanus ad aras,
Intercide comam, voti damnatus ad aras
Spem cum crine, metumque, sacrumque appende dolo-
Iramque; omnigenis totus dominaberis astris, (rem,
Saturnoque, & Acidaliæ cum Marte puellæ.
Nec metuis, nec aves, nec amas. Riget horrida virtus:
Et scopulo adstupeat cautes Marpesia vivo.
Stultitiæ rides annosa crepundia torvæ,
Cum siliquaque nucem cassam. Si fascia nugis
Demitur, & quæ docta genis inducitur umbra,
Si Natura peridromidem seclusa revisit,
Et cupiunt, metuuntque, & amant: reliquosque pro-
Ad latus Elysii patiuntur cum grege manes: (fano
Excepto, quòd non ringuntur, & improba nunquam
Ira coquit bilem, nisi cùm jus verna ligurit.
Gens heu quisque sumus devoti sanguinis. unâ
Ex Horti malo communis culpa pependit.
Hinc labem longè trahimus, de stirpe parentis
Morbosi: fluxitque parens in fata nepotum.
Quisquis erit, minimis qui carpitur, optimus esto.
At comiti flexo leviter viden' ore Voluptas *Statua Pietatis.*
Tertiæ ut a tergo dextram supporrigat? Illi,
Si nescis, Pietas nomen: Diis edita Nympha,
Edita Diis, genitura Deos. Aversa resistit
Ponè verecundo vultu, terrestribus olim
Missa choris, abitusque reos exosa Penates.
Sentes si qua tamen nostros subnascitur inter

Lætitiæ

Lætitiæ pars, e dono venit illius omnis
Quantuſcunque boni merges. Maris illa fragoſi
In gremio placidæ ſternit cunabula pacis
Halcyonæ, Mens alma, tuæ. Salis inter, & æſtus
Mundani cumulos genitali munere Concham
Illa ſubit: niveoque tumet mens gemmea fœtu.
Sunt homini partes geminæ, ſublimior illa;
Quæ gentem trahit e cœlo, & natalibus aſtris
Deducit nomen. Parti ſua cuique voluptas;
Nobilior, cui naturæ proſapia primas
Nobilior dedit. In modico dedit eſſe beatam
Terrenæ parti prudens Phyſis. In cute rerum,
Extremoque hebetes hærent in cortice Senſus. (eſt,
His quod olet, ſapit, & nitet, & quod molle, ſonanſque
In curis totum. Rota quicquid Cynthia luſtrat,
Terra omnis, rerum ſemotus & infimus ordo,
Mobile, tranſultanſque bonum; mutatur, & errans
Incerti laris aligeros ad Temporis axes
Lunam aurigantem ſequitur, Dominæque nec oris
Degener. Eſſe ſimul totum nequit: excidiiſque
Vivitur. utque abolet vocis veſtigia primæ
Vox ſubiens, ſe ſic mutilant bona, ſeque ſequendo
Se ſibi ſurripiunt. Sic ſe premit hora, ſuique
Hora fugam vivens, & vivens hora rapinam.
In ſe quæ peccant, eadem ſe ſecula plectunt.
Sic mihi, quale bonum cunque eſt, ſpem ſemper hian-
Eludit, primoque animam in libamine ponit. (tem
Sed neque ſincerum quicquam eſt. ſparguntur amaro
Dulcia, Cecropio Colchos miſcetur Hymetto,
Teſtantur patriam Veneres, & gaudia plorant.
Quæro bonum, ſed quod certo libramine conſtet.
Quæro bonum, ſed non inhoneſto in fragmine truncum
Quæro bonum, ſed cui vitient mala nulla ſaporem.
Quæro bonum, bonus unde ſiem, meliorque fruendo.
Quæro, nec invenio. nec præbet terra, nec æther.
Solus at hoc ait eſſe bonum Deus, & ſibi conſtans,
Et totum ſimul, & vitii cui nullus amaror.

In ſolis face quod candet, quod lucet in aſtris,
Quod ſmaragdi viret in radio, quod flavet in auro,
In campi quod fruge ſapit, quod fragrat in horto,
Quod ſonat in cantu, miror. Miracula fudit
Hæc in naturam Deus; & ſibi plura reſervat.
Te ſed amans quid amo, Deus? aſpectabile formæ
Non amo corporeæ donum, non fruge ſaporem
Manantem, nec odorem herba, ſuccove recenti
Progenitum: non vocem, aures qua barbita mulcent,
Non amplexum, habilem membris quem brachia miſ-
Non jubaris ſoliti lucem. Non hæc amo, cùm te (cent,
Dicor amare. Tamen ſpeciem, pulchrique figuram
Quandam lætus amo, quendamque ſaporem, & odorem,
Vocemque, amplexumque, & quandam lucis amicæ
Interiorem auram; Lucem, cui nubila nulla
Officiunt: Amplexum, acies quem nulla reſolvit
Fatiferæ falcis: Vocem, cui diſſona vulgi
Scylla, forique fremor non obſtrepit ullus: Odorem,
Nulla vago incurſu quem diſſipat aura: Saporem,
Quem tædi carpunt faſtidia nulla: Figuram,
Cui nec ruga ſiniſtra, nec invida detrahit ætas.
Hinc gaudi ſeges omnifero tumet ubere noſtri.
Herciſcenda tibi, Pietas, cum Principe gazæ
Eſt hæc ſumma tuæ; *Deus*: Omnia in omnibus unus.
Tolle oculos. Ordo tibi, Carole, ſurgit, & artis
Hic Polycleteæ labor alter. Et ecce ſecundum
Viſcere deceptus nullo canit omen haruſpex.
Tolle oculos. & quos oculos non illice forma,
Illicio cantus quas non attaxerit aures
Utilitas, pelagi & terræ gratiſſima Siren?
* Aſſiſtit fidens animis Opulentia: vultus
Illa quidem ducens pompam, cui litore Memnon
Eoo, Heſperio famulantur Atlantides undæ,
Tincta togam ardentem Sarranis imbribus, artes
Et Phrygias induta ſinu, ſtellataque frontem,
Et collum, & conum criniti verticis aureum
Ignibus undique Mygdoniis: at pectore volvens

ORDO quartus. Statua Utilitatis. Comites, Opulentia, Clementia, Pax.

** Statua Opulentiæ.*

O Implacido

Implacido curarum æstus, & prælia cæca.
Magnificum illa malum, misereque beata, malorum
Ingens irritamentum. Peperisse Typhœa,
Et Famam, & Noctem fertur, Titania conjux,
Terra parens; sed non alio mage noxia partu,
Quàm cùm progeniem, quæ dicitur aurea, luci
Ostendere sinus. Ubi erant, Berecynthia Tellus,
Cymbala, tinnitusque tui, cùm sontibus illa
Cumque illa scelus omnigenum vagiret ab antris?
Aurea, sed dotem e ferro sortita, propago.
Concepisse piget serò. tua viscera norunt,
Senseris, Agrippina prior, quos inde Nerones.
Hanc propter tenebras, noctisque cubilia cæci
Ingredimur. Sanguis prisco nec ab Hercule noster,
Pirithoo nec avo repetit genus: & tamen atræ
Claustra libet Dominæ perfringere, Ditis & ipsas
Aggredimur ferro portas. Hanc propter eandem,
Invitos avido rumpente cupidine funes,
Ignotum rostris ruimus mare, carbasa ventis,
Et vitam damus; Erigonen confundimus Arcto,
Cum Nocte Auroram committimus: & fidem, & aras,
Pignoraque, & patriam, & thalamos divendimus. Heu
Terra premit, vada quas volvunt Neptunia cædes! (quas
Bellax lingua, quid in Nympham certamine tanto?
Quò præceps ardor? cane lingua receptui, & arcus
E nervo meritura volent in vulnera tela.
Cornua si (a) regnante rosa gerit æmula pauper,
An petat idcirco Bromium (b) caper? arma Lycurgus
Arma cado intentet, quia naufraga sæpe popina
In cella natat? Expungi volo cerite cera
Et vites, & divitias. plectenda libido.
Cuique suus color est; flos, & cerussa figuræ.
Deme. quis extemplo non sorduit? An tibi solæ

(a) *Notum arbitror quid Rosis sit cum Vino.*
Cùm regnat rosa, & furit Lyæus. Horat.
(b) *Vitibus caper infestissimus.*

Nimirùm

Nimirum veniunt ad candida tecta columbæ?
Et veniunt aquilæ. Cavea consistet in ima,
(a) Tinnierint nisi quid trabeæ, cum consule Cæsar.
Arma meus tractat Cæsar? bellone salus est?
Imbellem mitto Nervi sine robore Martem.
Cogendus campo miles? sere bella crumenæ
Semine. proventu melior caput exeret arvis
Cadmeo seges. An clausi maris arbiter undis
Imperites? sibi te generum Nereïa Doris
Fluctibus & ventis emat omnibus? aureus esto.
Phryxeo turpis fluitat sine vellere Tiphys.
Quin ipsæ, nudam Themidem si Prætor inermis
Exponit, nec egena fovet subsellia Quæstor,
Indecores vieto Leges in codice mussant.
Est rerum domina, & nulli subdenda potestas
Regia. subdendam nulli tamen in sua cogit
Jura Themis. Sunt huic Alto sua litora, Leges.
Huc veniet, franget fluctus hic illa tumentes.
Non te Jura timent. Leges, & (b) legibus idem
Ipse times. Æquæ ditant Quæstoria leges,
Et leges æquas armant Quæstoria. Tondet
Pastor, non deglubit oves. Alvearia censet,
Non expilat Aristæus. Non pallet in arca,
Harpyiasve timet secreta pecunia, vultu,
Carole, consignata tuo. nec personat urbem
Præco, nec ex hasta plebis suspiria pendent.
Arcam in regalem refluo cum fenore gazæ
Decurrunt, ut in Oceanum qui refluit amnis.
Artibus his, hoc tu quæstu ditesce. volentes
Sic Apis atque Ovis, illa favos, hæc vellera, reddent.
Et viden'? ecce pari spatio vestigia figit, *Statua Clementiæ.*
Marmoreo cultu, sed nescia marmoris ipsa,

(a) Expecto, ecquid Dolabellæ tinniat. *Cic. ad Att. id est*, an afferat numos.

(b) *Discrimen inter Regem & Tyrannum hoc est, quòd hunc timeant leges, ille legibus timeat, inquit Mar.*

Cerea lentescente sinu, & mollissima fandi,
Seque illi sociam jungit Clementia. Fasces
Ablegat, frameasque, rotasque, minasque bipennes,
Et rugam tetricæ frontis. Titana lacessat
Impavidus, cœlo tensos & naviget imbres,
Regnaque fulminum, & altisoni Jovis atria lustret
Alituum Cæsar, Jovis armiger Ales, & idem
Cœli, nimborumque potens. E Chaone Divæ
Advolat alma Columba tuæ, bona nuncia pacis
Mundo emergenti, pacisque sequestra columba:
Et serto comptam niveo prætendit olivam,
Non rostro, non ungue minax, Cythereïus ales.
Sit Phalaris vultu sævo, linguæque ferocis
In truculenta acie mortem gerat. At tibi multus
Spiret ab ore Parens, & frontem fingat uterque:
Innocuæ Majestatis vitale serenum.
Sint Jovis ad solium accinctæ fatoque metuque
Apparitrices (*a*) Diræ. Sit janitor aulæ
Fraternæ Canis, exanguesque exterreat umbras
Latratu fera tergemino. Tua limina servent
Excubiæ, Charitum excubiæ quæ limina servant.
(*b*) Nonne vides, ut sanguineo confinia turbat
Sidera crine Cometa, & formidabilis atro
Syrmate verrit inane solum? sua ponè sequuntur
Regnorum excidia, & pestes, & tristia nautis
Prælia ventorum. Quàm Phosphorus igne decoro
Lætior! ille simul terris ostendit honestum
E cœlo caput, e tenebris simul emicat orbis
Lætitia reduci redivivus. In æquore frontem
Neptuni sulcatam Aquilonibus, & Scylacei
Naufragiis prætentam horres. Ubi ruga profundi
Tollitur, & penna Zephyrorum sternitur unda,
Innocuæ ludunt per Tethyos arva phaseli,
Alludunt tonsis Nereïdes, in freta migrant

(a) Hæ Jovis ad solium, &c. Eneïd. 12.
(b) *Circa hoc tempus cometa ille an. 1664.*

Et

Et cithara, & cyathus genialis, & ipse liquentem
Astrorum choreis in scenam desilit æther.
Ah Regi Scyllæa procul, Scylaceïaque absint
Ora meo, procul Æolia cum fronte procellæ,
Nec sit naufragii vultu metus ullus ab illo.
Terreat: &, fontem vultus qui terret, ametur.
Ars erit esse patris natum, patriæque parentem.
Quod libeat cui posse datum est, miramur: eritque
Seu Fera, seu Deus. Ut gentem probat esse Deorum
Te tuus (a) Amnestes! Divinam injuria sola,
Quam memoris Fera sæva refert in marmoris ævum,
Mnemosynen fugit; inque suo Dii, quæ tibi libant,
Divinæ Lethes oblivia nectare potant.
Qui videt a tergo bifrons Deus, exdeus esto.
Sic tibi thura libens dederim. Quis supplicet aræ
Suppliciis septæ miserorum, ubi Numina torva
Fulminibus numerant culpas, & fulgure terrent?
Adventu tonuisse quidem, multisque timores
Novimus increpuisse tuo. sed fulmina solas
(b) In phocas, & monstra maris cecidere, Deûmque
Exemplo cautes solæ sensere Cyclopem.
Membra solet sopire, capût qui plectit. In omnem
Qui culpam rigidus sævit, fit criminis ultor:
At vacua quibus imperitet se jactet in aula.
Præterea corpus Princeps cum Civibus unum est.
Parcitur his? illi quoque parcitur. Abscidit æger
Membra sibi præceps, cupiit quæ sæpe reponi.
Multa suo faciunt Medico nec funera laudem,
Nec pœnæ Regi multæ. Non calce fatigat
Peccantem, horrisonisve minis, nec verbere crebro
Terret equum domitor. cervix huic sessile tergum
Plausa dabit, non liventes vibicibus armi.

(a) *Amnestia Genius. Inde actum nuperum Amnestiæ regiæ.*

(b) *Phocas, Monstra, Cautes: id est, Regicidas, & qui præcipui fuere perduellionis administri.*

Nostra salus ut sit secura, salute salutem
Dicimus esse paciscendam. sit mutua. Princeps
Non est tutus, ubi nihil est a Principe tutum;
Intererit si multorum me vivere, vivam;
Intererit perdi, perdar. Vis abstulit hostem?
Succrescunt alii. Præcisa repullulat arbos:
Et nova sub ferro vindemia nascitur. Iras
Instaurant nati memores: oriuntur ab illis
Mox alii. Sola non sunt in vite nepotes.
Ut populum cohibet modicus, sic acer acerbat,
Et furias animis subdit timor. Obvia pennæ
Inclusam formido feram tenet. improbus illam
Si simul incessat telis eques, infremit audax,
Per venabula, per nodos, per, quà via, per quæ
Fugerat, aggressura fugam. Sævissima virtus,
Quam timor extudit extremus, vetuitque timere.
Asperitas nunquam non illaudata; Potestas
Aspera non odio nulli est. Natura, regenti
Ceræ nobilioris Api quæ sustulit iram
Ultoris teli, trabeamque reliquit inermem,
Nos eadem erudiit. Clementia munere nunquam
Non est tuta suo. Belli, pacisque Tyrannus
Excubias armet ferro, sibi prælstruat Alpem,
Se Rhodope tegat. insidiis patuere; nec usquam
Sævitiæ murus dabitur. Clementia murus
Sola sibi, sibi præsidium, & Prætoria porta est.
Tonsorem potuit Siculus contemnere, cives
Si minùs ipse totondisset. Contemnere Cinnam
Ulciscens nequit Augustus: contemnere parcens
Et Cinnam, Lepidosque potest. Cessere secures:
Sica simul cessit. Debet tibi, (a) Livia, Cæsar.
Sufficit exemplum sibi Carolus. Anglia sensit,
Quid Clemens possit. Ferrum clementia nobis
Extorsit; vultus iræ posuere feroces,
Peccandique verecundi sumus. Hanc sibi Nympham

(a) *Livia enim id consilium dederat Augusto.*

Quam

Quàm legit sociam prudens Opulentia! novit,
Scoria quem (*a*) vultum induerit. Clementia pauper
Nulla fuit. si deficiat clementia, terror
Quàm vectigales paucos habet! Eia age, tempus
Lusuro vacat. ignosci sibi, Termine, nugax
Musa cupit. libet excursus tentare. vagantem
(*b*) Linea convincat nimii pedis. Haud sapit, aiunt,
Qui semper sapit. & veniunt, reor, avia sæpe
In medium, sæpe in modico sapientia ludit;
Oblitusque Jovem altivolans ex ungue remisso
Fulmine ludicram ad prædam divertitur Ales.
(*c*) Tempore quo læsa est Ætola cuspide Mater *Venus læsa.*

(a) *Henrici 8. scilicet impressum in moneta vili. Lege Stoum in Henrico 8. an regni 36. de moneta vili, & adulterina ab eo incusa post tot locorum avaras deprædationes.*

(b) *Adversus transgredientes poposcit lineam Cassius. sic Rhodiginus.*

(c) *Post rerum aliquarum præviam inductionem affertur tandem in medium fabula nota de Phœbo, & Borea circa pallium viatoris. Sed res aliter narrata. Displicebunt, credo, Lectori moræ hac in fabula longiores, quàm pro re tantula. Libebat fesso plùs solito ineptire varietatis causa. Quòd si tamen Lector speculabitur aliquo modo in Venere Angliam, in Phœbo Carolum, in Borea Genium Cavallarismi, uti nominamus, seu Regiæ Partis severioris, in æstus nimis præcipitem, in Saturno Genium occultæ malignitatis etiamnum plùs æquo regnantem, erit, spero, cur obeli infestius saltem punctum deprecer. Neque verò desunt exempla, quæ me vel excusent, vel veniant certè in societatem culpæ. Instituebam in Fabula synopsim quandam subjicere temporum. At quoniam fieri istuc commodè nequibat sine offensione, malebam insulsus ipse videri, quàm perfricare quemquam sale meo. Synopsis tamen aliqua est. Et Scirpus videtur esse. At non desunt nodi sui.*

Et Parenthesis est, cujus sub integumento rei præsentis figura proponitur.

Idalis

Idalis, Idaliam e castris Amathunta petebat,
Multa gemens: & jam roseo Dea fusa cubili
Pæoniam expectabat opem. Genitricis ad ulnas
Affusi curam gemini solantur Amores:
Ulturæque sacramentum non segne pharetræ
Adjiciunt, Stygiumque senem testantur, & Amnem.

Evocati Dii cum Nymphis marinis e tribu Veneris.

Mercurii accitu variis e sedibus adsunt
Falcitenens Avus, & Pater, Æmoniisque Gradivus,
Furtorum gratus veterum, qui præsidet arvis,
Et Tritonia Pallas, & ævo tarda Cybelle,
Et sua cum sponso Zephyritis florida Vento:
Cognatæque maris Nymphæ, Galatea, Rhoeque,
Ilia Nisæe, & Melite soror, altera vittæ
Dudum apprima tenax, & flammæ cruda maritæ,
Altera flammeolo nuper velata, fluentem
Restrinxere tori cui vincla jugalia crinem,
Atque Ephyre, atque Thoe, & citharistria Cymatolege
Pulchra Thoe, cyanoque sinus collecta madentes,
Sueta Dioneæ comes ire per æquora conchæ,
Formoso desponsa Palæmoni. nulla medendi
Doctior Arctoæ secreverit unguina petræ.
Fama mali Lemnon pervenerat. Ilicèt antro
Facta quies, Martisque rotæ, Telumque, notorum
Cui sonitus soli deerant, & tertius ignis,
Sepositum: mediisque incudibus omnia pendent.
Sicut erat, vultu illoto, cinctuque fabrili,
Evolat extemplo Conjux. pede proripit ægro
Se præceps in iter, fastidia matris acerbæ
Incusans, rigidumque patrem. Liparæus at illi
Densa humero Siderites vestigia fulcit.

Advenit Phœbus, & Venerem sanat.

Phœbus adest; Phœbo Euterpe comes. Audiit ut
Nomen amicum Erycina parens, viresque recepit.
Latoo, Musæque assurgitur. Ille sororem
Intuitus, certusque sui, Nam quis Deus, inquit,
Alma soror, genitrix Charitum, Jovis inclyta proles,
Quis vetitis te tam prudens immiscuit armis?
Ad lituum citharæ assuetos quis adegit Amores?

Fortè paludatæ Veneri semel esse licebat;
At semel. Æneadæ numerent sua vulnera. Bellet
Aligeros inter natos Æneia mater.
Dixit; eumque secuta rosas, Milesia dona,
Albentes (neque enim flori color hactenus alter
Virgineo) calathis supplex e mollibus offert
Musa, Deam multa donans cum flore salute.
Halitus ut (a) pluteo fusus, Divamque refecit
Notus odor, niveæ subito (mirabile dictu)
Inficitur Floræ peregrino murice candor.
Obstupuit monstro, pressaque ad pectora palma
Expavit Conjux omen. Saturnius hæsit
Juppiter, & se defecit Thymbræus Apollo.
Tandem lætus ait; Salves, Erycina; rubentem
Transiit in florem vultus. Mora nulla: retorta
In tergum palla, teneræ Deus oscula dextræ
Ore verecundo figens velamina solvi
Imperat. At suspensa metu, & trepidantia circum
Numina funduntur. Nutant horrore comarum
Insueto tremulæ Cybeles in vertice turres.
Flora quidem exanimis fertur cecidisse, Favoni
Conjugis in gremium revoluta: sed ore fugacem
Nectareo revocat vitam spirabile Numen.
Pallorem nec & ipse suum erubuisse Gradivus
Dicitur: obliquo cum lumine Mulciber hirrit.
Fascia jamque soluta Pelasgæ cuspidis ausum
Detegit, invisumque nefas. Maduere cruento
Lintea; & inspectus quanquam tentamine primi
Plaga Jovi tenuis visa est, tantumque modesto
Vulnere degustata manus, persedit ad alta
Ossa tamen dolor occultus. Blanditur Amicæ
Lemnius, & medicæ Phœbi bonus annuit arti.
Ille, humeris acto sub lævam rursus amictu,
Narcissi tantùm lacrymam, roremque Hyacinthi

(a) *Pluteus lecti pars, in qua sponsæ cubare solebant: ut sponda, in qua vir.*

Dilectum occultè medicans affuderat ori
Vulneris, & Myrrha dilutum admorat Adonim;
Cùm plagæ rima extemplo coit, & sua dextræ
Redditur armigeræ Venus. Euterpea secuta
Præcipuit septena manus discrimina voci.
Nata mari Phoebo debes. Tibi Pythia servit,
Diva, chelys; Myrtoque tua Peneia Daphne.
Imperium exerces in cetera Numina, solæ
Munere Palladio gaudent, gens innuba, Musæ.
Otia nostra impune sines, & laurea Phoebi
Castra sequi. Te per Lyciam millena secuta,
Per Cynthi juga, Phoebe, per Apidanea fluenta
Perfusum ambrosia crines comitatur Oreas,
Et choreis ambit; tua circum altaria Cretes,
Thyrsigerique fremunt Agathyrsi, ubi thure Sabæ
Halat ager, Cilicesque vaporant atria nimbi.
Æmonias animare solent tua carmina rupes,
Nostratemque Helicona, jocosa resultat imago
Carminis, & placidè offensæ cum carmine rupes
Vocis dulce, Lyræ blandum melos, utraque Num
Dona sonant. Ipsis animam (a) Lyra sufficit astris.
At Lyra cùm primùm sonuit tua, prima sub aur
Dicitur exiliisse hominum Divûmque voluptas.
Tu fabricatorem Cyclopa trinuspidis iræ
Inferias nato mittis: tu Porphyrionas,
Tu Larissæa Pythonas arundine cædis,
Monstra necans, sanansque Deas Latous Apollo.
Vocè canit, digitisque Camoena; canente Camœ
Ingeminant Pæana Deique Deæque frequentes.

Intervenit Boreas.

Riphæa cum fortè plaga nimbosa movebat
Signa truces in Sauromatas (b) Taurumque premens
Odrysius Boreas. Ut læsa fama Diones
Præcipitans castris increbuit, Orithyiæ

(a) *Inter sidera videlicet relata.*

(b) *Surgit quidem ex Indico mari, et post ext in septentrionem Riphæis se jugis annectit.*

Scilicet

Scilicet, Idalíæque operæ memor ocyus arces
Aggeribus solidæ brumæ, niveæque corona
Deserit inclusas. Rigidæ tum fertur in auras
Remigio pennæ. quà verberat æthera, nimbi
Dant sonitum, fugiuntque. Et jam freta Thermodontis,
Carpaton, & canam concreto frigore Peucen,
Rhætoque infessas arces Homolen, Pholoenque,
Et Rhodon, & Lesbon, Cypriæque emensus arenæ
Littora, Carpathiosque æstus, Amathuntia pulsat
Limina. Præsensere hostem, pugilemque repente
Inclamant Zephyrum Nereides. Ille duelli
Suffugiens congressum impar, litemque recusans
Oppangit valvas, & vectibus impiger obdit.
Æstuat Edono bilis: turpisque repulsæ
Arrectus stimulis sævit dolor. improbus urget,
Sollicitatque humeris aditum. sed robore postis
Obverso riget. Ergo Deæ delubra minatur,
Culminaque æqua solo positurum, & turbidus instat.
Immugit domus, & ventoso murmure densus
Increscit magis atque magis fremor. ardua stridunt
Succussis tabulatorum compagibus æra,
Fragmina dissiliunt pinnarum, actæque sonoro
Subsultu fugiunt ædis per tecta ruinæ.
Fit fragor. icta labascere turris, & atria circum
Lata strage coronarum fastigia ferri.
Evolat indignans animis Tegeæus, & harpen
Arripit. At collem interea eximallibus armis,
Indomitas acuens furiis ultricibus iras,
Vicinum Boreas insederat. Hispida nigris
Nubibus ora, supercilio prætenta procella
Ninguida, Strymoniæque hyemes per terga fluebant.
Quæ Boream rabies? Hermes ait. An scelus ausit
Infandum, cœloque novum impegisse Typhoea?
Imperio cludi portas & numine Phœbi
Noveris. Ergo mei tandem, Tegeatice, Phœbum
Tædeat, inquit? an Æmonias pavisse bidentes,
Castalias inter pueras insasse cicutam,

Hos adeone tripus animos, hos Delia cornix?
Imperiis pedibusque meis substernitur orbis
Aërei Jovis; Arbitrio Neptunia paret
Aula meo: quaque incedo, seu nubilus æstum
Attollo, verro seu numine cærula puro,
Observant gradientem & Glaucus, & Amphitrite.
Se mea dant amnes in vincula: mobilis unda
Gorgoneos riget ad vultus. In viscera terræ
Ingredior, penitùsque imis emota cavernis
Libramenta soli vello. Plutonia mugit
Regia, bis ternasque triceps fera surrigit aures.
Agnovit nec me fidicen tuus? Aone in antro
Somniet, & (a) scutica digno deleget habenas.
His dictis, placido advertunt procedere passu
Latoum juvenem. Serpit per tempora, Daphne
Seposita, dono Divæ Cythereia Myrtus.
Ille ubi, quo cœli faciem, nimbosque serenat,
Fixerat in Borea vultum, Non hæc tua Matri
Formosæ promissa fides, ait, exue pugnas,
(Bellatum Veneri satis) & conclavia Divæ,
Si lubet, interiora subi sociabilis hospes.
Hanc dederis Somno veniam. opportuna Dionæ
Visa quies; suasit delapsus ab æthere Somnus:
Et sonitus cohibens omnes penetrabilis auræ
Extimuit fremitum, & nimbosæ verbera pennæ.
Dixit. & admotam capiti super utraque virgam
Tempora quassat Hyperboreo caducifer Hermes.
Commoti ponunt æstus, iræque residunt.

Peractis omnibus, discessum parat Saturnus.

Et jam roboreo fultæ munimine valvæ,
Cardine converso, panduntur: & obsitus ævo
Saturnus, (medium ducunt ad limina Divi)
Invidiæ ille premens gravius sub pectore vulnus,
Discessum parat. Hirsuto velata cucullo
Canities, lemniscatæ quem vincula byssi
Mento substringunt imo senis. Atra per artus,

(a) *Phaetonti Clymenes puero.*

Tergori

Tergoribus sentis, insuto turgida villo,
Descendit, sylva veniens Agathyrside, vulpes.
Horrificant sulci malas, propexaque mento
Desinit in gremium, senis latus ultima, barba.
Ploditur. Acciti veniunt ad lora dracones,
Servitio assueti, bullasque tricuspide lingua
Lambunt, humectantque virentibus æra venenis.
Stare loco indociles plaudentis turbine caudæ
Exhortantur iter. Curru conscendit in auras
Grandævum bijugo Numen. manus altera falcem,
Altera succussu tremulo molitur habenam.

Hìc, artis sibi cognatæ non immemor Arcas,
Quin agè, macte Aquilo; viden', ut pellitus Olympo
Hirsutusque senex iter auspicet? incute, sodes,
Vim tibi. Riphæum robur, nervumque Boreum
Experiamur, ait. Quæ te mora? Si tibi virtus
Ad fibras caleat præsens, accingere, & illas
Tolle tibi pecorum exuvias. Inferre juvabit
Orbibus æthereis facti memorabile nomen.
Tendit iter mundi direptor, & heluo rerum
Per tua regna Deus. tutò ridebit, opinor,
Saturnum Boreas meus, Orithyia Cybellen.
Substitit, affremuitque renidens Pleiade nato
Astræo satus. Extimulant & conscia virtus,
Peliacique olim hinnitus injuria turpis,
Et famæ decus. At spolium vovet Orithyiæ
Mulsurum thalamos, & (*a*) Thressæ frigora tedæ.
Ite animæ Arctoæ, munusque insistite jussum
Ocyùs, inquit, & Othrysias expromite vires.
Nec mora; ventosis abeunt e follibus auræ
Per Jovis atria luctantes, & cærula perflant.
Insequitur stridor nimborum, axisque remugit.
Saturno cœlum eripitur, nec tramite certo
Incedunt bijuges; anceps a vertice turbo

Hìc agitur a Mercurio de surripiendo amictu exteriore viatoris Saturni. Et primò Boream incitat ad facinus:

(a) *Nuptiarum scilicet Borealium. fuit autem illa a Borea rapta.*

Flectere

Flectere nec retro patitur, nec tendere contra.
At spoliis inhiat Boreas, in veste moratur
Sithonius prædo, creberque anhelitibus instat.
At sterilis labor. In ventos feris, excipit Hermes.
Littus arat Boreas, & casso frigore sudat.
Fulmina nonne vides ut mama cruda senectus
Ridet, ait? Tune ille ferox, qui decutis uno
Autumnum nutu, tremuit quem nuper Olympus,
Et mea sæpe tuis Cyllene nota tropæis?
Porrigat hic herbam Boreas, & (a) pollice presso.
Intumuit porro indignans, & inhorruit heros.
Has exosa manus victoria? Frenduit amens,
Atque intercisam frendens in cæca loquelam
Murmura, Mene usquam incepto? nec plura. Severa
Inglomerat vultu noctem. Exhorrescere cladem
Rura solent, cujus Boreas vel sternuat omen.
Tempestatem accire parat, ceu velite vento
Hostem ante exciverat tantum, formidine belli
Accinctam decumana. Illi stridentibus Hœdis
Obsessum limen telo recludit Orion.
Dant gemitum nubes. exterritus horruit Hermes
Egressam, & cœpti piguit. tot fulguris atri
Abstiterant oculis ignes, tam grandine crines
Saxea inhorruerat, tam tristibus hispida nimbis.
Flatum addit Boreas, sonitumque, & turbine auras.
Concretus riget in lapidosos Juppiter imbres:
Inque vicem nebulas, & aquosa volumina laxat.
Nulla dies, nisi quam nimborum e nocte corusca
Excussam reddunt ignes. At lævior axem,
Turbinibus cœlum miscens & murmure rauco,
Convellitque ruitque, emoto cardine, ventus.
Saturnum incessunt furiæ, ruit omnis in unum
Sithoniæ pugna. At resoluta lacinia longe
Fluctuat, in laxosque sinus victoria pergit.

(a) Premere pollicem *est etiam proverbiale dictum*, *cujus contrarium est* convertere.

Hìc demum fremere, & vires accingere Numen,
Et nervos omnes operi. Iuus implicat angor
Consternatum animis: loro cum falce remisso,
Undantes properè manus utraque colligit oras,
Eque fuga revocat vestem. Riget horrida barbis
Stiria, consolidatque nivem intractabile frigus.
Putrida proluvies it naribus, improba tussis
Algentem innatit, & praeclusis faucibus angit.
Ingeminant imbres, resonant cava tempora fictu
Grandineo, toto venti latus agmine pulsant.
Sarcinam age, illuviose senex, & furta ferarum
Cede age, cede, & fosses abi. Sed frigora ventus
Quo spirat magis, hoc ægro mage commoda vestis.
Æstuat, endromidemque tenacibus apprimit ulnis.
Insistit Boreas; iterumque, iterumque senile
Arietat in latus. In ventos cessere procellæ,
Quà ventum, radiis prædo. Sibi redditur æther;
Respirat pater; arma legit; visere nepotes.

Hìc Hermes Phœbum aspectans, Quibus utitur armis
Phœbus, ait? tua nunc tua senserit arma viator?
Senserit, inquit. At occultæ spiramina flammæ
Laxantur sensim; radiis crinitur & auro
Sublimis vertex, intonsaque tempora circum,
Vestitas & adhuc teneræ lanugine lucis
Per malas tædis incensa mollibus errant.
Ex oculis Phœbo geminus sol ardet in uno,
Mox abit in flocem totus, qualisque videri
Et quantus solet, Eoum cùm Memnona visit.
Propagant radii radios, ardoribus ardor
Usquè novis notius usquè profunditur, æthera complet
Lucis & ignis adulta dies. Sic impulit amnis
Æquor iners jactu lapidis cùm ludicra pubes,
Ex aliis alios it mobilis humor in orbes,
Et premit, inque vicem premitur fuga, donec utrinque
Aggeris extremi ludum definiat ora.
Sentit tela senex, & amico saucius ictu
Vulnus amat; lentus sequitur de vulnere sudor.

Deinde Phœbum: cui amictus cedit.

Tela jacet Piscan. exit, qui cereat inermis.
Verticis ergo sacri tegmen, podiumque trilicem
Explicat, & laxos medius discingitur artus.
Expirat vapor. At procedere lentius, astu
Jam gaudente, remissus, & illa ducere serpens
Occipit: & tunicam volupe est posuisse senilem.
Munere suscepto longum si devius erro,
In partem culpæ venit, & sibi sæpius obstat
Auditor facilis. Num sidere forte morantem
Errantemque malo tetigit tardigradus Error?
Siste senex. quid agis? cave si (a) cochlea una
Immineat, obtereris. Citimis in finibus alget
Frigida, brumalis regio, plaga. frigida calva
Officit, & branchos cæli incandescere cœlum
Interea, & nebulas populare valentius ardor.
Villoso medius tum primum tegmine vertex
Ostendit cœlo visus. pilus occiput umbrat
Nullus, demum pendens a fronte capilli.
Et nunc revolutus humeris tergoque relictus,
Nunc mento gremioque, & ludicra dispulit aura.
Continuo parat assurgens brumale (b) cilicium
Exuere: &, colubrum sapiens Auriga cutalem,
Horrentem pulla ponit cum veste senectam,
Et se liberior fruitur, multumque juventa
Innocuos haurit soles, cum solibus auras.
Mitescunt auræ cum solibus, & suus ignes
Vicino (c) brumæ veniens a cardine sopit.
Tristior ille quidem Deus, atque obducere vultum
Nubes fusca solet, nimiis quam sanguinis ætas
Colligit exhalatque lien. Interpere foris
Lætitiam, & cum Sole Jovem finit. Incitat lora
Festivo motu liquidum tota corripe æquor.
Cæruleum currunt fieri, & per mollia linguis
Ora micant, albent spumis, & flatibus auras.

(a) Allusio est ad historiam de Æschylo. (b) [illegible]
(c) [illegible] regionem [illegible] superiorem.

Incend

Incendunt circùm alipedes. prævertere frænos
Ardet, & intacta suspenditur orbita nube.
Et videt & vidisse Hermes negat. ex oculis se,
Nubivagumque Auriga fuga citus abstulit axem.
Atque hìc, ut caluit venis recidiva juventus,
Insistensque viæ, pendensque in lora Viator
Impulit in dextram bigas, devexus iniquo
Pondere, partemque in lævam declivis amictus
Excidit. illum auræ subito cum flamine longè
Obliquè rapuere. simul cum fratre Tegæo
Suspexit, simul exuvias agnovit Apollo.
Panditur, inque sinus modò confluit, & modò tortus
Per varios evolvitur endromis: impete prono
In terram fertur, tum subsilientibus Euris
Tollitur in diversa; plicis extrema recussis
Dant sonitum, limbisque vibrantibus aura cohorret.
Decidit. Acclamat Phœbo Cyllenius Hermes.
Obstupuere animis immensi ponderis: ardent
Cominus inspectare sinus, artisque labores
Intextæ, villumque operosum, & sutile vellus.
Excutiunt utrinque, atque inter brachia versant.
Tergoris huic, si Parnasso famæque fides est,
Mænalius partem fugiens in lustra Lycaon,
Partem Aries, Hellen qui vexerat, arbiter anni,
Et Nemees pavor, Hesperidumque tyrannus aquarum
Corniger, illotamque undis Erymanthia Nympha
Submisit partem: gracili quam dente Cytori
Pexuerat lunam ad quartam Cybeleïa conjux.
Phœbus abit victor. bifido victoria Clivo
Ad Daphnen appensa. *Deûm Pater, atque Avus hic est.*
Signatam tetigere Senex & Fabula metam.
Fabula nempe moræ pœnas luat. Ast ego (*a*)Sphingem
Deprecor. Ogygius, nodi qui vincula solvat,
Non opus est interpres. Habent & seria ludi.

(a) *Sphingi scilicet supplicium ab Oedipo inflictum: quam e saxo ille præcipitem dedit.*

Clementia in vitio est, si cauta non sit.

Unum pace tua (dederis hanc, Carole, pacem)
Addiderim. Est & ubi peccet clementia. Tutus
Ut Videar, non sum. Nimbi securus & undæ
Sicca tempestate premor. Nec murmure terrent
Tympana, nec clangore tubæ; sub pellibus hostis
Conticet. interea nitri per pabula surdum
Sub terra bellum serpit; (*a*) silicisque, rotæque
Occursu rapido disseminat ignea fatum
Linea: sternunturque arces a pace dolosa.
Gens non una sumus cum Doride Pergama. Pestes
Inclusas in equo Phrygio fovet Anglia multas.
Molem hanc an (*b*) Laertiades, an Pyrrhus Epeo
Suaserit, incertum. certè sibi dædala Pallas
Non ascivit opus. Neptunius ille, sagacem
Qui cæcis uteri latebris intorserat hastam,
Laocoon dedit immeritas (an numina culpem?)
At pœnas dedit. Immoto sub Apolline Troja
Staret adhuc, & adhuc starent Priameiæ arces,
Sortem, Mysta marine, tuam traxisset Epeus.
Ecce iterum muris illabitur improba nostris
Machina, mons armis gravidus. contingere funem
Gaudemus, manibus læti supplaudimus armos:
Mœnia pandit, & intendit Clementia collo
Vincula, subjicimusque rotas. O Dardana proles!
O veterem necdum Juno saturata dolorem!
Claustra Sinon------At (*c*) Musa sile, desponsa Cho(reb)
Musa, Dei jussu Carolo non credita vates.
Serò mihi sapient iterum Phryges. Ilia classem
Turba sub Antandro, & nota molire sub Ida.

(a) *E duplici modo incendendi cuniculos hic recen-tior est, cujus meminit Strada lib. 6. dec. 2.*

(b) *Quem Laertiaden, Pyrrhum, Epeum, Laocoon-, quem Apollinem in superioribus Angliæ tumultibus, in-quam machinam modò, seu equum Trojanum velim, pu-tcn latere Lectori.*

(c) *Cassandra e Parnasso nova.*

Sed quid ego hæc? meliora canit præſaga futuri, *Statua Pacis.*
Quam tueor, feſtivi oris cultiſſima Virgo,
Cum Spica molli, cum Termite, cumque Racemo,
Et, quicquid parit Utilitas, complexa feraci
Nympha ſinu. Necte, Irene mitiſſima, nodum,
Diſcordem gladium qui rideat: Atria claudat
Martia compages æterna, (*a*) Stonhengiaque obdat
Tota fores; nullos videat concurrere (*b*) montes
Tellus, & nullas iterum (*c*) Symplegadas undæ.
Multa, tuis ludens in laudibus, extima terris
Uranie de te meminit, ſociæque Camœnæ
Te decimam optavere. Tibi, concordibus Horis
Noctem inter lucemque pari quà pondere pendent
Tempora, triticeoque viret quà mergite Virgo,
Eſſe locum narrat. ſe contrahit & bona Virgo,
Contrahit & non invitam pia Libra bilancem.
Caſtra procul, lituique. Feras, te dante, vel ipſas,
Aſcitos cœlo cives, pax aurea mulcet.
Nec latrat mitis Procyon, nec ſibilat Anguis,
Nec rugit Nemee: Phylacem nec rejicit Arctos,
Mugitus nec Agenorii per cornua fuſſas
Exterrent Hyades. ſed nec rota mobilis uſquam
Inſtrepit, aſtrorum dum volvitur igneus axis.
Regreſſam cœlo veneror. Quàm claſſica diſpar
Noſtra ſonant cœli concentibus! obſtrepit illis
E terra fremor, & mundi catadupa ſonori.
Ad nos te patrio Carolus deduxit Olympo.
Ille tibi (*d*) æternam ponet, quam ſecula fundent
Cuncta, ſuo pridem quam pectore condidit, ædem.
Et modò, Nympha, Popæ dextrùm annue, (lingua
(favebat *Inſtauratur Paci ſacrificium terras reviſenti.*

(a) *Moles lapidum ſtupenda in Comitatu Wiltonienſi, dicta* Stonenge.
(b) Et montes concurrere montibus altos. *Virg.*
(c) *Prælia navalia.*
(d) *Templum erat Pacis Romæ, quod vulgò appellatur* æternum.

 Alitis,

Alitis, hesternisque Deus spirabat ab extis
Integer) & sine, pacales cruor imbuat aras.
Huc age, rumpe moras, nitrum, baccamque nefastam,
Naryciamque picem, & fruges cum sulphure salsas.
Huc age sis, redimite puer. Clitumnus aratro
Serviat. Æqua jugo cervix haud apta securi.
Sanguine Cinyphio nec opus. Sistatur Enyo
Victima. Cernis, ut ardentes intorserit orbes
Lumine sanguineo? Ludibria deripe cristæ
Ventosæ; fronti latices inverge Cytæos;
Deme supercilio setas: ea proxima sunto
(Ut fastu riguere!) foco libamina. Cultro
Parcitur. hæ vitam poscunt, non funera tedæ.
Siste. nec ista petunt ultrices pabula flammæ.
Sylvani gentem innocuam quæ crescere nobis
Invidia est? stent illæsæ cupressus, & ornus,
Et casus abies alios visura. Lacænis
Si qua tamen Nymphis centum gravis afforet (a) arbos,
Nullus ego abnuerem. At prô Numina! (b) Machina
Fœta minis, aciem quæ turbat? Et ecce rotarum (bell
Magnifico lapsu invehitur, succincta tumultu,
Mortisque intersepta metu. Fastigia tecti
Transversa cancellatim trabe, & assere denso
Projicit in planum moles. Grave sublica pondus,
Robore nexa decussato, quàm sustinet ingens,
Quàm stipata! Operis frontem, & latera ardua muni
Quàm lorica frequens, cuneorumque horridus ordo
Porticus in medio vasta, & circumdata Martis
Instrumento omni. Pulchrè. Dii vota secundant.
Bellonæ solium agnosco, fœdamque sororis
Tartareæ sedem. Satis est. alimenta proposci?

(a) *Patibularis aliqua scilicet onusta meretricibus Helenæque similibus, quæ fax erat belli Trojani.*

(b) *Machina, quam* Galleriam *vocant, inter apparatus bellicos una e præcipuis, in qua Bellona tandem comburatur.*

Ardeat

Ardeat ipsa suo bellatrix fomite Virgo,
Cædibus in mediis solet hoc in mœnia curru
Ferri Diva triumphalis. pyra funeris esto
Supremi. dicentque novissima Fulmina verba.
(*a*) Congere cum clypeis enses, cum curribus hastas,
Vivaci nitrum cum sulphure, tympanaque, & arcus,
Balistas, & malleolos, clangentiaque æra,
Signaque, fumantisque globi murale tonitru,
Et quæ ferrea cunque strepit per castra supellex.
Se totâ Bellona flagret. Funalia nitro
Subjice. Siste. dabit flammas Ephesina. (*b*) Dianæ
Porgitor ardentis raptus de funere torris.
At, factum bene. fervet opus. cum Numine votum est.
Nubila torquet ubique volumina, & altiùs undam
Ater agit vapor, & tempestas ignea surgit.
Confusum viden' ut Rabies, & fusilis Ira,
Ambitioque fluens rivis, galeataque Cypris
In cumulum coit? Ecce Dolus, Fastusque, Rigorque,
Et præfracta Licentia, Amorque effrænus habendi,
Insidiæque, & Livor edax, & Furta liquescunt.
Et jecore, & toto modò viscere clangitur. ardet,
Solvitur, in cineresque suos subsidit Enyo.
Vade age, Mysta: pient artus & sulphur, & ovum.
Esto sacer: Divam nec fas vidisse, priusquam
Purgarint oculos & mystica lampas, & undæ.
Ut Pæstum mihi spirat adeps! an messor odores
Assyrius tales legit? an Gangetica busto,
Cujus parturiens cinis, & reparabile funus
Et Cilicum sylvis, Arabis & messibus halat,
Immoritur volucris tali? Sed nulla refingat
Faxo suum in cunas Phœnix Bellona sepulchrum.
Irenæ cecidit sua victima, decolor ætas,
Et ferri mala progenies. Accingere ferro

(a) *Vide, si lubet, & plura desideras, Bald. sylv. 9. Od. 20. & 25.*
(b) *E religionis vastatæ, & templorum ruinis.*

(Edixit

(Edixit Dea) ſola Ceres, & ſola Diana.
Edixit? (*a*) Nova quæ ſubitò tamen impulit aures
Formido, Boreæque afflans e cardine rumor?
Ergo iterum ferro & lacrymis it teſſera ſignum?
(*b*) An Syllæ venere alii? Sertorius alter?
Et conjurantis dux (*c*) Spartacus alter arenæ?
(*d*) Ad (1) *Scutum*, Juvenes, ad (1) *Habenam* rurſus, ad (2)
Imperio quis (3) *Reſtitui* meliore jubebit? (*Haſtam*.
Reſpice, Diva; novis prodit conterrita caſtris,
Mœſta, tuiſque iterum rediens advolvitur aris,
Anglia. ſed latus enſe redit nudata, comamque
Caſſide, & ære ſinum. miſerere gementis, opemque,
Per, gentis te ſiquis amor, tutelaque tangit,
Fer miſeræ, facileſque manus oppone ruinæ.
In veterem infelix adſum revoluta querelam,
Et veteris telam luctus invita retexo
Anglia, non tenui tibi nomine debita. Mentem,
Sic equidem ducens animo, accepiſſe benignam
In me jam nuper Superos, & priſtina rebar
Obduxiſſe ſimultatum veſtigia. Cœli
Ferrea, ceu quondam, facies, iræque recurſant.
Si, tu cùm regno præeras; de te bene ſi quid
Commerui, Si fronde tuas intexuit ædes
Palladia, fovitque focos, araſque ſacerdos;
Si pelago (*e*) lanas, & nulli noxia vela
Mercatura tetendit, & ipſam læta vocavit
Te rediens lucri in partem, Si jura, forumque

(a) *Hæc ſcripta ſub allatos rumores tumultuum novorum in partibus Angliæ ſeptentrionalibus ſub an. 1663.*

(b) *Novi ſcilicet, ſed præcipuè* (c) *e plebe concitati exciti tumultus.*

(d) *Voces militares olim uſurpatæ; quas modò efferimus per* faces about (1) To the left: (2) To the right: (3) As you were. *Ælianus.*

(e) *Vittæ laneæ non ſupplicum modò, verùm etiam & pacificorum,* &c.

Incorrupta

Incorrupta Themis coluit, Si Palladis artes
Integræ viguere, oleæque Aganippides undæ
In laudes tumuere tuæ, fuccurre, tuifque
Indulge, Dea, muneribus. Tua non ego rupi
Fœdera, pugnacemve immifi finibus (*a*) haftam,
Verbenas oblita, tuis. Si, numine læfo,
Offenfum eft, dedimus pœnas. en victima (*b*) Paftor
Ipfe gregis noxam, & vittam facer ipfe gerebat.
Nonne fatis parere, mori cùm jufferit ævi
Quæ modici ftat cuique dies? & rumpimus ipfi
Parcarum ftamen, teloque accerfimus iram,
Ingeniique aciem. Quoties mutavit ariftam
Flava Ceres, noftroque adolevit fanguine rubra?
Si noftra peregrina, domi nec nata bibiffet
E vena fitis, effet, ubi tolerabile fatum
Solarer, venæque rependeret illa viciffim
Damna peregrinus fanguis. peregrina Britanno
Terra, peregrinus gemeret fub milite pontus.
Aft ego (*c*) vipereum, & foli mihi flebile bellum
Parturio ipfa mihi. Sparfos age collige crines,
Anglia. Num rifit (*d*) Dea? Rifu folvitur illo
Cum fletu metus. (*e*) e Borea ceffere procellæ.
Sufpicis? agnofcis dudum tibi, Carole, notam,
Et te quæ dudum agnovit. Tibi, larga Voluptas
Quas dat opes, quas Utilitas, non invidet. ora
In tua fe tamen infinuat, nimiæque Poetam
Damnat fortè moræ. Te vendicat illa, fuique
Te fore juris ait. Quin & natalibus illud

ORDO Quintus. Statua Gloriæ. Comites, Philodoxia feu Cupido gloriæ, Victoria, Mufa.

(a) *Ut feciales folebant bellum indicentes.*
(b) *Carolus primus interemptus a perduellibus.*
(c) *Allufum ad partus viperarum: ubi catuli poftremi rumpunt latera matrum.*
(d) *Pax fcilicet, coram qua hæc modò folennia peragebantur.*
(e) *Nam Buckingamii Ducis adventu cum copiis militaribus tumultus ifti Septentrionales reprimebantur.*

Alluxiffe

Alluxisse tuis se prædicat auspice (*a*) Sidus.
Sideris in mentem veniat. Certasse feruntur
Astra, tuos quis natales daret arbiter ignis.
Consulitur (*b*) Genius. Cœtus se Gloria miscet
In medios, Puerumque suum probat. Illa(*c*) Coronam
Evocat. Accitu Dominæ Minoia virgo
Jussa capessitura venit. Te, Gnossia, tangit
Hoc, inquit, munus. Juvenem per devia multus
Præsultans Error ducet. Tu dirige gressum
Rerum gnara dolos evolvere, certaque monstret
Lampas iter. Dixit. Lucem pia Stella novenam
Colligit in nodum. Stellæ, mora nulla, remittit
Cœlum Sol commune: nec invidet æthera Nocti
Divisum cum Sole Dies. Subit illa diurnæ
Certatura faci, tantoque superba Corona
Munere regali perfundit sidere cunas,
Seque coronatas videt, explerique videndo,
Te dives, nequit. Ambages at mittere tempus
Admonuit. Se prodat amor, fateatur & ignes
Gloria casta suos. Ipsam tum forte putemus,
Innubam adhuc, (*d*) flammam e coelo exhibuisse juga-
Amplexusque petisse tuos? O candida merces, (tem,
Meta laborum, & dulce lucrum! Tantone (minori
Non venit) pretio Carolus (*e*) venire recuset?

(a) *Novam de stella, quæ medio die fulsit in ortu Principis in omnium conspectu.*

Habebatur stella emblema gloriæ apud veteres. Sic de stella Ascanii, Julii Cæsaris, & Honorii.

(b) *Nam astris suus cuique Genius affingitur.*

(c) *Coronam Ariadnes inter sidera relatam, novem stellis ornatam.*

(d) *Sic de stella Honorii.* Nupturiebat tibi, Honori, Gloria, & stella veluti facem nuptialem præferebat.

(e) *Dignum pretium, quo ematur Principis amor. & respicitur ad nuptias Romanorum, quæ fiebant farre, usu, vel coemptione. sic 1. Georg. de Thet. & Aug.*

Solares

(a) Solares intra thalamos, & Luminis ortus
Sub primos illam Virtus enixa sub axem
Æthereum fudit: simili cui cyclade lucis
Indutæ, mitras inter trabeasque reclini,
Sidereo religasse comas & pectora cinctu
Dicitur, æternamque ori sparsisse juventam;
Temporis ingenui quam filiæ Laudis alumnæ
Ubere fovit Alethea, &, cùm robur ab annis
Venerat, evectam Famæ pernicibus alis
Templa Deam Diis spectandam per cærula duxit,
Æqualem Superis, & se præ se ore ferentem.
Nobilitas illam curru comitata decoro
(b) Mille retro fluit in populos, & mille resignat
Vultus antiqui ceras. Ancilia, Fasces,
Et turbæ Titulorum, Aquilæ, Trabeæque, Togæque
Circumeunt gradientem; inter quas vertice toto
Surrigitur supra, atque apices popularibus auris
Commotos attollit Honos. hunc mille secutæ
Spes (c) niveæ circum prensant. Procul Ambitus, & quæ
Cum (d) multa cretata faba, cicerisque canistris
Venales promittit emax Ignavia currus,
Degeneres numerat census. At turpe Repulsa
Ore solum, &, quæ non sequitur, vestigia mordet.
Hæc est illa, tuum terras super, æthera supra
Quæ vehet, attolletque ad sidera Gloria nomen.

Statua Philodoxiæ.

Proxima sorte locum (Vortat bene. tota facessat
Suspicio noxæ) Philodoxia, pulchra Cupido,
Non præceps, imposve animi tenet: integra laudum
Nympha, nec illa sui minus integra. Quam Physis altis,
Linea quo cœlo propior venit, altiùs indit
Mentibus, igni & aqua tun' interdixeris? Illi
Armigerum statuit prudens Natura Pudorem.
Pusio forte tibi visus; sed pectoris hospes

(a) *Vide Casim. Lyr. l. 3.* (b) *Hæc scr. in præsensione.*
(c) *Candidatæ.* Niveique ad fræna Quirites. *Juven.*
(d) *De hoc more prehensantium Persius in Satyris.*

Herculei, Heroum custos, qui credita Virtus
Ventosam exedræ Nympham dixere severæ.
Laudo salem. At pennam tollunt ad nubila venti.
Restinctus Virtutum ardor, nisi fomite flammam,
Hoc foveant, Hoc libarunt e fonte Camoenæ.
Hinc Galeæ, hinc Laurus, hinc ipsa venere Tiaræ.
Hanc pullum ad lucem explorat Jove prædita Mater,
Cujus avos, laudumque acies intertrita soles
Non tulit, arcetur tabulis inglorius hæres.

Sit cupido gloriæ veræ, & propriæ.

Gloria amor si quem teneat, quæ sublita fuco est,
Et coemit vultum, fugiat. Neque sic mihi tanti
Messe sua quæ non vivit tenuis, improba fugit
Quæ ceras atavorum, alienaque pabula carpit
Deses, & invitis arcessit nomen ab Umbris
Quæ genus & proavos jactant, Præconia Manes.
Damnabit Minos furti rea. Fallor? an ora
Propositæ sub nostra venit factura Volucris
Materiæ appositum pondus? Sic fabula scenam,
Sipario amoto, subit altera. Ludere vati
Concessere subinde Deæ. Quin Genius ipse
In tenui ludit, Pindique in vallibus imis
Aut pinguem Lycidam, Satyrumve movetur [illegible]
Aut Culicem, Muremve canit Patareus Apollo.

Parenthesis Fabulæ de Cornicula, induente se plumis alienis.

Non hic te moror ætatem. (a) Quo tempore Divûm
Atque hominum Pater, in flavo Ganymede fidelem
Expertus, coeli & facis in consortia rubræ
Admisisse Aquilam fertur, propriamque dicasse

(a) *Est res hæc non tam fabula, quàm allegoria. In Deas Venerem, Minervam, & Junonem intelligitur [illegible] chritudo, Scientia, & Potentia, e quibus gloria [illegible] tur plerunque. Per tot Avium nomina intelliguntur M[illegible] talium varia genera, quorum alii e conceptu [illegible] suorum meritorum, alii perverso modo nituntur ad gl[oriam] alii viles, & sordibus suis contenti omnino [illegible] gunt, &c. Applicationem ut libuerit.*

Flagranti dextra; Veneri, castæque Minervæ,
Et Junoni, una riguis ut vallibus Idæ
Contendere, sibi sociam sacrare volucrem,
Cuique suam, pariter placuit. Vicina latebat
Iliceæ obtentu frondis, placitisque Dearum
Intererat furtim Cornicula. Solis ab ortu
Huc ades, Oscen, ait. Me scriberet optima Juno
In sociam, matris quam filia diceret albæ!
(a) Delie, sit cum pace tua: da vertere vestem.
Dixit: & incussu pennarum agitabile corpus
Crebra ciet, plausuque everberat alite sudum
Accelerans, notosque petens animosa Penates.
Nox erat, acceptamque sinu gens plumea noctem
Frondosi ruris per tecta, lacusque silentes
Jam somno posita, & curis exuta fovebat.
At non in somnos votis intenta, nec ullam
Solvitur in noctis partem Cornicula. Regni
Objicitur species ingens, & nomina rerum
Grandia. Reginæ jam nunc assurgere visa
Gens incedenti minor: officiosa volantem
Jam nunc ala premi circum: promittere nidis,
Jam nunc nil mortale sonans, immitibus ausa
Ambrosiæ micas, & spicam virginis Astri,
Libum, farra, molamque, & quicquid libat ad aras
Antistes sacri calicis, seu lancis opimæ.
Quæ ferar! Imperium divisum cum Jove Juno,
Alite cum Jovis Ales habet Junonia, Cornix.
Eximiæ dotes animo. sed dotibus, aiunt,
Eximiis impar species. In corpore pulchro
Quæ venit, arte probè lita, picturataque virtus
Gratior. In mediis, fateor, formosa coruscat
Pennarum tenebris. at versicoloria, Numen
Femineum, præfert puris insignia Juno.
Multa voluntanti tandem hæc sententia surgit.
Evolat: & tacitæ noctis, coelique sopori

(a) *Est enim cornix e Phœbi familia.*

Munere læta (a) Lavernam, Atlanteumque nepotem
Compellans, (b) Neque lanx, inquit, neque licia desunt.
Signa sequi quem vestra pudet? Nec plura. Volucrum,
Cuique notis macularum ut erat cultissima pluma,
Tecta petit: passuque umbrosa cubilia lento
Lustrat, & exuvias habiles, ut fortè caducæ
Corpore (defluvium pennis indixerat æstas)
Exciderant, legit, & lectas sub tecta reportat.
In lucem latet, & furtum componit. easdem
Altera nox, repetit nox altera, & altera curas.
Junoni mensis sacer, & cum mense redibat
Expectata dies: Phrygiæque sub ilicis umbra
Adversos legere ut possent e cespite vultus,
Cominus assedere Deæ. Subtexere jussæ
Continuò cœlum nebulæ. tum lenibus aura
(c) Octipedem Zephyris, & blando frigore mulcet.
Undique convenere, frequentique æthera cœtu
Cinxere aligeræ gentes, quæque hospita septa
Villarum, assuetæ imperio, quæque obsita dumis
Rura colunt, & quæ rupes, suspensaque saxis
Clivorum juga, quæque lacus, & litora servant,
Et cultu, & linguis variæ. Venere Palumbes
Acciti, Perdix, & Anas, & Milvus, & Anser:
Pavus adest, in quem (d) nuper migraverat Argus;
Excubitor cristatus adest, qui cantibus Eon
Evocat, & cristatus Epops, & vertice Nisus
Purpureo, & galeæ cono præsignis Alauda,
Mole pusilla, vigens animis. E Strymonis alveo

(a) *Furum præsides.*

(b) *De licio & lance furum, illo, ut furta alligarent, hac, ne innotescerent, Alex. ab Alexan.*

(c) *Cancrum, Junii sidus proprium.*

(d) *Si quibus Avium in fastis circa tempora, & eventus quoque rerum gestarum aliter fortè sit, Annales non uni sunt; & nihil minùs constat, quàm memoria historiæ volatilis.*

Naupliades

Naupliadæ volucres, e Cypro missa Columba,
Psittacus e sylvis Auroræ, & Memnonis arvis,
E Pandionia quoque Daulias utraque terra,
Ambæ Dauliades, melior tamen altera, quæque
Muta puella fuit, nunc in suspiria vocem
Librat, & indignam queritur lacrymosa rapinam.
Tuque, tui felix hæres, æterna Volucris,
Adfueras, illo Soli nisi forte litasses
Tempore, fovissesque recens a funere nidum.
Corvus abest, & Vultur abest. hunc rupe Prometheus
Caucasea, turpesque epulæ tenuere: sed illum
Ira gravis, versæque recens injuria formæ.
Inter & esse decebat avem Meneida. Solis
Non ausam radio nimium se credere Vesper
Abdidit. At fidens, & mentis conscia multæ,
Præceptamque animo jam tum meditata Minervam
Noctua, nec verita illa diem, sub luminis auras
Extulit os, os Palladium. Plausistis Athenæ.
Ecce autem cœli e diverso sola, sed instar
Agminis ipsa, (volantem oculi vertuntur ad unam)
Ardua, plumosoque habitu spectabilis Ales
Conventus venit in medios. Illi aurea frontem
Prætexit regni species: in vertice fulvo
Surgit apex, ternæque jubæ, Tritonia quales
Ostentat, cùm per Tanaim bellatur Amazon,
Virgineas præitura duces. Per turgida colla,
Tergaque, purpureosque sinus, & punica crura
Multa jacit late ambiguos tessella nitores.
Nec minor a tergo fastus. per syrma superbum
Plurima pennarum luxu Thaumantias errat.
Sistere circùm ardent omnes. Heroida cernunt
Non aliàs visam. Vah, Jupiter! æmulus instat
Pavo: suos spoliis oculos speculatus in illis.
Primus Pavo. calent iræ. par omnibus ardor.
Continuò sævitum animis. gliscente tumultu,
Invidiaque odiisque ferocibus omnia fervent.
Unguibus infestis certatim, & vindice rostro

Se repetunt; prædam invisam, ut data cuique sæcula,
Excutiunt, velluntque, ruuntque. O sospita Juno!
Furtivis exuta coloribus, inque volucro
Eruta, tu Cornicula eris, risumque movebis.
Nec risum tantum movet. & sua pœna luenda est.
Exulat. hæc Divæ triplici sententia sedit.
Exilii, Britonum ad talos, (a) Cornubia sedes.
(b) At nimium in vitio est. & vellis Cymbium eurea.

Statua Victoriæ.

Altera sed quam te, Virgo, quo carmine dicam!
Palladione satam te sanguine? Palladis instar
Quantum est in Nice, Nices in Pallade quantum!
Oris pulchra quidem, Nice, sed torva voluptas
Esse tui solet. impressi cum pulvere soles,
Relliquiæ irarum, campique recentis imago,
Atque hostis vultus memores. Quam dissidet ori
Hæc illi species! rubet hæc Victoria nullo
Sanguine: nec solitum præfert Victoria Martem.
Namque ubi debellatæ urbes, domitrixque catena
Regnorum, & rigidi fasces? ubi sæva securis,
Captivique supercilii pavor, & rota squalens,
Damnatæque Orco inferiæ? nec rostra carinis
Diruta, mœrentesque Deos, nec rapta Cethegis
Signa, nec indutas Feretri gestamina quercus,
Cætera feralis pompæ nec fercula cerno.
Scilicet est, posita cùm dimicet ægide Pallas,
Gorgoneæque albente manus armentur oliva.
Et præfert nobis alios Victoria vultus,
Bellator cùm pugnat Amor. Vestire cruentam
Gaudeat excidiis pompam Victoria vindex,

(a) *Cornicularum regio feracissima.*

(b) *Purgatio hic eadem ferè, quæ in priore fabula; cui si apud Zoilum locus non sit, ædepol non laboro. A[...] apud Principes etiam seria exhibere nonnunquam sub [...] tegumentis ludicrorum non omnino inusitatum. At excur[...] sio in utraque fabula longior justo, inquis. Nunquid [...] dixi aurem vellicatam?*

Se minor, ut victo major. Quæ blanda volentem,
Gaudentemque triumphari sub vincula misit,
Præ se blanda ferat, redimitaque amoribus ora,
Et victo, seque illa simul Victoria major.
Victus at inde minor negat esse, triumphat uterque.
Annales famæ veteris, cunctasque revolve, *Mentio Principis Londinum redeuntis.*
Diva, tuos, te nec teneat limesve Britannus,
Palmeti pars ampla tui, seu limes Iberus,
Nec decorum quò porrigitur modò Gallia campo.
Metire & gentes, & tempora. Respice currus
Pampineos, rubroque actas e littore tigres;
Contemplare ducem Emathium, Tigrimque fluentem
Sub juga Pellæi fastus: Ad secula mentem
Et Romana refer, memorem, quo Consule Cimbros
Spectarit, Libycosque Tonans e Rupe triumphos,
Quo Duce Carthago supplex, quo Cæsare Teuto
Sub Latias humilisque ierit Pharsalia portas.
Fare age. Num majora dies spectacula terris
Ulla dedit, quàm cùm rosei sub (a) Veris & Astri
Auspicio gemini cœlo sua munera, nobisque
Os ostendebas illud, quo pristina visa
Claruit Astrææ facies, quo dissita mundo
Anglia, nec mundo magis devia, quàm sibi, tandem
Ad sese rediit, rediit probitasque, salusque,
Et tota pacis comitata propagine Virgo?
Solennes audire sonos, festumque tonitru
Tarpeiæ nostræ videor, vocaliaque æra
Templorum, & cantus, conspirantumque tubarum
Assensu placido resonas per compita voces:
Et, quæ personuere magis, per tecta domorum,
Per cuneorum alacres coetus, arrecta senumque
Et juvenum, & teneræ longè ingeminata catervæ
Gaudia. Per nubes ierat tum fortè Notorum
Insistens alis Fama, & conterrita fertur

(a) *Maii 29. eo enim die rediit Princeps exul Londinum e partibus transmarinis.*

Nec

Mentio Principis Londinum redeuntis.

Nec cemeni oris linguas audisse, nec æris
Signa sui. Descende polo Dea! classica misce
Et tua. Cernere opes videor, Phrygiosque nitores,
Indutasque Tyro plateas. Incedere cerno,
Oebaliæ quales nunquam vidimus Amyclæ,
Mandentes fremitu læto spumantia fræna
Cornipedes. Cerno, lucem quæ luce lacessunt,
Auratas acies. Te, Carole, Carole, cerno
Post tanto, qualis rerum sibi humida busta
Imperium lucis repetens Hyperionius Sol
In sellam emicuit, cœlique resumpsit habenas.
Anglia, te sola felix, virtutis avitæ
Dives, & imperio natum genus! Anglia, mundo,
Ut mundo potior, divisa, liquentibus ulnis
Ubera quam circum Tethys fovet, Insula regum
Mater, alumna coronarum, & fidissima custos,
(a) Mota loco sede nuper quo gloria cessit!
Servibas, o servibas, ut vertice (b) curto
Liberior Bruto audiretis. (c) Vertigo Quiritem
Non creat. En prisco redit (d) Feronia vultu,
Vindictaque tuam vera te fecerit, & ipse,
Sanguine detersio, & nullo certamine, liber
(e) Festuca tactam calcat gladiator arenam.
Anglia Bellonæ furiis exercita, (turpis

(a) *Ejecto Principe per dominatum perduellium.*
(b) *Alluditur ad morem curti capilli apud illos illius temporis, qui merito Rotunda capita appellabantur passim.*
(c) *Ut vindebantur olim, (in quod alluditur per verticem curtum) qui vocabantur ad pileum libertatis: sic iidem (ad quod alluditur per vertiginem plebis) vicumagebantur, potestate videlicet illis facta eundi, quo libitum ipsis esset.*
(d) *Est etiam Dea libertatis.*
(e) *Virga prætoria, sicut & vindicta, manumittens.* Quid ea? ingenua, an festuca facta? *Plaut. in Mil.*

Heu

Heu Phrygiæ nimiam!) in terris quæ non modò flebas
Pergama, quos non passa tuis Simoentas in undis?
Ecce tuos bellator adest qui perculit hostes.
Perculit: & nullus sequitur de vulnere sanguis.
Carole, sublimis solium conscende: * tonanti
Inseruit qualem dextræ Colophonia Musa,
Partem sume Catenæ unam. pars altera longâ
Deflua nodorum serie, discretaque partes
Definit in plures. Age, quin age, Scotia pugnax,
Anglia prompta manu, bellax Hibernia, si quos
Fortè animos alitis prisca feritate rebelles,
Si qua Cytæinæ stirpis mala fibra medullis
Hæsit, si qua novi se germinis egit in auras
Ambitio, mactè validas audacia summos
Induat in nexus palmas. Accingite pulchro
Unà operi certatim omnes: accersite nervos
Nobilis invidiæ, soliique e sedibus hostem
Detrahite invisum. Certamen inutile. Nisu
Quàm facili Pugiles ad se trahit ille trahentes!
Nexu libertatis Amor trahit. Anglia tota,
Quanta & quanta Caledonia est, Hibernia tota
Victricem agnovit dextram. Votiva sequuntur
Signa: minæ veteres posuere; sequuntur amores,
Seroque est in amore dolor. Quem perdere tentat
Ira nocens, expugnat Amor, lucratur & hostem.
Indue, te spoliis, Amor, indue. collige campum.
Anglia, sorte tua, teque utere: victa triumpha,
Et Victoris in amplexu, gremioque bonorum,
Quæ Superi exhibuere, sede. Genialis an optem
Gaudia pacis? habes. An opes, queis utraque terram
Tethys inundet? habes. An laudem, & opima decoræ
Præmia frontis? habes. Habeas hæc dona, diuque
Ut potiare, (quis est, qui lividus abnuat?) opto.
Ut potiare, diuque habeas, extrema catena
Supremæ, nodisque sequacibus apta voluntas
Accedat. Sunt & Mundo sua vincula. Jurant
Causarum in leges Effecta; Potentior axem

** Allusio ad Catenam Homericam.*

Et hortatio, ut Anglia se nodo libens inserat.

Temperat inferiorem æther: huic proximus, orbi
Sidereo excubias stabiles qui digerit, ordo
Obsequitur, mediis imi. Quà torquet habenam
Phœbus, Eleusinis sequitur cum messibus Æstas,
Nec solvit nexum Autumnus. Soror extima cœlo
Quà frænos quatit humentes Regina bicornis,
Ponè citi subeunt Menses, cum mensibus Undæ,
Cæruleusque Tridens refluis cum fluctibus audit
Imperium lori. Certis hæc jura tueri
Fœderibus, Natura, tuum est. Discordia nodum
Ruperit? informis redit, *indigestaque moles.*
At nodum nos hunc dissolvimus; Anglia fœdus
Discidit. &, rerum facies quæ deinde secuta,
Vidimus. At veteres furere implacata furores
Desine. sat furiis licuit. mitesce: nec ultrà
Cognatis in visceribus tot crimina sudent.

Et vertantur arma in gentes barbaras:

Quòd si pectus habet, bellatrix Insula, ferri
Tantus amor, nec sanguineum præcordia Numen
Excutiunt, armis genus intractabile, ferro
Occidui crimen commune refellere mundi,
Euxinumque sequi, Auroramque reposcere furta,
Bistoniisque suum terris immittere Martem
Quis vetet? Adveniet, lustris volventibus, ætas,
(*a*) (Sic fatis placitum accipio) Mavortia Bruti
Cùm Thracen armis subiget domus, Ionioque
Anglia palantes agitabit in æthere Lunas.
Affore præsentit Vates, cùm finibus alter
Hunniades nostris surgat, cùm Castrius alter,
Atque Epirotæ spirent in Britone Manes,
Threiciæque super volitent Capitolia Romæ.
Præcipe fata, tuasque, Brito, præsumere laudes
Ne pigeat. (*b*) portus Afri patuere, foresque

(a) *Simile quid haberi intelligo in vaticinio quodam, fide digno, asservato inter cæteras res memorabiles in archivis cujusdam domus religiosæ Neapoli.*

(b) *A ditione modò habita oppidi Tingitani.*

Venturis (a) Abyle fatis Maurusia pandit.
Sterne viam fatis primam, (b) Jacobe; sequentur
Fata, eadem ipsa duces. Jam nunc tua signa triumphis
Induere, exuviis jam nunc fulcire triumphos
Barbaricis gestit Victoria. Gallia quondam
Militiæ licèt impubis te pulvere primo
Sordentem pulchrè, magno, cui concolor ibas,
Sensit Avo dignum. Pugilem sed arena poposcit
Altera. te Frater caruit; traductaque virtus
In Belgas socium docuit rugire leonem
Rugitu nostro. (c) Dominas tibi classis Iberæ
Hesperius Pater, Oceanique potentis habenas
Obtulit, & cogi merito. Cum Gadibus Austri
Imperium Thetis occidua, æquoreæque Tridentem
Transcripsere tubæ. (d) Sed opis fuit indiga tantæ
Patria. subduci patriæ non debuit uni
Terrarum communis amor. Nec defuit orbis
Hic votis Deus. In mundi te gaudia natum
Permisit mundo. pelagi nam fræna Britanni,
Hoc est, quacunque exercent in carbasa venti
Imperium, dextra moderaris, & omnibus audit
Oceani Desiderium Jacobus in undis.
Et jam vela darem in laudes simul, inclyte Princeps,
Ipse tuas, pelagi timidus nisi litus amarem,
Quem premerent æstus medii, laudumque sequentes,
Nec minùs usquè secuturæ, Jacobe, tuarum

Occasione præsertim modò oblata oræ Tingitanæ sub tanto Duce.

(a) *Abyla, seu Abyle, & Calpe, montes utrinque oppositi: quorum Abyla coercet montes Africæ in ora Tingitana, Calpe Europæ in Hispania.*

(b) *Jacobus Dux Eboracensis renunciatus Gubernator oræ Tingitanæ post Rudderfordum gubernatorem ex insidiis a Mauris occisum.*

(c) *Eidem Jacobo Hispaniæ Rex obtulit præfecturam maris Hispanici.*

(d) *Anglia eundem repoposcit; & ibidem deinde renunciatur Præfectus maris.*

Obruerent undæ. In portum modò tutius Afrum,
Unde recens funem ſolvi, me reddere. Portu
Eſt Afro tamen Afra fides. Britannidis o te,
Rudderforde, animæ nimium! Quis foedere tanto
Virtutem, Invidiamque Deus? Sine ſedibus Umbræ,
Ignotoque ſub axe volant; juſtiſque tuorum
Productus nullis ad Manes funere pergis
Cum toto. Sed creſcit ager ſub falce. Bipennis
Non adimit ſylvam. Et virtus attonſa refloret.
Auſpicio Princeps aberat. ſubit auſpice portum
Principe ſors melior. Coelum (a) conterminus Afris
Vertice torquet Atlas: humeris, Jacobe, recumbunt
Fata Britanna tuis. Tua viderit ut bonus Atlas
Vela mari diſtenta, ſuoque tumentia vento,
Piniferi acclinet juga verticis, Indigetemque
Fulturus jam nunc humeros demittere diſcat.

Legatio interim mittitur ad Morochæum pacis cupidum.

(b) Siſto. quid hoc? oleaſne Abylææ per juga rupis
Et pacale nemus ſuccreſcere? Pallade vernat
Maurus ager: ſociamque avidus conjungere dextram
Tranſit in Europæum Afer. Britannia tangit
Prima focos, caput armigerum prætexere lino
Gaudens, & tenero verbenæ flore virentem
Per galeam cupidæ delibans oſcula gentis.
Vade age, major Atlantiade. Ut (c) caduceon arma
Howardi dextram melius! Convellere funem
Quid dubitas, Henrice? vehunt tua candidæ Pacem

Quod ſi tergiverſetur, ſit illic armorum campus præſens.

(a) *Mons in eadem Mauritania, non admodum longe*

(b) *Henricus Howardus interea legatus deſtinatur ad Tafilettam Imperatorem Morochæum. De legatione hac agebatur quidem multò poſt aliqua, quæ narrantur in hoc Poemate. Verùm Poeta utitur jure ſuo, & prænotione futurorum Vatum propria.*

(c) *De quantitate hujus verbi* caduceon *ſeu* caduceum *dubitatur a nonnullis. at venit a Græco* κηρύκειον *ρ in* d *mutato, & apud Syracuſanos, & Tarentinos est* καρύκειον. *Caduceus etiam reperitur. Sed non probo.*

Carbaſi

Carbasa, ventorumque Deam pelagique potentem.
In fluctus nos præterea projecimus uvam
Hesperidum domitam prelo, mactavimus agnam,
Et ventos inter volitant mea vota, tumentes
Velorum impletura sinus. Te mollia nobis
Æquora, te Venti faciles, te Vota redonent
Incolumem. *(a)* At, comitem lateri quem seligit Heros,
Quem tueor? Bruti pulchro de sanguine nomen
Agnosco charum Musis. Allabere puppi,
Æole, compositus. Si peccet iniquior ala,
Quanta mihi & Musis referent suspiria venti!
Occupat interea speculas Tafiletta, liquentes
Prospectans longè campos. Quæ lintea ponto
Allabi cernes, terræque advertere, Florem
Gentis Hoardeæ vicina sub ostia mittent.
(b) Gentis Hoardeæ (1) Titulos Norfolcia dicet,
(2) Regia dicet Hymen connubia; (3) Martia campi
Flodenses monumenta: (4) Sui moderamina regni
Dicet Honos illi commissa, (5) Tridentifer undæ
Imperium, audacique annus fatalis Ibero.
Gentis adest hic Vir tantæ genus. Unus avorum
Hic genus, hic merita & famam complectitur unus.
Bella manu, Pacemque gerit. Si fœdera Maurus
Excutit, accingi tempus, Jacobe; novoque
Oceanum videant fervere sub Hercule Metæ.
Caroleum robur serò doliturus Iarbas
Sentiat in virtute tua, & sub nomine tanto
Fati prima rudimenta. His Victoria signis
Advolet, hæc resonet circum tentoria Pæan.
O Patria! O tellus non insuperabilis uni

(a) *Legatum unà comitaturus unus mihi amicissimus, & gratissimus Musis,* Robertus Pughus de Penrin.

(b) *Hinc prodiere (1) Norfolciæ Duces: (2) Regiorum connubiorum fœdera: (3) Belli Imperatores: (4) Regni Mariscalli: (5) Præfecti maris, ut præcipuè an.* 1588.

Sola

Sola sibi! Sua quid toties in viscera sævit
Infelix Corybas? O projice tela cruorem
Cognatum bibitura. Gemit tuus, Anglia, Pæan,
Et nullos habitura Deos Victoria mœret.
Statua Musæ. Pegasis illa? soror Parnassis? an altera Nice?
Frontis honos idem. sociam par, nata triumphis,
Circumit umbra comam. An comitem sibi Gloria legit
Provida cum Nice Musam? O ingloria Nice:
Gloria, quàm nihil esse tui te, si tibi desit
Musa, putem! Musæ debes Theti. quam vada satis
Intinctam non eripiunt Cocytia prolem,
Eripiunt fatis Heliconia. Vivere vitam,
Quam rapient, dant fata. Jubent revirescere Musæ
Plus vitæ cinerum e cumulis, quàm fata dederunt,
Quàm rapient eadem. Meritò tibi, Musa, tibique,
Gloria, communes olim, & communibus aris,
Rerum apprima sciens Mystes adolevit honores.
Musa sapis, juris (Voti quæ præses & autor)
Non oblita, gradusque tui. Te sceptra fovebunt
Regia, Parnassumque tuum. Tu sceptra fovebis
Regia, Caroleumque feres super æthera nomen,
Phœbo dignum illud, clivoque bivertice toto.
Pandite (*a*) Musæ Helicona; novoque exuberet amne
Largus (*b*) Isis, Libethrææ non dissonus undæ,
Castaliusque alter Cama. Fortunatus uterque;
Hoc tu fortunatus, Isis, mage nomine, quòd, cum
(*c*) Fraterno socium per iter confunderis alveo,
Et par Oceano Londinum invectus aquarum
Agmine regales gemino prætersluis ædes,
Cæsar, (*d*) ave, matutino tibi dicere fas sit,
Et vespertino, Cæsar, vale. Nec satis esto,

(a) *Utraque Academia, Oxoniensis & Cantabrigiensis.*
(b) *Isis & Cama: hic Cantabrigiæ fluvius, ille Oxonii.*
(c) *Thamæ, in quem influit Isis: unde Thamisis.*
(d) Salve *dicebant manè, vesperè* vale. *ita Suetonius in Galba. c. 4.*

(*a*) Nobile

(a) Nobile par, patrio Carolum concludere fluctu.
Cærulei Patris ingressi confinia regna,
Mox campum nacti laxum magis, æquore laudes
Volvite liberiore: remotique incola ponti
Vestra peregrinus canat ad modulamina Triton.
Occurret vobis ab avo Tyberinus Hetrusco,
Alpino de fonte Padus, cui carbasa glauca
Intextus (b) Puer incendit, vagus Ister, & Albis,
Increpitansq; Ararim Rhodanus celer, & Tagus hospes,
Tempora cui vinxit myrto (c) Tartessius Hymen,
Cornuque aurato (feriet? jam (d) mitior ibit)
Dives Iberus. Ut audierint animabile murmur,
Plaudent, & vestro cupient e fonte renasci.
Musa peregit opus, si me dignabere tanto
Nomine, si merui, Vates tuus. Ille ego monti
Adrepsi quondam parvus, laurumque momordi
Dente rudi, fateor, cupido tamen. Ungula rore
Ut modico (sic Diis placitum) labra tinxerit olim,
Visa tamen tinxisse. latex nunc aruit: & vix
Exucco superest guttans e pumice carmen.
Quale tamen cunque est, & qualiscunque tenaci
Exudans e rupe labor, sub regia munus
Limina defer. At illa comæ frondentis abesto
Laurea pompa, cothurnatæque superbia suræ.
In tenui sudamus. amant excelsa cothurni,
Frontibus & veniunt doctis Heliconides umbræ.
Perge mihi, qualis, subducta messe, puella,
Et cui sors obscura domus, & curta domi res,
Relliquias frugum insequitur, contentaque parco
Mergite, fortuitos infert sub tecta labores.
Talis es, augustæ talis mihi comeris aulæ,

(a) *Isis Oxoniensis, & Cama Cantabrigiensis.*
(b) *Phaeton, in fluvium illum e cælo lapsus, intextus Eridani carbaso.*
(c) *E nuptiis Lusitaniæ cum Anglia.*
(d) *Ob fœdus arctius cum Hispano nuper initum.*

Ut

Ut sumptu, sic sorde vacans. E limine primo
Excubias ubi transieris, obseptaque ferro
Atria, fortè tibi, nullam quia præferet urbem
Forma rudis, dentes inter rodentis ephebi
Attentanda via est. Salsæ sua ludicra pubi
Mitte. sile; perges. Aditus secretior usus
Quà graduum cæcos aperit, tacitique recessus
A tergo fallunt aulam, subducta pudicum
Tende pedem. Multo splendet pars altera luxu,
Præstringitque acies teneras. Occurreret agmen
Inde virûm radiantum auro, coccoque madentum,
Arte laboratum varia genus: inde catervæ
Virgineæ, & coetus Cyprii nitidissimus ordo,
Gemmea gens, luce immodica, nimiaque feriret
Ora Papho. Tu cùm limen penetrale sub horam
Lapsuræ lucis, fandi quæ mollior hora,
Contigeris, curis ubi sparserit otia Vesper,
Affatum pete. Sed modica tibi, coepta secundet
Sicubi reclusura fores * nola limen amantes,
Impellenda manu est. Converso cardine valvæ
Ut patuere, sacri simul & data copia vultus,
Occupet ingressum pudor, audentemque pudorem
Commendet rubor. Ille manum porrexerit? aude.
Pars tibi pacis erit. Plantis affusa verendis
Et pacem tamen, & veniam pete; & omine vultus
(Ut comis, placidoque affabilis ore renidet)
Accepto, *Donum*, dices, quod Phocide misit
E patria meus, addictus tibi, Carole, Vates,
Dent proprium Superi. Medii tum pectoris effer
Ex adyto, teneràque sub officiosa reductâ
Ora manu, dextræ Votum submissa fideli
Castalium, Caroloque tuum committe clientem.
Munere sic defuncta tuo, simul ille, reflexo
Ad lumen vultu, titulum frontemque libelli
Aversus secum perlegerit, ocyùs illi
Multa rogaturo te surripe, perque silentes,
Quà ventum, demissa gradus vestigia furtim

* *Sicuti apud priscos in more, & non cuivis permissa tangi.*

Ad

Ad portam refer. Ad portam stat lauriger Ales,
Et solitum fremit opperiens onus. Exue villam,
Teque resume: revise Deas Dea. Pegase Nympham,
Heroemque novum per solis utrosque Penates
Circumfer fremitu læto. Quid sistimus? astro
Immortale tuo decus infer, & eripe terris.
Musa, vale. Interea, propior si quando redibit
In fibras Deus, ipse comas cytisove, apiove,
Seu viola evinctus (Parnassia tempora Daphne
Illius ambierit potius, cui cygnus in ore,
Non in crine sedet) modici tibi thuris acerram
Interdum supplex adolebo: &, thurea laurus
Inter grana levi crepitu si parcius omen
Ediderit, sat erit. Perspersero cùm sale Vestam,
Nectare seu molli perfudero, fortè sub auras
Ter subjecta relucebit, laqueariaque ictu
Festivo, tremulaque lacesset imagine flamma.

Nec tamen exolvi munus. Subit alter, & ipsas
Nascitur ad metas labor. Et quàm læta laborum
Objicitur species oculis, & meta meorum!
Vitæ Mater origo: novæ fiducia Conjux.
Per Matrem vixit Princeps, in Conjuge vivet.
Sidere fatorum trahitur consensus ab uno.
Carole, te prensant unum mea vota: Voluptas
Jucundo, Utilitas Opulento, & Gloria Pulchro.
Quid superest? si quid superest, dat Mater, & Uxor.

ORDO Sextus. Statuæ tres: Reginæ Matris, Catharinæ, & Caroli. (a)

Mater ades. votis ades. (*b*) Heroina Britannis
Redditur, Henrici proles, cui patria nuper
Exilium fuerat. Terris sponsalibus ut te
Luximus absentem, lustris est addita messis
Quarta tribus. Thalami socialis ut obvia primo
Anglia complexu excepit, sex addita nona est.

Statua Reginæ Matris.

(a) *Pyramis hic contractior fit trigona: & recipit solùm tres Statuas. Statua inde unica, quæ restat, viz. Vitæ æternæ, constituitur in ipso apice.*

(b) *E Gallia in Angliam exul reversa.*

Et memini, quamvis densa inter (a) funera longo
Consedissemus luctu, quos protinus almi
Sideris exortu induerit Britannia vultus.
Illa quidem, digna decisam ex arbore, tedam,
Nescia quò superi ferrent, ardebat Iberam.
(b) Extincta est. Aliam auspiciis propioribus Hymen
Accendit novus. Extemplo gens utraque flammam
Concepit: (c) gentemque, & dissociabile litus
Junxit Amor. Non solus init connubia Princeps.
Et nubunt ipsæ pariter cum Principe gentes.
Octona dives Regina propagine. Cœlo
(d) Primitiæ debebantur. Sed fronduit, illo
Avulso, (ramus felicior) (e) aureus alter.
Quò minùs ereptum nobis doluisse decebat
(f) Natarum pignus geminum. Sed victima fato
Restabat duplex alter dolor, (g) Unus, & Una.
Desine inutilium lacrymarum, desine, Mater. (zvi
Quo gaudent numeri, est (h) numerus supèr. Hactenus
Heu brevis & Genitricem ipsam! vixisse tot annos
Pars quota vita fuit? Nunc incipe vivere, Mater
In Nato: magna in Genitore, in Conjuge magna,
In Nato magna, & felix. Fortuna recedit,
Et redit: atque iterum fugit, ut reditura recedat.
Vos eadem, ut non pœniteat rediisse, revisit.
Digna malorum odiis fueras: superesse malorum
Digna vicissim odiis. O Filia sanguinis, Uxor
Sanguinis! Et pariter poterat sitis, O bona Mater,

(a) *Grassante priore pestilentia anno, quo primùm Regina Mater e Gallia in Angliam venit nuptum Carolo primo.* (b) *Nam propositiones initæ cum Hisp. pòst ceciderunt.*
(c) *Edicto publico pax secuta.*
(d) *Carolus primogenitus moritur.*
(e) *Carolus præsens nascitur.*
(f) *Elizabetham & Annam mortuas.*
(g) *Henricus Glocestrensis, & Maria Arausionensis.*
(h) *Ternarius sc. Carolus, Jacobus, & Henrietta.*

Esse

Esse tui? Sitis ardet. & iras urit inanes.
Et poteris meminisse, tuum cùm (a) classicus hostis
Impeteret caput, e cœlo quàm provida vulnus
Depulerit manus? In sacrum caput ignea venit
Tempestas. at in Autorem manus illa retorsit.
Ut dubio incedant Superi pede, dextera certa est.
Tiresias e Diis nemo est, seu numine lusco.
Quæ vitam Regi dederat, longæva perennet,
Et (b) vitam Regis vivat. Lætare. procellæ
Diffugere. Maria, redis. Britannia gaudet
Lætitias, Regina, tuas, te sospite, sospes.

Statua Catharinæ Reginæ.

Lætitiæ remeant veteres. Opulenta novarum
Accrescit seges. At Troiæ quàm pronuba tandem
(c) Juno favet nostræ! Memores (e Phocide famam
Musa retexe) Deæ memores libentur honores.

Parenthesis circa futuras nuptias.

Jam veris portas recluserat aureus Helles
Portitor. Ille quidem munus per Doridis arva
(d) Sustinuit malè. sed pecudis jam viscera dudum
Alterius, saliens & cum Jove mica piarat
Vecturæ culpam. Cum Vere Libystidis aulæ,

Juno revisit e terris cœlum.

Ammonisque egressa cubilibus, ardua cœli
Regna revisura, Inachias Saturnia curru
Jungebat volucres. Cyllenius assidet Ales,
Fallere iter lingua solers. Et jam vigil Eos
Proxima per collis rosei juga præpetis alæ
Agnovit plausum. Patuere repentè Mariti
Longævi valvæ bifores. Subit illa, superbè
Læta. solum resono crepuit cœleste sub auro;
Quàque subit, verni floris nive semita candet.

Refecta ex itinere adit Vitæ domum, sitam in Oriente, uti suprà Par I.

Vestibulum, æterni pascit quem nectaris uber,
Eoum rivus præterfluit. Hic, ubi prima
Luce diem vibrat in latices Cythereïus ignis,

(a) *Cùm navigaret profuga ex Anglia.*
(b) *Qualem sc. optamus Regi.*
(c) *Præest nubentibus. Hinc illud,* Junonis aram pellex ne tangito. *Plaut. Amphitr.* (d) *Helle demersâ.*

Humorem exhalat tenuem: seque induit undæ
Halitus in nebulam. Nebula ros manat ab illa,
Cui Ganymedeæ non certent pocula cellæ,
Primaque Memnoniæ matris carchesia tingit.
His postquam cyathis se regia proluit Hospes,
Protinus arrectæ vires; animisque refectam
Interior *Vitæ* domus excipit. Aurea Vitæ
(Quid cedros, quid quæ rupes adamantina fulcit
Tecta, quid artis opus Phrygiæ loquar?) aurea Vitæ
Ostentat cœlum omne domus. Sinuatur in orbem
Ædibus in mediis, admittitque æmula cœli
Sidera, millenis distinctum ritè columnis,
Fornice quas millena pari committit iaspis,
Atrium amœnum, augustum, ingens. E fornice pendent
Fatorum innumeri vultus, queis mobile Tempus
Fucos illevit primos, & Temporis Hora
Filia supremos fertur sparsisse colores.
Hinc Zeno, Corydonque, paludatique Tyranni,
Et Lucina ferax, & tedæ prodigus Hymen
Successus varii discrimina, *Literulamque*
Disparibus studiis accersivere *bicornem*.
Fatidicæ laurus Peneia frondis honorem
Explicat in medio, formosaque brachia Phœbi
Pandit in amplexus. hìc matutinus odora
Cæsariem pelago rorantem comit in umbra.
Quæ ramis hærent immota, nec ætheris ictum
Formidant, Superis habiles his Numina vitæ
Ore legunt foliis animas. At sidere lævo
Quæ stravere caduca solum, Mortalibus auræ
Impendunt brevius donum, & sua fata resignant.
Larga sui Virgo nulli non esse beatum
Vita dedit. doni miseros usura, brevesque
Nos facit. E cunis egressa Superbia bullam
Vix primam sumit, cùm tendere protinus ardet
In rerum medios æstus. at spuma recumbit
Mox ad Tristitiæ petras. Damnamus iniquam
Atropon immitis teli. Mea fila Libido,

Fila

Fila secant Iræ, & curis armata Voluptas.
Interea scenæ per summa virentis Ephebi
Mille volant; *Genios* appellat *Vita*. Camœnæ
Mille canunt, digitis agiles & voce Camœnæ.
Nec mora, desiliunt, geniales inde palæstras
Chrysolithi ludunt in pulvere. Tum pede plaudunt
Diversæ choreas formæ: numerosque, modosque
Subtiles Animæ plectrorum ad carmina fingunt.
Hic interpellat citus Arcas. Et en tibi, fallat
Me nisi mens, CAROLUM saltatrix Litera signat.
Certè signat, ait Saturnia. Litera poscit
Consortem cælebs. Nec plura. Sub arboris umbras
Turba redit festiva. Thalia sub arbore sola
Considet, & septem chelyn ad discrimina miscet.
Totius inde chori Genios ex agmine *Vita*
Bis, numerum sortita, novem legit. Igneus illis
Vertice surgit apex. e pura carbasus aura
Membra tegit. tegat illa decentiùs, an mage nudet
Pulchriùs, incertum. Virtus in pectore dispar:
Et variæ in vultu Veneres. at spiritus idem.
Passibus extemplo moderatis æquor arenæ
Aërei fratres obeunt. Tum dextera dextræ
Inseritur, patriosque Poli septemplicis orbes
Septenis æquant sphæris. Tum, lege soluta,
Avertunt, dirimuntque chorum. Modò prælia (*a*) Pyr-
Præsagit, modò pacificum dat pulvis Ionem. (rhus
Hic numeros miscet dubia fide ludicra Musa,
Infringens, spargensque sonos: & carmen abortit
Incisum, revocatque. jocosi jurgia nervi
Componit. dein tota reciprocat: ictaque plectri
Chorda tremit rapido sub verbere. Fervida pubes
Emicat, insultatque solo. mox lubrica ludos
Committunt humiles vestigia. mox ferit astra
Arduus ad cœlum vertex, iterumque, iterumque
Astra ferit. versu duodeno tibia pernix

A Geniis inquilinis per ludum subobscurè repræsentatur CAROLUS.

Deinde per 18. *selectos (duplum sc. numerum pro Nominis literis) post aliqua prævia exhibetur* CATHARINA.

(*a*) *De Pyrricha saltatione, & Ionica Auctores varii.*

Assilit,

Affilit, argutansque coruscat in aere plantâ.
Præcipitat, texitque fugas pedis alitis error:
Cæca redit, fallitque aciem fuga. Jamque remisso
Sobria Musa magis percurrit pectine fila.
Sistitur. incedunt. (a) Medium diductus in orbem
Decedit sinus, & *fugientem* litera *Lunam*
Prima notat cornu extremo. fit litera *tristis*,
Sontibus *, Exquiliisque, malo quæ vespere cœnant,
Maia nate, tuis inimica. Sed area versu
Pulsa novo. (b) *Nigræ* succedit *Candida.* signat
Augustos *Triplex.* Prô Numina! (c) *Theta* Pelasgum
At se castigat, vitiumque procacis arenæ
Expungit Genius solers. ut *anhelitus* afflat
Literulæ meliorem animam, *Latialis* & auræ
Aspirat vitam! (d) Subit altera. Litera laxum,
Evoe, syrma trahit. Tamen *Aspera.* stridet, & hirrit
Mutato in *Lenem* vultu sed sæpe renidet.
Sic fovet alternis & terret amabile *Nomen*,
Terroremque amor, & terror moderatur amorem.
Nec tamen hìc finem choreæ posuere. (e) *Columnam*
Definit in *triplicem* chorus aliger. *Extima duplex*
(Supremæ obliquâ committitur ima figurâ)
Expectat scenæ plausum. Gratare theatro
Nympha, Columna futura tuis, columenque futura.
Nec mora. se dextræ miscent; & ritè priorem
Circumagit sese Pubes genialis in orbem:
Ter versi ad Boream, ter ad Austros, & ter ad Euros,
Ad vestros, Zephyri, ter denique terque Penates.
Sevocat hìc Comitem, attentamque affatur ad aurem

* *De furtis, & cœnis exquiliniis olim varii.*

Accersitur ab Elysio Eros: castus sc. seu conjugalis Amor.

(a) CATHARINA *figuratur in saltatione.* C *Litera* Condemnans, *appellata* Tristis & Nigra. (b) A *Litera* Absolvens: *sed* Triplex, *quæ hoc in nomine reperitur, viz.* A A A *notabat* Augustos *olim.* (c) Θ *Græcum Litera* Lethalis. *At* T H *Latinum* Salutaris. (d) R *appellata* Aspera. *atqui sæpe, teste Ovidio, vertebatur in* Lenem L. (e) *Sequuntur* I & N.

Fata docens arcana Deûm Regina. Capessit
Jussa Deæ Divûm Interpres. Talaria plantis
Innectit. Virgam dextra capit. Humida mater
Ne fortè oploret, *quo temperat astra,* galerum
Induit. In vacuum se proripit; aereique
Cæruleum Patris findens iter infima Terræ
Regna subit. Petit Elysium. *Lugentis* Ephebum
Degenerem *Campi* regem, fraudumque dynasten *
Præterit. Elysii portæ patuere. recentes
Aspirant auræ, Zephyrisque tepentibus halant.
Progreditur. Viridi pendent Corytus & Arcus
Non procul e Myrto. Materna fusus in umbra
Castus Eros cubat: Elysio cui missus ab amne
Somnus adest, placidos & crinibus irrigat imbres.
Virga Deum monet. Exponit mandata. Monenti
Paret Amor, solitisque repentè accingitur armis.
Nox erat. at facilem subituris æthera præbet
Utraque Luna viam. Jamque introgressus Eoum
Limen Eros Dominam extemplo petit. Illa Puello
In roseo stupet ora, sagittiferæque pharetræ
In vultu pondus. stupet aurea membra. sed alas
Mallet abesse. Pudicitiæ quam tendere litem
Forma solet, vultu dirimunt in virgine mores
Ingenui, niveoque virens in pectore candor.
Ad quem sic Juno paucis. Mea lilia cerno
In vultu, Puer alme, tuo. nec Cypria florem
Diva suum negat; at qualem Pudor imbuit ostri
Simplicis igne verecundo. Dicuntur ocelli
Esse duces in amore. Nitent si lumine puro,
Sint in amore duces. Geminum tua missile torquent
Lumina: sed Fescennino quod nulla veneno
Illecebrosa Venus tinxit, & non tua Mater.
Altera nec modò tela vacent tamen: illa pharetræ
Tela tuæ. Exortem pharetra deprome sagittam:
Et quali me figebas, cùm numinis Æther
Arma poposcit, opemque tui: qua saucia tedas
Admisi Jovis, & fulmen sponsale recepi.

* *Anterotem. De quantitate eruditi multa in utramque.*

Quæ

Quæ restant fidam tacitè demittit in aurem.

Devolat Amor ad oras Olyssiponenses.

Et modò (sic monuere Deæ) non clarius unquam
Phosphorus exeruit jubar: eximiæque nitentem
Lucis Odysseas radium deflexit ad arces.
At Puer advenerans materni sideris ignem
Librat eò teneros artus: & fulguris aurei
Desuper insistens in vertice, mox leve pondus
Proclinans radio, gemmantes explicat alas,
Et quatit. Idaliæ lucis quà semita ducit,
Continuum liquidas utrinsque per ætheris auras
Radit iter, seque Hesperias transmittit ad oras.

Insistit in summo malo Navis Britannicæ, quæ tum fortè ferebatur in Tago.

Fortè Ratem, refluente Tago, tulit unda Britannam
Gurgitis in fluctus aureos, auream que superbis
Fluctibus insultantem ipsam. Suus est quoque Ponto,
Crediderim, famæ sensus. nec nullus, opinor,
Æquoreæ hanc Dominæ sobolem pertentat avitæ
Laudis amor. Fuit hæc eadem, diceteque fuisse,
Quæ maris Heroem, quæ Fulmen Martis, & aulæ
Teutonicæ Florem, Defensoremque Britannæ
Sæpe his Oceani vindex ostendit in undis:
Hæc, inquam, illa tuæ quondam pulcherrima famæ,
Fortunæque, Ruperte, comes. Minor aura Favoni,
Quàm famæ, quâ vela tument. Per nubila pronæ
Obliquans pennæ cursus huc devolat Ales,
Summoque insistit malo. sub Numine candent
Vexillorum apices, tremulisque ardoribus undant.

Hìc occasione oblata se colligit.

Hìc oculos postquam faciles circumtulit, amnis
Velivoli portum speculatus, & undique montes
In medios assurgentes e vallibus arces,
Et summo Duce, *multorum qui viderat urbes*,
Dignam urbem, se continuò collegit. Arenam
Namque per adversam currus in littore septem
Contrà incedentes longè prospexit: at horum
Præsignem ante alios unum. temo aureus, axis
Aureus: at, curru quæ sederat, aurea longè
Virgo magis, totique Tagus quam prætulit auro.
Hæc illa est, hæc illa meæ desponsa pharetræ.

Dixit;

Dixit; & alata ætheriâ face prodit arundo *Munere suo fungitur.*
E pharetra, radio similis. Quæ fila sagittam
Admisere, capillus erat de vertice triplex,
Iri, tuo, Euphrosyneque tuo de vertice triplex.
Et filum flammis, & flammis induit arcum.
Inseritur telum. Fortunam lumine certo
Sortitur. Nervum subitò diversâ tetendit,
Atque arcum manus, hæc aurem, facis altera tangens
Extremos ignes. Teres evolat ignis in auras,
Quàque volat, gracili dat trames limite lucem:
Et medias inter cuspis delata mamillas
Attingit metam. Calet intima fibra, nivesque
Virgineæ; & vivax alitur sub pectore vulnus.
I Puer. Albus adest Hymenæus, & altera teda.
Salve, Nympha, venis. In nidum femina Phœnix *Statua, inquam, Catharinæ Reginæ, & Statua Caroli altera manu tenentis Reginam, altera Globum terrestrem.*
Regalis thalami subiit. Te, Conjuge tanta
Carole, (pollicita frueris:) te Conjuge tanto
Felicem, Catharina! Sacram manus altera Nympham,
Terræ orbem ingentem tenet altera; Nobile pondus
Utraque. at ingenti Nymphe præponderat orbi.
Jactat opes Tellus, & opes circumflua jactant
Æquora; sed Nympham totus defluxit in unam
Totus in unam Æther. (*a*) Ingens de fluctibus, & te
Nobis, Tethy, querela fuit. Tantamne licebat
Injecisse moram, & votis communibus undas
Opposuisse tuas? Veniam damus. Hospite, cujus
Exceptæ pretium noras, invita carebas.
Æstuat omnis amans; & Tethys amabat in æstu.
Litoreas circùm in speculis insederat arces
Anglia, spemque metumque inter suspensa, morantes
Velorum incusans alas. Committere ventis
Vota necesse fuit. sed dum sibi quisque decori
Muneris ambiret laudem, inconsulta ruebant
Frontibus obnixi adversis in prælia fratres:
Et nobis oberant. Tandem venit. Auspicibus Diis,

(a) *Diu morabatur in mari ob tempestates adversas.*

(*a*) Transfer limen amica pedes. Venit. & mora femi
Lætitiæ fuit. Ad ripas accincta sedebat
(*b*) Roma, Deûm Matrem opperiens. In littore ponit
Illa pedem, tradenda viro, cui plurima virtus
Deferret primas. Tractus emensa profundi
Tu quoque mitis ades. Ripæ succede: Viroque
Committenda. Cui? Carolo debere; nec ultrà
Quæsieris. Sed te, Charitum placidissima, quam te
Appellem? Mater noles audire Deorum,
Seu genus. At gremio certè parit enthea si quos
Terra Deos, Reges sunto. Castissima Regum
Filia, solve sinum, & Regum lætissima Mater
Esse velis. VIVAT REX. Annuis? Aspice, rerum
Semina ut in varias abeunt æterna figuras,
Ut bellum cum morte gerit, fatumque lacessit
Se revocans, & se fœtu Natura propagans
Usquè novo. Et Carolum deberi legibus aiunt
Fata suis. Carolo quos Parca reciderit annos,
Instaurare tuum est. mansuræ dulcia vitæ
Pignora tu subicis, reficisque in prole parentem,
Alme fave Deus: aspirent felicia voto
Astra meo. (*c*) Concepti animo primordia mundi
Molitor rerum æternus cùm fingeret, undis
Spiritus incubuisse, animamque afflasse feracem
Dicitur. At lymphas Numen spirabile si quod
Accolit, ille tuis & spiritus incubet undis.
Nascere, parve Puer, seu nascere, parva Puella:
(*d*) Mensa digneturque Deus, seu Diva cubili.

(a) *De hoc dicto nuptiali* Transfer limen pedes, *idest*
fer pedes trans limen omine cum bono, *Catullus.*

(b) *De hoc annales Romani.*

(c) *Hæc scripta, cùm ad aquas Tunbrigenses, & p*
ad thermas Bathonienses Regina pergeret prolis causa,
1663.

(d) *Variè interpretes ad illud Virg. Eclog. 4. Se*
Cerda opportuniùs in rem præsentem.

(a) N

(*a*) Nec Deus(*b*) hunc mensâ dignabere? Diva nec il-
Dignatura cubili? Oculis at desilit humor (lam
Quis rudis ille meis? si tersero, rursus eosdem
In latices abeunt: nec mens malè provida novit,
Nube madens improvisa quid cogitet Auster.
Induerant ritè in florem spes se modò nostræ,
Cùm subitò cecidere. Venis: & deseris. at non
Incomitata fugis. (*c*) Phœbum scitamur. adimus
Cortinam. Phœbus vocem & cortina remittit,
(d) *Ostendent terris te tantùm fata, nec ultrà*
Esse sinent, Regina. (*e*) Minas cum forfice ponat
Parca suas. Fato vivit Regina superstes.
Tergo genas. Medicus Vatem se lusit Apollo:
Depellentibus & Divis percussimus hœdum.
Quintâ parte sui sic te Charis imbuat: æther
Sic foveat, nostrique benignior halitus astri.
Ad te nunc redeo, Princeps, in prole futura
Bis patriæ pater. Hac vivent in prole parentes:
Vivet in expressis ventura parentibus ætas.
Venturis capimur, capimur præsentibus. hæc nos
Afficiunt magis. Illa tuis te tempora sistant
Præsentem, quæ tarda meant. Velocia currunt
Tempora, præcipitique agitant in tramite currum
Ardentes Horæ. quorum tamen agmine tanto
Implicuere rotas, radiisque sub omnibus hærent
Terrarum tot Vota, tuæ tot gentis Amores,

Convertitur sermo denuo ad Carolum in sua Statua.

(a) *Occasione morbi gravissimi, qui Reginam pòst invasit eodem anno 1663.*

(b) Ille *contra Grammatices regulam refertur ad posterius,* Hic *ad prius apud Ovidium.*

(c) *Consuluntur Medici: & valetudinem enimverò desperatam aiunt.*

(d) *Fatum anni 1663. ut ex numeralibus carminis literis patet, videlicet* M. DC. L V V I I I.

(e) *Tamen paulò pòst Medicorum subsidio sanitatem recuperat.*

Tarda, obicem fassura, meant. Optare senectam
Vix lubet. optamus tamen. incusamus adeptam.
Tendit iter nimis ad Cymbam declive Senectus.
Esse juventuti fertur quæ præsidet Hebe:
Nympha serena. O Elysiis tantisper ab hortis,
Cum lauro viridi, cum purpureo amarantho,
Huc ades; & (serò saltem Proserpina canum
Quem norit) digni te Principis incola fies.
Quem tueor? Gentes perhibent sub vertice mundi
Extremo positas, noctem inter fœdere pacto
Et lucem, in tenebris anni transmittere partem
Semestrem. (*a*) Lucis curru redeunte, sepulto
Insinuant orbi quæ gaudia! Plùs tua, Princeps,
Plùs quàm semestrem pepulit præsentia noctem.

Carolo in ea Pyramidis editiore parte sito objicitur memoria conditionis humanæ, quantùm ad mortalitatem attinet.

Est tamen, est quæ me species tenet altera. Cœlo
Ecce tibi moles attollitur ardua, plantis,
Carole, substernenda tuis, ut in æthera tollat.
Aut sentit tamen, aut cernit, sublime quod usquam est,
Quæ doleat. Persa, epoto quem gurgite parci
Defecere amnes prandentem, verbere numen
Qui sævivit in Æolium, qui vincula Nereo
Impegit, montis celsi Rex ille cacumen
Dicitur ascendisse, (sui, & variabilis ævi
Ex alto contemplator) vallesque jacentes,
Et fusum latis ingens in vallibus agmen
Prospectu lustrasse. latent sub Marte superbo
Æquora, campi ardent, & fluctuat undique bellum
Cernenti pulcher timor. E tot millibus, inquit,
Quæ modò sol præsens videt, ut centesimus unum
Non videat? Lacrymæ fatum increpuere secutæ.
Tu quoque, si libet, hoc, Princeps, e culmine gentem,
Imperiumque tuum circumspice. Numine tellus
Sub majore jacet. Tractat manus altera Virgam,

(a) *Qui lætitiam ingentem subjicere oculis volunt, solem in tabula depingunt regiones illas revisentem, adjecta inscriptione,* Semestres tenebras pellit.

Diribet

Diribet & capitum sortes. Hinc rura Coloni,
Hinc alas, cuneosque Duces, hinc carbasa Nautæ,
Hinc Proceres aulam ostentant, hinc mœnia Cives,
Et fumum, strepitumque, & opes. Supèr e grege tanto
Post aliquot messes quotus est? Decurrimus omnes
In stadiis rerum variis. Hæc fluxerit ætas:
Deficimus senio fracti, secloque sequenti
Lampada porrigimus, mensesque prementibus annis,
Hoc nostri quodcunque vides, erit (an mora tanti?)
Quod fuit. Hìc auri non parcitur. Et tua metam,
Occasumque dies habet. Hinc, ut proxima nube
Obvolvit caput annosum (*a*) venerabilis Ædes,
Cætera, quæ spectas, inter viden'? Illa cadentem
Pulchra situ spectat solem. Discedit ab illa
Invitus: lugetque tuam, Britannia, noctem.
Verùm age, * quam spectas oculis, lustrare juvabit
Et mentis gressu. (*b*) Majestas aurea sedem
Hanc habitat. prima Hìc Regum Diademata cudit
Dives Honos: Trabeas Hìc murice Gloria tingit:
Regales humeros Trabea, Diademate crines
Incingit jurata Fides. Et te quoque nuper,
Rege suo felix, & rebus læta secundis,
His insignitum donis Hìc Anglia vidit.
Hìc tamen Hìc pariter Libitinæ funebris aulam
Cernimus: augustusque verendi Numinis horror
Percellit mentem. Dextris excussa refregit
Sceptra: triumphatis raptum de crinibus aurum;
Purpureisque avulsa humeris insignia Fati
Affixit portis, testudineoque revinxit
Imperiosa palatinos sub carcere Manes.
Fare, Puer. Pompa illa ferox incisa tremendo
Æris magnifici thalamo, monumentaque torva
Quem signant? Agnosco. Toro illibata pudici
Floris, opum felix, & *plùs quàm femina Virgo*

* *Ædem sc. de qua modò, Westmonasteriensem.*

(a) *Westmonasterium in parte Urbis occidentali situm.*
(b) *Hìc Reges Angliæ coronari solent, & sepeliri.*

Quo

Quo decumbit? Erat, cùm Virginis ossa cubarent
Molliùs. At fati brevioris ut altera fastu
Ambitur breviore Soror! Risistis Elisæ
Sidera: sed nec dissimilem aversata Sororem.
Edwardus supplex? Quàm supplicis Anglia vindex!
Henricos novi. Pandit quæ Septimus ille
Funera? quàm noctem dormis, Henrice, superbam!
Hæc satis. O tot nominibus, titulisque decoræ,
Et dites (dites heroi pulveris) Arcæ!
Fumidus in nubes abiit vapor. igneus ille
Spiritus, extincta post tot molimina flamma,
Fit cinis. Ah, quàm sub terra solennia turget,
Dicere si Majestatis cum pace licebit,
Putre Nihil! Titulus phalerata novissimus Umbra est.
Mnemosynes cælo saxis incidimus ingens
Nomen. Et est aliquid Dentem, qui cuncta ligurit,
Augustos vel sic retudisse. Sed hìc quoque rosum est.
Vestra peracta: meæ peragetur fabula scenæ.
At caream plausu. Mutum me garrula fama
Nesciat ignarum famæ. Regale Carystos
Funus obit. Mihi sufficiet sine nomine cæspes.

Occasione capta a Globo terrestri, quem Statua Principis in manu tenet, infertur præterea mentio conditionis humanæ, quantùm attinet ad fugacitatem rerum, & mutationes varias temporum.

Nec soli urgentur Reges. & Regna suburget
Ad Manes rota Fortunæ, seu Temporis. Orbem
Regia dextra tenet. Fortuna volubilis orbem
Immotum esse negat, Fortuna Copernica. Quantos
Temporis & Sortis ludo meat orbis in orbes!
Usqueadeo, quod stet, nihil est. (a)Age, Musa, vocantem
Deficies? Vates ut inops, at pauper in ære

(a) *Fieri non poterat, ut consistentes in terra Globum, quem Principis Statua in manu tenet, inspicerent. Præterea novum fuisset illum inscribi notis Cosmographicis. (Quanquam quid si extare dixero quid hujusmodi in statua quadam pervetusta Carlomanni?) Necesse igitur fuit confugere ad opem Musæ. Versanti in Poeseos spatiis imaginariis permitti ista quandoque poterunt, atque omnino debent.*

Sic

Sit proprio. Aoniæ, quem limina sæpe terentem
Advertunt, odere fores. Tamen arte profectò
Pieria jam nunc usus. Quam regia molem
Sustentat manus, hinc propero transmittere visu
Mens avet. At non tam volucrem levis aura Philetam,
Ut contendat eò, tollet. tam lyncea vati
Non acies est, ut tangat tam dissita. Sentis,
Musa, quid inde velim. Propera. te, Diva, manebo.
Ipse siem quis ego interea, fuerimve, cupido
Discere si qua subit: (*a*) Primum, figularis opella,
Argilla duxi e Samia genus. Inde (*b*) Crotonem
Imperii accitu jussum migrare paterni,
Edoctum quicquid dixere silentia, muti
Nequicquam tenuit Senis exedra. Pòst, ubi vultus
Humanos mors diripuit, quia frigidus illi
Obstiterat sophiæ, torpens ad fortia, sanguis,
Alitis in faciem migro. ne quære doceri,
Quam faciem. Huic aliæ demum subiere figuræ,
His aliæ. Pòst, diversos ubi secula soles
Extulerant, sitientem auri me tradidit undis
Mercatura. vovebam undis caput, auspiciisque
Non aliis quàm ventorum longinqua sequebar
Litora. Quà Boreæ mundus consurgit ad arces,
Quà Noton ad Libycum premitur, patet æquus ad Eu-
Visere nimirum cupidus, qua Sirius annum (ros,
Parte coquit, nebulis qua Jupiter algidus urget,

(a) *Interim narrat se Poeta per varias Pythagoricas Metempsychoses terræ partes diversas olim peragrasse, & sic e Globo opera Musæ parando, & repræsentaturo res, ut modò sunt, veteribus non apparentibus, ostendet rerum mutationes, & ruinas temporum. Metempsychoses istas figmentum patet esse: imò intentas, ut quid joculare etiam in ratione figmenti. Simile quid accideret, post somnum v.g. mille annorum nunc demum si quis expergisceretur. Et est fortè, cujus vita hoc sub integumento involvitur.*

(b) *Ubi Pythagoras consedit.*

Lubricum

Lubricum iter tenui. Felix, malè credula ventis
Si prudens norat ſubducere vela cupido,
In ruriſque modeſta quies ſublegerat umbras.
Vellus Iaſonium petiiſſe, domeſtica nobis
Si modò balet ovis, quæ pellat frigora, vanum eſt,
Inſidiatur avaritiæ, ſubſternit & undæ
Tethys avara fidem. ſenuit quæ proſpera, rara eſt,
Spes arbor tulit una meas, & prodidit una.
Æquore nolentem ſicco, patriiſque perire
Vermibus ignoto piſces in gurgite (*a*) lambunt.
Hìc ubi gentem inter liquidam, tractuſque per ævi
Multiplices varios indutum ex ordine vultus
Marmoreo miſerum tenuit ſub carcere Proteus,
Tandem undis ereptam animam miſerata refecit
Sors melior, reducemque homini devexit in oras,
(Si modò Phaſgæi excipiam ſolamina Clivi)
Te compenſantem annorum tot cladibus unam,
Anglia pulchra, tuas. An adeſt Dea? Machina mundi
Et terreſtris adeſt. At te, bona Pieri, thuris
Mica manet, vivoque ardens in cæſpite carbo.

Allatum a Muſa globum contemplantur. Reſpice quem tua dextra tenet, quem ſuſtinet orbem.
Hæc illa eſt, hæc, tam dubio qua luditur actu,
Fortunæ pila; Cæſareis nunc obvia palmis,
Accurſu Dominæ rapido nunc avia pulſans
** Pila illa ſc.* Sphæriſten alium. * Fugit te, Carole, nuper.
Aſſerva reducem. Hoc illud, quod dicere Punctum
Non piget; & multo ſignatum limite ferro
Dividimus tamen. Immenſus ſine limite Mentis
Ambitus eſt. huc inde tamen compellitur omnis
Linea votorum. Exiles ſuus urget habendi
Formicas amor. has per agros, & farrea caſtra
Ferventes opere anguſto ridemus. & ipſi
Formicæ ſumus. Ingentes molimur arenæ
Heſperiæ cumulos, Libyæ populamur acervos,

(a) *Aiunt ſcioli Piſces non lambere: quia linguam non habent. Virgilium ſanè iſtud fugit.*

Auron

Auroræ spoliis cupimus distendere cellas:
Et sola terrarum, & maris omnis semita fervet.
Grandia sunt nobis: in se non grandia. parvi
Nos sumus. Hæc est illa suo se pondere librans
In mundi medio Moles. Properantis Olympi
Inde fugam circa se spectat: & ipsa moveri
Mobiliore fuga non sentit. An hoc Phryges olim,
Hoc Agamemnonii fastus, hoc acer Achilles
In campo steterunt? ubi sunt? Ubi fervidus ille,
Et vastus juvenis, mundos Pellæus anhelans,
Quem Gyaros hic in parvas compegerat unus?
Hos rupit scopulos, hanc Alpem Luscus aceto?
Afer ubi? Num straverunt hanc totius undam
Nutantes Asiæ sylvæ? Num passa Tyranni
Hìc Thetis alta rotas, Sestosque occurrit Abydo?
Medus ubi? Et quoties tua, Princeps, Anglia sese
Dat nobis in conspectum! Rhamnusidis aulam
Dixeris. Ah, quoties posuit Britannia Trojam!
Illam ingens ambit Nereus. Quantum instar in illa!
O (a) Galatea venusta, *nimis ne crede colori.*
Decolor (b) heu quanto (vereor) mox sanguine fies!
Ast age: propositum premere, & reflectere tempus.
Quem toties obii quondam, propiore placebit
Curriculi spacio, obtutuque remetiar orbem?
Mirabar gentes equidem, mirabar & urbes,
Et veterum monumenta virûm. Ne vileat orbis
Hæc species. Suus hoc Naturæ *Mundus* in orbe est.
Hìc tibi, quæ mecum, Princeps, mirabere, sistam.
Ganges ille? freto quantus tumet! inde quot undas
In nomen cogit dominum transire minores!
At Cyri furiis minor. Hinc in proxima Chinæ
Litora ferre gradum lubet? Hìc quàm pulchra tuentem
Et populorum, & opum, & morum te pascet imago!
Nec populos, nec opes, nec eosdem Machina mores

Notantur aliqua loca in Globo.

China.

(a) *Anglia scilicet.*
(b) *Ob prælia maritima ingruentia.*

Subjicit. An Samio & migrant sub (*a*) numine terræ;
Tartarus (*b*) hæc loca miles habet. sub Tartara sidunt
Ætherei, (*c*) coelo demissa colonia, Sinæ,
Tendere forsan in Ægyptum, & foecunda Canopi
Arva placet, Phariasque urbes. At cursus eunti

Mausoleum Cariæ.

Per Lydos, Carasque brevissimus. Hic tibi cœlo
Marmoris educti fabricam, luctusque superbi
Objiciet monumentum ingens Mausolia conjux,
Inferias immortales. Vah, rupibus ipsis
Nulla, ævo incumbente, fides. Mausolus ad imos
Pondere subsedit Manes. damnata laboris
Sisyphei saxo sentit Regina caduco.

Templum Dianæ Ephesinæ.

Siste pedem. Feret hæc Ephesum via, Terminus inquit,
Qualem Ephesum! cœli quam dicitur arce Diana
Posthabitâ coluisse, pharetratique Aracynthi
Virgineo legisse choro per secula sedem.
Hic opus, hic Ædem aspicies. Mirata vetustas
Centum illam linguis cecinit. centesima tantùm,
Quod cecinit, pars est. Asiæ domus, ardua vasto
Suspectu, sublimem Ædes evecta sub axem,
Et gemino Divæ faciens commercia regno,
Celsa, ingens, operosa. Tuas, Diana, sagittas
Scilicet haud timuit Pater. Hæc si culmina Tellus
Extulerat, nova terrigenam in certamina cœlo
Venturum super horruerant Jovis atria Martem.
Et par materies operi. Quodcunque triformis
E variis Titulorum adytis evolvere Nympha
Quiverat, e sylvis Dictynna, Tonantis Averni
Ex antris Hecate, e cœlo Titania Phœbe,
Splendida Phœbe, opulenta Hecate, Dictynna venusta,

(a) *Nam instar cujusdam Dei Pythagoras habebatur populo.*

(b) *A Tartaris non ita pridem subacta.*

(c) *Sic aliqui ex illis memorant, quemadmodum legisse videor: nolentes nimirum aliunde originem primam gentis suæ repetere.*

Hic tibi cernere erit. Ludor. (a) vestigia cerno
Temporis. hàc & itum pariter; Lunamque Diana
Sensit. Ferre illac aciem, gressumque libebit?
Ægypto tandem successimus. Obvia Nilus
Ostia pandit, & hospitio septemplice fessos
Excipit. Agnosco pictis constrata phaselis
Rura, suique nihil debentia nubibus arva.
Muneris est hoc, Nile, tui. Tu cornua saltem
Vertice tollis adhuc & gurgite curris eodem;
Quæque fluunt, mansere. Tuis in fluctibus olim
(Jam propè bis centum lustris accesserit ætas
Septima, si memini: famam quoque deterit ætas.)
In Pharium Ausonio migrans e consule nautam
Lentavi remum. Pharii juvat ire per ævi
Nomina, Niliacæque ostenta revisere terræ.
Dic age. laudatam venis quæ proxima Copton
Ostendet via? quæ Saim compendia ducent?
Est & amor Bubastim altam, pulchramque Syenen,
Tentyraque, Arsinoenque, & cum Ptolemaide Pellam,
Et Solis lustrare tholos. Cessisse recordor
Auletas fato, Lagos cessisse: nec ipsos
Reginæ crines a forfice forma redemit.
Usa tua, Cleopatra, manu te Parca totondit.
Præ reliquis gens hæc prudens tamen, obviaque ævo
Mortalem, memini, transfert in marmora vitam:
Pyramides dicunt. juvat & lapidosa tueri,
Assurgentiaque in cœlum miracula, moles,
Memphi, tuas. citimo facilem de culmine nomen
Busto, Nile, tuo referens insigne Canopus
Despectum dabit. At quid ago? quò sistor? in ipsa
Ægypto Ægyptum quæro. monumenta requiro
Pristina. cuncta silent; latratque nec ullus Anubis.
Tempore cuncta superfuso latuere; recessit
Pyramis in nomen vacuum: cum mœnibus urbes,

Ægypti Urbes, & Pyramides.

(a) *Proditur quidem aliqua parte conflagrasse. sed restitutum pòst reservabatur injuriis temporum.*

Templaque procubuere. Sacris sua Numina in hortis
Si nascantur adhuc, satis est. Vestigia retro,
Nile, simul refer. ut video, quod nascitur, ortus
In veteres totum redit, & cunabula prima.

Mentio item fit Mundi quatuor Imperiorum, expressorum in statua Nabuchodon. Dan. c. 2.

Moles e fastis Ævi profertur ad auras
Grandior, Hebræus famæ quam prodidit Autor,
Moles Imperiorum ingens. Ardebat ab auro
Excelsum caput: Argento porrecta nitebant
Brachia, pectoreique tori: Candebat ahena
Luce suum cum ventre femur: Tum robore ferri
Indomito suræ inferiùs, plantæque rigebant.
Ætatum labor. at, figulus quod vendicet, addit
Extremus. Ferri cessit rigor, excidit æreo
Cum candore nitor argenteus, aureus ardor.
Nec sua corporibus solis irrepit, & ipsi
Inducit menti rugam vitiosa senectus.
Septem insistebant colles, mundique premebant
Colla Pedes, donec virtus, & laudis avitæ
Subjiceret stimulos amor. Hæc vestigia palmæ
Lambebant, his hærebat Victoria plantis,
His mundi prædatrices in collibus altè
Ponebant Aquilæ nidos. Ut languit ardor,
Marcuit & famæ, senio detrita, cupido,
Romulus ut Roma cessit, discinctaque tandem,
Et sublapsa retro desedit in otia virtus,
Continuò figulum plantæ sensere, fuitque
Roma. Palatinis Aquilæ descendere jussæ
Montibus Austriaci saltus fugere sub umbras.
Et saltus hos (a) excutiet (prô, Romula surge
Antiquam referens Virtus in Teutone Romam)
Odrysius latro? Roma jacet. testacea versant
Motibus his hæ secla vices. Et Roma jacebis
Altera. Erit quondam, infidæ cùm marmora Lunæ
Et tua diripient, Othomanne. Silentia portis

(a) *Hæc sc. scripta sub id tempus, quo Turca Germaniam, & Hungariæ fines invaderet non ita pridem.*

Incumbet

Incumbent, Letheque tuas sua præfluet arces.
Stet licet, at transit tellus. it mobilis æther, *Invitatur Princeps ad ea, quæ permanent.*
Non transit. * Terram ponat manus. aptior illi
Pes erit. atque ipsis, nisi mens mihi falsa, pigebit
Instabilem pedibus substernere. planta fugaci
Nixa, solo fallente, simul fugit. Ætheris orbem
Suspice. spem non ille, fidemve fefellerit orbis. ** Globum sc. de quo suprà.*
Cætera, * ceu per aquam pinus, ceu penna per auram,
Ceu per eandem actu rapido delata sagitta, ** Similitudines sumptæ e Sap. 5.*
Diffugiunt. Pulsu nervi stridentis arundo
Dividit auram, auram pennâ cita dividit ales,
Currit iter spumans, & dividit æquora pinus.
Aura coit, coit unda: nec hanc mansura, nec illam
Semita signat. abit ratis, ala, volatile telum.
At vatem incautum! quid ait? quo concitus æstu?
Vox generosa: sed imprudens. Ut regia Terram
Deponat manus? ut pedibus substernat? at illa
Nos sumus. O longùm teneat manus. Ætheris orbem
Suspice: serus adi. Seros cùm longa senectus,
Fata tibi quos annuerint, expleverit annos,
Tunc astrorum arces aureas adiisse licebit,
Tunc Terram posuisse; sed ut manus altera munus
Excipiat, * patriæ suppar, & Carolus alter. ** Paterna non degener.*

PARS IV.

Quæ ad vitam æternam spectant, enarrabilia non sunt. Per varias Ætheris partes conscenditur ad Cœlum sidereum, ut inde, id quoque licèt e longinquo, prospectus propior fiat ad sedem illam beatam. Hìc inopinatò objicitur Regius Anglorum Chorus cœlesti Regno donatus, invitans nimirum inde ad societatem Vitæ suæ æternæ Principem nostram.

LArga sui tamen interea quàm pectore prono *Statua Vitæ æternæ in supremo Pyramidis apice.*
Spontè sinum ibi pandit, opesque Æonia, summo
Insistens apici, æternas! Æonia, vitam
Nulla

Nulla tuam nevit Lachesis, nec volvitur ætas
Turbinis arbitrio. Miserum me! cujus opimæ
Spes & opes filum est. Roseo quis candidus illum
Sol vehet axe diem, immunes cùm Forficis annos,
Et, Dea, te vivam? Sedeo Babylonis ad undas
Interea, sociasque oculi liquuntur in undas,
Lætitiæ chelyn & salici committo, Sionis
Dum memini, mea Vita, tuæ. Vos O, quibus æquum
Hinc abiisse dedit Numen, quos extulit ardens
Ad lucis sedes illas, suaque otia virtus,
Qui nostis, quo pleni estis, demittite lucis
E cœlo radium exilem, quo (nube subactâ,
Quæ modò caligat circùm) & mihi noscere detur
Quæ loquar. Hìc totum in voces Helicona movere
Mens erat, audebamque amplè de Numinis aura,
Nec de Fonte minùs promittere: nescius omnem
Nec laticem, Aoniasve animas, nec Phocida totam
Posse vel hiscentem nobis in carmina Musam
Sufficere. Audenti nocuit fiducia. Vatis
Ergo verecundi, Virgo, te lingua salutet,
Et sileat. Quis enim lingua comprenderit, aurem
Quæ fugiant, lateant oculo, quò tendere sensu
Mens nequeat? Te, vera penes te * *Gloria*, vera
* *Utilitatis* opes, terris incognita nostris,
Cognita Cœlitibus, non enarranda * *Voluptas*.

** Alluditur ad statuas præcipuas Pyramidis in 3. parte.*

(*a*) Auribus insonuit nostris creberrima vitæ
Fama tuæ. Terræ ex utero, limoque recentes
Egressi primam cœli vix hausimus auram,
Cùm redeundum eodèm subitò monet hora, severa
Conclamant & vasa tubæ. Miseratus ab alto
Sortem ærumnosam Vitæ melioris ab arce
Extulit ætherea signum Deus: affore quondam
Pollicitus, cùm Depositi rea Terra sepulti
Commissum pignus, Morsque adjurata rapinam

(a) *Inductionis sequentis scopus est, ut significet, quæ spectant ad Vitam futuram, inenarrabilia esse.*

Redderet

Redderet. Exoritura dies, cùm læta resumet
Exuvias Anima, & nunquam positura reponet
Consortem cœlo Terram. Non ampliùs illam
Offendent tribuli & spinæ: non ampliùs imbre
Perfundent mœsto lachrymæ: non ampliùs atro
Funestabit ab igne cinis, nec busta, nec urnæ.
His adeo in spem promissis erecta, futuræ
Munera prælibans vitæ, Natura madentes
Tergebat vultus. Et jam sublapsa per orbes
Ætatum inde quater denos fluxere sub astris
Secula, cùm desideriis haud mollibus icta,
Ægra trahens longo jamdudum gaudia voto,
* Legatum e terris ad te, qui certa referret, — * D. Paulum,
Invisum te, spesque suas, Æonia, misit.
Ille globum Lunæ velox, & Sidera præter
Ascensu rapido vehitur. Manus obvia Pubis
Aligeræ, Populusque recens, & tertius Æther
Excepit venientem. O divitis atria Mundi!
Quàm nihil est, punctoque minus, quo terra superbit!
Jamque dies aderat, sedis cùm vertice lapsus
Æthereæ notis Hospes se redderet oris,
Seque sibi. Accurrit properè Natura, metuque
Ora tenet suspensa. Quid, O pulcherrime rerum,
Quid speramus? ab ore tuo mea gaudia pendent.
Ille oculis relegens quæ liquerat, Audiit, inquit,
Mortalis, * quæ mortali non ore licebit — * *Arcana verba, quæ non licet homini liqui. 2 Cor. 12,*
Verba loqui; Pressæque hærent ad cætera voces.
Quàm sumus elingues, Dea! nec Facundia mutam
Se negat ipsa. Silere jubes; & pareo. Pulchra
Diceris, & vacuam vitio purissima Formam,
Et senio vacuam & damno longæva Juventam,
Et Pacis lætæ cœtu stipata Quietem,
Et stabilem muris Ævi circumdata Pacem,
Et rerum felix, & nullius indiga, Fati
Fortunæque omnis secura. Sed, hei mihi! nubes,
In medio nubes obtenditur. Olim erit, umbrâ
Dimotâ, cùm te videam: cùm corporis hujus

E cavea, ex antro tenebrosæ noctis ad illam
Aspirem lucis patriam. Non totus obibo,
Cùm moriar. repetet terram pars altera, coelum
Pars melior. tuba cùm clanget suprema, resurgam
Qui cecidi, & totus vivam: nunc sedibus exul,
Diva, tuis, at spe civis, plenusque futuri.
Respice. * non longinquus abest. te Carolus ambit,
Nascentem * Astra suum scripsere: Magistra probabit
Viventem Virtus; morientem Æonia letho
Eximat.

** Ejus sc. statua cum duabus Reginis proximè infra statuam Vitæ æternæ.*

** Ut pag. 120. dictum suprà.*

Ecstasis Autoris contendentis cum Principe ad Cœlum sidereum.

At tremuere repentino quo Numine fibræ?
Quis per membra, per ossa calor novus ima cucurrit?
Qua penna volucres humeri sublime per oras
Nimborum coelo affectant iter? An mage fræni
Suadet opem Carolus, Pennæ memor? Ire per altum
Æthera, quà datur ire, speique invisere nostræ
Astrorum e speculis metam juvat. Ergo age, cum
Junge Notos mecum, & Zephyrorum lora capesse.
Portas sollicitare tuas, Dea, nulla libido est,
Nec vis (ut libeat) tanta. Interioris Olympi
Attentasse adyta, & limen penetrale subisse,
Ambitio illa Viatori sic debita soli,
Tarse, tuo. Cœli pomœria, & extima saltem
Aulæ immortalis longè propylea tueri,
Et lustrare suburbanæ laquearia Lucis,
Nullius invidiæ est. (a) Solymeia templa revisi
Non licuisse vel e longinquo, oculisque vel ipsis
Exilium indixisse, tuum, Romane, furorem,
Et Furias solas decuit. Mora quæ tenet? Imus?
Currus adest. Nubem appelles, (tam velleris instar
Aërei, & levitate natans, & mollis habendo
Materia est) similem nubi, quem plurimus auro
Sol ambit roseæ lucis, cùm Gangis ab unda
Emicuit novus. At quales nos esse decebit,

Currus paratur, & in procinctu est.

(a) *Ut fertur factam lege lata adversus Judæos sub Adriani imperii annum* 18.

Qui

Qui vehimur? Moneor, terræ me pondere turpi
Expediam, niteam morum probitate, nitori
Æmulus Astrorum, quò tendimus. Aura curulis
Ad temonem accincta venit. Viden'? halat Eoo
Rure, humerosque movet Nabathæo rore madentes
Eurus Arabs: Auri Libycus fluit imbribus Auster:
Turget elenchorum baccatus grandine Frater
Caspius, Auroram populatus: & undique mollem
Dona sua Zephyrum expoliunt, & plurima conjux.
Spiritus aspirat nobis *sacer*. Est suus illi
Eurusque, Zephyrusque, Aquilo suus, & suus Auster.
Advolet alma Fides, niveis & prævia pennis
Ducat iter: cursum Spes incitet: ardua sellæ
Regna tenebit Amor. Ferimur per inane. Volucrum
Semita quàm liquida est! obicis mora nulla. Recedunt
Et populi, & muris cum rarescentibus urbes,
Urbes, Londinumque tuum. Reditura recedis
Urbium amor. Tibi lux iterum nos tertia sistet.
Cernitur hinc (vidisse vel hinc juvat) orbis in unâ
Urbe domus. sub conspectu Maris arbitra: cujus
Fluctuat ad latus Arctois cum mercibus Albis,
Indus Achæmeniis, Syriis fœcundus Orontes,
Et Ganges, & Tethys Atlantias, omnis & uno
Nereus in Thamisi. (*a*) Sedem splendoris, an (*b*) Hortum
Appellem Pomonæ aureæ? (*c*) Virtutis an Arcem
Bellicæ, an Heroum Genitricem? (*d*) Immobile Templum
Artium, an Artis opus? (*e*) Superûm te forsitan Ædem
Dixerit Euphrates, & terræ Persia cœlum.
Quicquid eras, & quicquid eris, tua mœnia vallant

Adsunt Venti curules.

Ascenditur in aerem.

(a) *Sic appellat Babylonem Basilius, & Byzantium pariter Themistius.*

(b) *Sic nominatam ait Galatinus Hierosolymam: Hortum nempe fructuum aureorum.*

(c) *Sic Romam cum Cassiodoro Romani veteres.*

(d) *Sic Athenas suas Græcia cum Aristide.*

(e) *Sic Ecbatana Rex Persiæ coram Apollonio Tyaneo.*

Fortuna, & Tempus. Pietas custodia sola est.
An flammis de te licuit, pulcherrima, tantùm?
Verticis eximii turrita superbia sedit
In cineres, bustumque suum est Britanna Cybelle.
An cineres, ubi Troia fuit, vidisse *(a)* colonos,
Troia, tuos iterum decuit? *(b)* Tot cædibus olim
Funestasse aram Martis, tot Mortis in urnam
Constipasse animas nuper, quò funebris anni
Nomina tot congesta Lues effræna coëgit,
Nonne satis? Patriæ excidiis, Urbisque ruinæ
Intereram. Fatum absolvo. Sed nec tibi rebar
Dicendam, Fortuna, diem. Peccavimus. Illo
Ignes e silice, ex illis incudibus Arma,
Tabe nefanda Lues, & cætera pestis ab illa.
Scena mali an superest *(c)* nova? Diluviumne minantur
Pleiades? Astra tenet non implacabile Numen.
Anglia, pœniteat peccasse; suumque doloris
Respiciet nostri clemens in nubibus arcum.
Auferimur. Vocat Alipedes sublimior aura.

Ad tractum deinde altiorem.

Metior hinc oculis quicquid metitur ab alto
Mundi oculus Sol, atque oræ spirabilis infrà
Quicquid aquæ, seu terræ ambit circumfluus æther.
Terrarum est, Lodoice, tuus, tuus orbis aquarum,
Carole. Si tumeant, venia est. Quodcunque tuemur
Seu pelagi modò, seu terræ, discreverat olim
A Nihilo nihil. Ulteriùs quò pergimus, undas,
Carole, Neptunumque tuum brevioris in alvei
Curriculum cernes compingier: & tua tellus,
Palmarum ille ferax campus, Lodoice, tuarum,

(a) *A primo conditore, in Troiæ veteris memoriam,* Trinobantum *Urbs primò appellata, seu* Troia nova.

(b) *De Urbis hujus incendio horribili, quod Anno 1666 accidit, De Peste maximè omnium calamitosa, quæ contigit Anno 1665, De Bello intestino, quo per multos annos Anglia universa flagrabat antè, memoria recens.*

(c) *Ob calamitates alias, quæ videbantur imminere.*

Nost-

Mox in nonnihilum Nihilo confine recedet.
At quis obex oculos intercipit? En, procul umbræ
E terra coeunt. Pelago vapor incubat ater.
Cogitur in nubem. Cœlum undique, & undique nimbi;
Nimbi infrà, & Solis rosei via lucida suprà.
Macte Aquilo. At sociis conferre jugalibus alam
Cura sit. Hos decuit pacalior orbita campos,
Atque animæ faciles, & penna oblita procellæ.
Sistimus. Inferius longè per inane coruscus
Immugit vapor. Audimus? Nec tela Cyclopum
Cassa volant. Rhodopen, & Athon, jam fortè minorem,
Quàm stravit pavor! At raucum calcasse tonitru,
Flagrantesque metus, & cinctum turbine fulmen
Hìc datur? ah, nimiùm nobis *imitabile fulmen.*
Et Menti, credo, suus est quoque turbinis æstus,
Et bruti sonitus, & cæcæ fulgura flammæ,
Brontesque, Steropesque nocentior. Heu, mage fervent
Hæ tempestatum furiæ, tonuere per orbem
Hæ magis. Ambitio telum coquit, Ira fragorem
Sæva ciet, flammam nimbis succincta Libido.
Sub pedibus videam has nubes, hæc fulmina calcem.
Evoe, provehimur. Medio Sol æthere pendet, *Ad plagam aeris superiorem.*
Et nostri stupet axis iter. Dum se Jovis ales
Explorat Solis vultu, se, Carole, vultu
Ipse alio Sol exploret. Dulcissime salve
Heliadum pater, immensi lux aurea mundi,
Jam propior. Spatiis ut adhuc ingentibus absint,
Flammiferos tamen hinnitus audire, tueri
Temonemque rotasque auro, juga chrysolithorum
Fulgure, Memnoniisque indutos ignibus axes
Quàm videor! Sol quò propior tamen ipse, latebis
Ipse magis. Carolum, portat quem subjugis Aura,
Quàm sua fama minùs, radio, (*a*) quo Sidera cunas,
Læta salutavere, pari tua regna petentem
Prosequere. At quisnam interea, quis lumina terret

(a) *Hac de re Par. 3. pag. 120.*

Adverſo, Stelliſque alieno tramite fulgor?
Nec Solis conſanguineum, ſociale nec Aſtri
Inſtar habet. feralè rubet: feraliùs ardet.
Ætheris hac forſan cœli regione Tyrannus
Imperat, illa orbis furia, everſorque Cometes,
Sidus triſtè comans, & paſtus ſanguine fulgor.
Stellarum, profuga e cœlo, *pars tertia* poſtquam
Mutavit funeſta ſolum, (*a*) *Caudam* illa rebellem,
Poſticæque Facis ſignum fatale ſecuta,
Luce novâ extemplo peregrinum fulgur, & ardor
Irrubuit novus. Hinc Erebi fornacibus ignes
Suggeſti primùm. In terris hinc plurima circùm
Teda Veſeva, nec Ætna una eſt. Pars æquoris æſtu
Accolit. hinc Nymphæ nimiùm tepuere marinæ,
Hinc ortus Venerum calor; Oceanique Suburrâ
Tetrius haud uſquam eſt. Pars ætheris altiùs oras
Obſidet. hinc noctis tranſcurrere ſæpe per umbras
Cernimus, & volitare faces, & ducere crinem.
Inde furunt Noctes. Memoremne (*b*) *Parelia* Solem
Solibus obſeſſura novis? alata *Draconum*
Agmina? multifidæ *Torrem* facis? *Ægocerotum*
Flagrantes *choreas*? At Sævior omnibus unus,
(Nonne vides, vultus fœdos ut ſervat Erinnys,
Et prælucentem Morbis, Mortique ſequaci,
Turbinibuſque, Armiſque facem prætendere geſtit?)
Sævior ille unus, reliquiſque ſuperbior Ignis,
Invidiæ relegens obliquo lumine cœlum,
His latè in campis regnat, longèque fatigans
Imperio terras *Caudæ* propè *principis* æquat

(a) *De cauda Luciferi, (qui & Draco rufus ibidem dicitur, & Græce* πυῤῥὸς, *id eſt, ignitus) trahente ſecum tertiam partem Stellarum, habetur in* Apocalypſi *c. 12. quò hìc alluditur circa Cometarum, & Meteororum flagrantium originem.*

(b) *Meteororum quorundam nomina. Parelia: Dracones volantes: Torres: Capreæ ſaltantes.*

Syrmate Syrma pari. Veteres (& Ruris, & Aulæ,
Et Pelagi terrorem illum) dixere Cometen.
Urbis nos dixisse (*a*) Facem, Funusque nefas est?
His animis fomes Culpa est. aluere vapores
Sulphurei. fontes præbent hæc pabula Terræ.
At fugiamus; & ala fugam induat ocyor alâ
Fulminis, Eure, tua. In lævam conscende. Supinum
Poscit iter rapidos, & non fine turbine, Ventos.
Fallor? an & Superûm campis transmisimus oram
Contiguam? Temonem, Axes, Ventosque coronæ
Circumeant. At, confini ne proxima Lunæ
Corriperet teneras Zephyri plaga flammea pennas,
Quàm timui! Soror hìc Phœbi est: Argentea Phœbes
Regia. Vah! tam pulchra domus, quàm pulchra Diana est.
Dos nec opum, nec formæ aberat; tamen innuba virgo
(Quod mirere tamen) teda caret. Hanc negat Hymen;
Ast aliam, nec parca sui, fraterna sorori
Exhibuit pietas. Et dignam Fratre Sororem,
Donique usura dignam salvere jubemus.
Nec fine (*b*) flammeolo tamen est. dedit obvia Mater,
Communis Superûm genitrix, Berecynthia Tellus.
An Lunæ quoque Musa sua est? Et carmina circùm
Fusa jacent. Docto cum Fratre poëtria Phœbe est.
At (*c*) Rhombum pariter video, quem Cynthia nuper
Palluit. Hoc lusit carmen nocturna Cytæis.
Tentemusne forem? (*d*) Siluit domus. Arbitra noctis

Transcenditur Regio suprema Ignis.

Pervenitur ad Lunam.

(a) *Tres apparuere in Anglia Cometæ: duo anno 1665 ante pestem, tertius ante Urbis conflagrationem suprà dictam, quæ contigit anno 1666.*

(b) *Est velum, quo novæ nuptæ velari solebant. & alluditur ad caliginem, quam terra Lunæ variè obversa efficit.*

(c) *Cùm secta Colcho Luna vapulat rhombo. Martialis. Itaque carmina illa erant duntaxat Sagarum incantationes solitæ circa Lunam: de quibus apud Scriptores varia.*

(d) *Quid sit Lunæ silentium, habetur in Plinio. Idem est, quod Interlunium, seu Lunæ conjunctio.*

Aut

Aut cubat, aut (*a*) venatum abiit. (*b*) Quid? Latmius Heros
Inscriptus, Regina, tuis hic postibus hospes?
Ausus an ille tuis socios miscere sopores?
Nympha cave. Et plenas etiam dabit hinc fore Lunas.

Contenditur ad Mercurium.

Hic Lunam prætervehimur. Tegeæus Atlantis
Adversa sedet arce Nepos. Hoc præside (*c*) Merces,
Puppe coronata, Panopen in littore donant
Grati Rore maris; Lambunt hoc præside frontem
Ingeniosam hederæ, sudorum dulce Minerval,
Et par æterno; Chordas hoc præside pecten
Concentum docet, & resonant Amaryllida mensæ.
Attamen intus olent vapidam præcordia vulpem:
Sibilat & Virga omnipotens. Quàm limina texit
Cæca labor fallax, & inobservabilis illinc
Implicat ambages error! Nec & ipse (*d*) latebras
Abnuit. Indulgent secreto furta; sibique
Musicus hic canere intus amat. Caducifer esse,
Esse ait Interpres Divûm. Pol, si quis Agyrtam
Græculus------Auris at auritæ est; & dicere musa

Ad Venerem.

Attigimus Veneris portas. Hoc limine prodit
Lucifer, Auroræque cubantem in montibus aureo
Evocat ore diem. Roseos hinc noctis ephebos
Instruit in choreas mutata lampade Vesper.
Intus habet plùs quàm geminorum Mater Amorum,
Illecebrarum & mille ferax. An tanta venustas
E spuma? Seu tu mavis Erycina vocari,
Sive Cytherorum præses, seu pulchra Dione
Virgineum e Cypro ducens, seu nubile nomen

(a) *Sic & de alio venatore Buchananus in Sphæra.*
Et adhuc venatur Orion.

(b) *De Endymione circa Lunam notum.*

Quòd discurrendo per Planetas opprobria cuique s... quædam attexuerit Autor, excusatio pòst redditur.

(c) *Inde sumit Mercurius nomen; & Mercatoribus f... vet, ut Astrologi asserunt, sicuti est apud Keckerm...*

(d) *Rariùs apparet videndus hic Planeta.*

E Lem...

E Lemno, quàm blandiris! Tamen & sua, Divæ
Blanditias inter, limen *Suspiria* servant.
Quos pascit Dea, consumit. Nec pabula cuivis
Hæc Nymphæ desunt. Et vernæ pignora Floræ
Ad primos aditus, telluris sidera nostræ,
Versicolore Deæ redimitos Iride cerno.
Purpureos flores. Genti cognata caducæ
Forma quid expectet, video. Videone Puellum?
Argutus puer, (hunc Genitrix appellat Amorem)
Fortunæ ancipitis plumam furatus ab ala:
Atque oculum furaturus, ni cæca fuisset.
Cætera prætercam? Nec abest, ut cætera desint,
(*a*) Nescio quæ Virgo Junonia, sæpe dolores
Quæ serit, & sterilem campis in Amoris avenam,
Et lolium infelix. Phœbea superbiùs aula — *Ad Solem.*
Quàm rutilat! (*b*) quàm Peligni præstricta Poesis!
Cynthie, qui tenebras abigis, totusque dies es,
Cui vigilant Menses, & stipatoribus Annis
Sub loro fræni recubant & Tempus, & Ævum,
Nulla tibi invidiæ ferrugine detrahit umbra.
Sive oreris, sive occiduus fugis, unus & idem es.
Jam (*c*) *Decadum* (tua nimirum quas orbita signat
Mundi emensa orbem toties) tot dispulit Umbras,
Et totidem Luces velocibus extulit Horis
Bis novies millena decas, neque te mora fessum
Arguit ulla tamen. Socium licèt undique pascant
E fulgore tuo tot Olympi lampades ignem,
Attamen ille sui tuus integer ardet, & aureæ
In summa gazæ nullam fecere lacunam
Expensæ lucis tantæ. Qui veris odori
Ambrosiam radii libant, licèt & simul ulvæ
Non exhorruerint sordes, tamen inde nitorem
Nec læsere, lutosam oluere nec inde paludem,
Usque sui. Utrovis metas in limite ponis,

(a) *Zelotypia.* (b) *Regia solis erat, &c. Metam 2.*
(c) *Vicibus circiter octodecies centum mille mundum lustravit.*

Brachia

Brachia seu Cancri sistant, seu cornua Capri,
Quam tu cunque premis partem, quocunque curulem
Dirigis ambrosiæ lucis, formose Viator,
Gaudia mille rotas præeunt, & Vota sequuntur
Mille tuas, Vatum, & Lucis communis origo.
Vestibulum Lucis meritò sua laurus inumbrat,
Parnassi genus. At (*a*) memorat, quæ dicere nollem.
Ad Martem. Hæc macula in Sole est. Aquilonis ut ala ferocit!
Stare loco nescit Boreas. Mavortis anhelat
Ille tubas, Civemque suum. Jam charior Astris
Patria, Bistoniàque (*b*) tenet sub casside Bellum
Absentem. Juvat ire tamen. Mars gratior absens.
Ferro ardent candente fores: immania ferro
Claustra rigent: ferrum vicinæ spicula Lucis
Læsa timent. Est & ferro sua gratia. Portas
Insignit timor, & rerum percellit imago
Objiciuntur variorum Bellorum imagines in foribus cælatæ. Ferrea, grata tamen. (*c*) Gessit quæ prælia neptis
Roma, vides? Cælat Thebas & Thesea sanguis.
Prô pudor! hìc Permessus erat. modò squalet, & unà
Barbarie tumet. Hinc mœret Parnassia Daphne:
Thespias inde sedet Thressa cum Mænade Virgo.
Tristia; quæ neque fortè sagax præsensit Apollo.
Myrmidonum hìc armis quondam, modò campus aristis
Fluctuat. Hìc Persæ certant. Pellæa juventus
Debellat Persas. Pellæo proximus adstat
(Diverso in campo, & diverso milite bellans)
Bellatori Heros ingens. Præsagia laudum
Tanta silent nomen? Si Carolus annuet, (& quis
Abnuet?) hic Lodoicus erit. Pellæa poposcit

(a) *Historiam nimirum de Daphne, quæ nota est. Significatur etiam inde Poetarum genus plerunque nimis versari in rebus amatoriis. Et hæc eorum pariter labes est.*

(b) *Militantem modò apud Thraces suos indigenas, Poloniæ utique jam imminentes.*

(c) *Præterita scilicet ex Astris, quemadmodum & præsagia futurorum agnoscunt Astrologi.*

(a) Dig-

(a) Dignam se musam virtus, & carmine lauros
Ingemuit caruisse suas. Rex inclyte, carmen,
Atque os magna sonaturum tua prælia poscunt.
Majus Rege nihil fecit Deus. Ast ubi Vatem
Fecerat, Hic par est, inquit, neque laurea desit.
Ergo tuos par qui celebret, Lodoice, triumphos,
Par esto Vati versus suus, & Tibi vates.
Lemnius horum opifex, credo. (b) Sed *vincula* desunt.
Pergimus. Undosæ subeunt spectacula scenæ.
Velivolis totum sylvis consternitur æquor.
Et sale nativo spumant, & sanguine fluctus.
(c) Actius hoc, reor, in pelago bellavit Apollo.
Arce sedet summa, pugnasque interritus armat
Ipse armis septus. Geminas in vertice cristas
Bis ternâ lauro advolitans Victoria cingit.
Ludimur. Incautos species peregrina fefellit.
Dum propiùs mentem adverto, non Actia bella
Hæ tabulæ, tua commemorant, Te, Carole, signant;
Non Phœbum. Ægyptum non hic spectamus, & Indos,
Non Arabum, Auroræque fugam, seu terga Sabæa.
(d) Occurrit Gens hic propior; cristamque superba
Sustulit, & posuit supplex, utramque potentis
In partem dextræ nervos experta Britannæ.
Gentem hìc, egregiam certè, at tibi serò, tuisque
Auscultaturam monitis ars Lemnia pinxit,

(a) *Lachrymans querebatur Alexander Macedo, cùm ad Achillis tumulum assisteret, gesta sua, Achilleis utique nusquam inferiora, non sortita Homerum suum.*

(b) *De Martis nexibus non, opinor, ignotum.*

(c) *Putabantur, primo nimirum aspectu, bella hæc navalia Actia illa fuisse sub Augusto Cæsare cum Cleopatra & Antonio, quæ a Virgilio exhibentur Æneid.* 8 *hìc descripta; sed falsò. Alia recentiora commemorantur; posteriora illa viz. Anglorum cum Batavis.*

(d) *Hæc scripta, cùm res ageretur, sub finem belli Batavici postremi.*

Venturi illa quidem non inscia. Quantus in undis
Tela inter media, (Invidiæ gravioribus idem
Usquè lacessitus jaculis. Nimis, o nimis, illa
Virtutum castris contermina!) quantus in armis
Stat celsa in puppi terræ arbiter, arbiter undæ,
Non *Augustus agens Italos in prælia Cæsar*,
Verùm animi Juvenis præstans, nec Cæsare forsan
Inferior, Carolo certè confinis, & uno
Fratre minor! Geminis undant aplustria palmis,
Cum fremituque Furor geminus vestigia lambit.
Virtutem interea factis, virtute vel ipsis
Incidendam Astris famam proferre pigebit?
Nec te præteriit, nec præteriisse decebat
Ardores, Ruperte, tuos. E sanguine fluxit
Regali species, & sanguinis æmula virtus.
Ille quis? Ut totus fumans, & pulvere sordens!
Salve, iterum salve, Georgi. Fuligine laudes
Hac nituere tuæ. Sudor cerussa Gradivi est.
Pugnantem hoc Nerei in campo te bis duo soles,
Bis duo continui media inter fulmina soles
Vincentem stupuere. Supremum solvere munus
Concessum (*a*) Paci est. At raptum nomen ab una
Fastorum hic memori donat Mars ære suorum.
Interea tumet unda. Novâ Neptunia cæde
Arva rubent. Hinc densa vomunt incendia puppes,
Flammarumque altè nimbis obtexitur æther;
Hinc mare semineces, incertaque nomina volvit.
Penè gemunt. Nostræ, Batavæque e flumine venæ
Hic & Hic infecit quàm discolor æquora sanguis!
Hìc tamen in Lethes gremio ne fama lateret
Eximii (*b*) ducis, advolitans e Phocide Cygnus
Affuit, & sociâ Famam qui sustulit alâ.

(a) *Nam hic Georgius Monkius, Dux de Albemarle (de quo Part. 2. pag. 73) obiit post pacem priorem initam.*

(b) *Comitis de Sandovico in pelago submersi: cujus præconia pòst cecinit Poeta quidam perquam insignis.*

At non hic *magno mœrentem corpore Nilum*
Aspicies. Mosam aspicies, & corpore magno
Mœrentem: cornu salebrosi in fluminis alveum
Jam lacero (*a*) victos, *& tota veste vocantem*.
Cessent arma: tubæ sileant; animosque tiaræ
Bellantis pone. Armatum modò Belliger hostis
Quem timuit, requiem Domito spatiumque, sedentem
In Pacis solio, & tua dona recognoscentem
Ut te miretur, præbe. Non sola Gradivus
Bella, suo & Caroli Pacem dignabitur Astro.
Urgendum (adverto) monet Auster, iterq; movendum *Ad Jovem.*
Altiùs. Arripimus. Jovis hic opulenta patebunt
Atria. Dictæone rear vagisse sub antro?
Quàm laxè Princeps habitat! Berecynthia migret
E cælo in Terram, si non & continet una

(a) *Ita visum Anglis. Postea tamen, anno scilicet* 1673, *Batavis aliter. Et prodiit inde continuò e Poetarum grege nescio quis, qui jactaret Anglos eo anno* ter victos, *&* nihil *eosdem e præliis suis retulisse: Insonuitque cum sarcasmo sanè non ignobili istud* Nihil *in carmine sæpe & sæpius. Detur e sua* Magna Charta *potestas hæc Poetis quidlibet audendi.*

Regerebatur proinde & ab uno altero quod subiicitur; sapidumne, an insipidum, haud admodum refert.

Quid? *Victos*? Audit vicinia. Credidit usquam
Non nisi qui Batava præditus aure fuit.
At micat auriculis, micat, Evoe, Pegasus Arcas,
Et salit, & ludit, rudit & ad numerum.
Vah! *Nihil*? & toties? & nec reperisse vel unam
Tot Ciphras inter Nonnihili monadem?
At Nihilo *Nihil* ex illo modò fiet, idemque
Fortè Anglo majus, fortè minus Batavo.

Inter arma Camœnis etiam pugnacibus licebat esse. Hostiles inter dimicationes utinam non soleret aliunde prodire quidpiam nocentius, quàm ab acie hujusmodi calamorum. Verùm hæc obiter.

(a) Centenam domus una Deam. Quàm lucis in auro
Subsiliunt agiles, radio vibrante, Pyropi!
Felices vagire ferunt hoc (b) præside cunas.
Quod primum tamen objicitur, Facis ira trisulca est,
Terrigenis fatale, & inexorabile Telum.
Tum pandit pennas portæ fastigia velans
Armiger excubitor, grassatorque ætheris Ales,
Ungue minax, animisque ferox. Fastidia Solis
Subjecti radios, oculique superbia terrent.
Fortè suas hinc in leges oracula ducit
Æmula fulminibus Feritas, dextræque, rubenti
Sæviùs, inseruit telum ambitiosa Tyrannis.
Custodis tamen (c) alterius Tarpeius egebat.
Nescio quid certè est.---Numen nec fortè, quod ultrà
Insimulem, vacat, alteriusve immune querelæ est.
Vilem hominum (d) quo consilio Dodonia pavit
Mensa famem, sociusque sub ilice setiger hospes
Accubuit conviva? (e) Et sylvis roscida dona
Fertur decussisse; suis nec mella Sibylla
Repperit in foliis. Certè *currentia vina*,
Et nectar geniale, tuam, lenæe, repressit

(a) *De Berecynthia, (Tellus eadem aliàs est) Jovem relinquente, & migrante in terram, satis notum. At Jupiter Tellure major est nonagies quinquies, inquit Keckermanus. Nullus igitur Planeta Jove major est præter Solem, qui globo terrestri major est centies sexagies sexies. At Cardanus Jovem vult esse terrâ majorem centies octies. De magnitudine cæterorum Planetarum, & theorematibus eorum vide eundem Keckermanum lib. 1, cap. 12, & deinceps quæ sequuntur.*

(b) *Astrologi vocant Jovem Fortunam majorem. Ita apud eundem Keckermannum.*

(c) *Anseris sc. Jovem Capitolinum servantis. Hinc illud, Romulidarum arcis servator candidus anser.*

(d) *Consule, si tanti est, Hesiodum.*

(e) *De his Virgilius Georg. 1.*

Lætitiam

Lætitiam undantem rivis; & Vatibus ipsis,
Esto latex alius vobis, ait. Ad Patris aulam
Evehe temonem, Zephyre, & Saturnia regna.
Præterea, viden', ut servat Jovis atria quercus?
Germen at inde comans vicinior ignis adussit.
Multa juvant e longinquo; vicinia lædit.
Insuper *Omnivolum* dicunt.——Et cætera mitto.
Saturnus superest; & terris extimus idem. *Ad Saturnum.*
Curva tamen terrestre solum, sedemque senectus
Despicit, extremam nobis quam destinat ætas.
Numen an immortale? Fores tamen ægra videtur,
Atque tremens pulsare manus, quas Fata recludant.
Canent ora; moræ baculus vestigia damnat.
Decurso exilii stadio, pelagoque remenso,
Cùm Patriæ amplexus inter veherèris in Urbem,
Curriculum, Princeps, ætatis Olympias egit
Sena tuæ. Profugus (*a*) lustris Hic conficit orbem,
Ut perhibent, totidem. Tibi Nestora providus Æther
Abnuet. Estque sibi (credo) quod detrahat Æther,
Si totum donet. Passu, quem vovimus, & quem
Ipse velis, Æther spatium tibi currere donet, (di,
Quod dederit. Britonum, extremique e limine mun-
Terræ e carceribus septemplicis orbita Cœli
Jam tetigit metam. (*b*) At Stellis, quà venimus, atram
Impegisse notam, & nebulam sparsisse Planetæ
Cuique suam, non offensâ tibi, Carole, forsan
In tenui fuit. Et *feriunt sua tela nocentem.*
Et fuit usquè, & erit quædam oggannire libido.
Nescio quid curtæque rei, curtoque Poetæ
Semper abest. Poterat taciturnus fortè videri,
Et parcus linguæ Vates, nisi garrulus esset.
Scilicet indignere simul, tua prælia si qua

(a) *Annis sc.* 30.
(b) *Excusatio hic redditur, quòd in hoc transitu per Planetas sua cuique opprobria quædam asperserit Autor. Exhibere pariter libuit plerorumque nugas vel inter seria.*

Invidiæ

Invidiæ dumis extracta nitedula rodat?
At ſtellas non incuſo. Qua tingere Lucem
Labe queam? Luſtrant ſtudioſa lampade terras
Excubiæ æternæ. Nulli non muneris æquæ
Uſuræ ut parti veniant, hàc tardiùs, illac
Ocyùs adverſos per Signa feruntur in axes:
Nunc humiles, nunc ſublimes. Regionibus errant
Ambiguis; nullusque errantibus officit error.
Septenas Luces ut terque quaterque ſalutem,
Et decet, & par eſt. (a) Illis peregrina Vetuſtas
Nomina, nequitiiſque affixit provida Numen
Culpa ſuis. Eſt hæc Vitii natura, propaget
Ut vitium. Quò ſe famæ commendet, & ævo,
Quò ſaciat Sceleri nomen, culpæque pudorem
A Culpa, maculam a Vitio vitiumque releget,
Fit numen Vitium, Scelus ungitur, Indigetemque
Heroo decuit donari Sidere Culpam.
Seu Stellas allatret Hylax, ſeu Fabula, lucet
Inde jubar nec languidius, nec decolor ignis.
Cera tamen quæ Saturnum, quæ labe tabella
Eximat? Et necdum poſuit Saturnia dentem
Fortè fames. Supero qui proximus aſſidet orbi,
Quo ſe jactet, habet. Vicini copia Cœli,
Simplicis unde animam poterat libare Sereni,
Stellæ indulgentis radium promittit, amoris
Et Genium infuſum ſenio. Lucina ſed illo
Nulla puerperii ſortes ſub lumine ponat.
Diſtat ſæpe loco meritum; Falcemque tenentûm
Multorum virtus, feriant licèt æthera, calvet.

Ad Cœlum Sidereum.

Vicimus. Aſtra rotæ ſubeunt. Pæana canendum
Aſtra monent. Jubar immenſum! Salvete Penates

(a) *Superſtitio antiqua, quò haberet, quod prætexeret culpis ſuis, iiſdem illos inſcripſit, quos in Deos retulit. Hinc Ovidius ipſe:* Inſcripſere Deos ſceleri. *Retinent adhuc ſtellæ nomina illa profana; & mirum non eſt, ſi inhæreant illis Nominum maculæ aliquæ.*

Immen-

Immensæ lucis. Si fulgent atria tantùm,
Quantùm, prô Superi, & quo fulgurat Aula pyropo
Interior! Tamen hanc medius quia semovet Aulam,
Isque duplex Æther, (crystallinus alter, & alter
Imperio reliquos primo qui temperat orbes)
Heu, quantùm distamus adhuc, quò sæpius urgent
Vota, sed aspirant Operum vestigia sola!
Et mentem & linguam stupor obsidet. An Berenice
Illa comans? Illa Andromede? Cepheis an illa
Cassiope, Æthiopum præses? quàm fabula vero
Dissidet! (a) Una tamen, reliquis formosior una,
Blandior una, tui memores agnoscit amores,
Et petit agnosci. Mediis se Solibus ausa
Inferre, adversique lacessere tela diei,
Hæc illa est, Lux illa, tuæ quæ læta præibat
Lucinæ. Stellis frontem præcincta refulsit
Illibata (b) *Corona* novem, totidemque sequentes
Dotibus imperio dignis insigniit annos.
Visa choro fuit hæc laudum seges ampla noveno.
Clementem Euterpe laudat, blandèque *Severum*
Melpomene, *Sapientem* Erato, Polyhymnia *Fortem*,
Terpsichore *Solertem*, & Calliopea *Venustum*,
Uranie *Justum* memorat, *Vigilemque* Thalia,
Heroum in laudes Clio numerosa *Potentem*.
Pulchra videmus. An audimus quoque? (c) Quis canor
Demulcet? qui concentus? Allabitur auri, (aures
Ad numerum dum scena choros hæc aurea ducit,
Ecquod tam vocale melos, tam dulce? Choreæ
Præcentor, (d) decimo Genius qui præsidet Axi.
Hinc, reor, et non immeritò, Cygnumque, Lyramque
Inseruit comites cœlo ingeniosa Poesis.

(a) *De hac Stella, (Coronam velim) quæ apparuit medio die in ortu Principis recens nati, Par.3. pag.120.*
(b) *Apparet enim hæc Stella novem aliis insignita.*
(c) *De concentu cœlorum Pythagorico notum.*
(d) *Primo sc. Mobili.*

Nec

Nec procul hinc, nisi fallor, abest, quæ lactea fertur,
Uraniesque eadem cantu notissima, cœlum
Limite quæ candente secat, Via. Candidus illam,
(*a*) Nectarei roris satur, ambrosiæque papillæ,
Hinc atque hinc insignit Olor. Confinis Olori
(Pectine quo percussa, liquet) Lyra succinit; olim
Sylvarum, nunc Astrorum suavissima Siren.
Curramus. liquidum patet æquor. Ut ignea callem
Obsideat, vulnusque (*b*) Sagitta bicorporis Astri
Intentet cornu adducto, tamen abstinet ictu
Ira vago, novitque sagax, quos denotet, arcus.
Currimus, æthereo volat æquore fervidus axis.

Ad Cœli ejusdem Viam Lacteam.

Appulimus. Lux hæc oculo indulgentior. Albet
Semita. Multiplici manans e sidere candor,
Partis an hic radius quintæ est? Nec cætera vincit
Astra nitor; vinci nec forsitan Astra pudebit
Cætera. Collatâ jaculatur luce nitores
Innumeros, aciem nec lædit inhospita lampas.
Lactescunt ignes; Cœli melioris & uber
Ipsa modò hinc propiùs distans Æonia pandit.
Siderei hoc Cœli cœlum est. Posuisse ferebant
Heroos sedem hic olim post funera Manes.
Parnasso veniam meruit sua fabula. Detur.

(a) *Hæc via nimirum, cui Cygnus, alis latè expansis utrimque incubat, Lactea dicitur, a lacteo liquore Uberis Junonii, quem inde per eam fluxisse perhibent Poetæ. Cygnus autem & Lyra sunt ambo in hac Via sibi vicini.*

(b) *Sagittarius imminet Viæ lacteæ arcu intento.*

Hic e cœlo longinquiore prodit inopinatò Regius Anglorum chorus, de quo suprà in Argumento.

Carole, ubi simus? Incautos audacis habenæ
Quò tulit ardor? An & medii discedere Cœli
Cerno fores? Procul ingentes quos limine portæ
Adverso effudere choros? Nec sistere contra
Astrorum valet, obtusique laborat Olympi
Lux minor. Advertunt propiùs. Speciosa theatri
Magnifici in faciem Nubes abit: ampla, supremi

(*a*) Oceani

(a) Oceani ducta e gremio, Crystallina (b) nubes.
Regali vertex premitur suus omnibus auro.
Considunt. Ambit sedes alata Juventus.
Parnassum licuit colere, Aoniasque sorores
Hactenus. Una, jugo sublimior illa bicorni,
Nunc Vati manet, & coelo cognominis ipsi.
Imò age (nec te nequicquam præfecit Olympo
Diva Deam prudens Æonia) dic age: Nostri
Quid spectant oculi, Uranie? Terrena fatiscit
Luminibusque acies hebet immortalibus impar.
Quos virtus coelo evexit, cœloque receptos
Terra colit, peperitque Britannia, regia Mater,
Supremi regalis adest e vertice mundi
Divorum chorus. Et Britonem te, Carole, signant,
Et poscunt socium. Regi sua præmia Reges,
Seque secuturo non invidere Nepoti.

(a) *De Cœlo aqueo, seu Crystallino, Interpretes in primum Genes.*
(b) *Res cœlestes, quæ mortalibus objiciuntur, nubem plerunque adjunctam habent, quæ cum luce obscuritatem aliquam communicat.*

Tria interim adjicio. Primum. Annotationes aliquas Historicas subiicere oportebit, tum ut notitiam inde aliquam habeat Lector rerum Anglicarum, tum ut quod succinctiùs omnino attingendum erit in Carmine, pleniorem lucem recipiat á Prosa subjecta. Eò proinde ad clariorem Carminis intelligentiam Lector referendus plerumque est. Circa Nominum literulas aliquas minutas, subductiones annorum, &c. si qua sit diversitas in Autoribus, cuique liceat suos, ut libuerit, sequi. Neque erit, spero, qui vultuosè quempiam cogat Annalium in unorum jurare verba.

Alterum. Intelligat Lector (idque observabit, credo, ipse per se) Partis hujus quartæ Stylum a Stylo Partium præcedentium fore paulò diversum, pressiorem nempe in plurimis, & magis succisum. Fieri id rebar in hac Materia oportere ob varias causas, quæ Lectori etiam fortè occurrent, & probabuntur. Neque verò Carmini, quod subinde non excurrat, Numerus idcirco suus deerit. Etiam Pæon, inquit Cicero, quòd plures habeat syllabas, quàm tres, Numerus a quibusdam, non Pes habetur. In multis

multis certè Materiis ubertas stylum postulat, unde depascatur.

Tertium. Si cui Excursiones nonnullæ in Carmine liberiores videantur, quàm locus, seu Res, in qua versamur, fortè postulet, ab Ecstasi (de qua ad Marginem suprà pag. 160) petat ille quod excuset, quæ limitum circumscriptionem severam dicet utique se non pati. Si in cæteris, quæ est tetricitas mortalium, & mea tenuitas, Lectori non satisfecero, reliquum erit, ut ad Regum saltem, quorum in qualicunque hoc opere mentionem attingere nefas, opinor, non fuit, benigniores aras confugiam. Neque enim animis reor cœlestibus iras ejusmodi esse, ut asylum Erroribus meis, & Reo supplici recusent prœbere.

Cæterùm vocabulis Ecclesiasticis nonnullis, si quando occurrant, nemo erit, opinor, tam ad stuporem Ciceronianus, qui obelum admoveat, in Annotationibus præsertim.

Unum aliquid hìc insuper subit addere, quod penè exciderat: Necesse nimirum fore, cùm de rebus antiquis agendum erit, interserere quæ temporum illorum erant propria. Itaque Historiarum veterum usus, rerumque, quæ materiam propositam attingant, tractatio simplex & pauca, nullius, uti spero, cadet in offensionem. Quòd si secùs, quàm expectem, evenerit, appellare enimvero licebit ad Usserum Armachanum, Spelmannum, Stoum, & cæteros, quos & consului ipse sæpius in hoc opusculo, & qui e fontibus iisdem petiere ipsi pariter, quæ libarent Lectoribus suis. Profiteor in nullius me fines hastam, ut aiunt, fecialem immittere.

Atqui ad ingressum Commemorationum, quas instituimus, advertat Lector, Canonizationem Sanctorum, ritibus nimirum & cæremoniis solennibus, quæ modò usurpantur, adhibitis, in Ecclesia per varia secula non venisse in consuetudinem. Fiebat ea res Fidelium communi consensu per traditionem sanctitatis & miraculorum memoriæque omnis constantem approbationem stabilito. Hinc

(neque

(*neque enim per* Canonizationem *efficitur aliud*) *agnoscebantur* Sancti. *Hinc, relatis eorum nominibus, seu* Memoriis *in Fastos, Officiaque Ecclesiastica, Martyrologia, &c. venerationi & cultui publico autoritas ampla praestabatur. S. Suiberto Anglo, (& facit hoc ad honorem Gentis nostrae) Germanorum Apostolo meritò nuncupato, Sigeberti Comitis Northumbri filio, a Leone Papa, praesente Carolo Imperatore Pipini filio,* Canonizatio *prima solennis adhibebatur. Haec agebantur ad Rhenum. Caeterùm de re tota, de diei celebritate, de miraculo insigni circa Gocellinum, (pòst* Suibertum *ad memoriam rei gestae nominatum)* Imgardis *feminae illustrissimae filium octennem, in fluvium lapsum, & per horas* 15 *detentum sub aquis, die demum, qui* Canonizationem *modò dictam proximè consequebatur, ad* invocationem *S. Suiberti ad vitam suscitatum, vide S. Ludgerum, virum sanctitate & doctrina celeberrimum, & sub hoc tempus, quo haec agebantur, Episcopum Monasteriensem. Vide pariter Surium ad* 1 *Martii.*

Haec operae pretium erat praefari.

* An Claves quoque, Petre, tuas, an Clavibus Ensem,
Paule, tuum cerno comitem? Vestigia Petri
Et nostras (a) calcantis aquas Britannia vidit:
Visa viis eadem, Mundo licèt avia, digna,
Paule, tuis. At calcandam tibi serior olim
Roma dedit, Petroque aliam. Neque nostra refugit
Hospitia invitus Simon: subselliaque ambit
Proxima. Persa dedit palmam, Britannus arenam,
Certamenque prior. Ducibus num se quoque tantis
Addit Aristobolus socium? Nec arena, Britanno
Nec sub sole color, nec pugnae palma supremae
Defuit. Ausonias scopulis *albentibus* arces
Mutat, & allatam Roma Pugil advena Causam
Sanguine Romano sancit. Quid pluribus utar?
Oceanum, his Ducibus primis, ingressa Fides est,
Et nostris primùm successit finibus hospes.

* *Inter primos apparent Petrus & Paulus, Simon Chananaeus, Aristobolus, (sic enim lego in sacro Textu & reliquis Autoribus, non Aristobulus) & Joseph ab Arimathia.*

Atque haec è Prosa uberiùs.

(a) *Allusum ad illud* Mat. 14. Jube me venire ad te super aquas.

Salve sancta Fides, Cœlo sata, dignaque Cœli
Auspiciis, tantique Parentis origine Virgo:
Terrestres habitare tamen contenta Penates
Diceris: & tractus pariter subitura Britannos,
Tandem, Nympha decora, venis. Horrescere limen
Vel primum certè poteras. Tam squalida portæ
Effigies, tot Seclorum prætenta ruinis
Litora, pendentesque Erebi ad monumenta nefanda
Exangues Animæ poterant dixisse, malorum
Esset quæ facies intus, quàm barbara terram
Incoleret (*a*) Furia, imperium quàm sæva teneret.
Hinc poterat felix Oriens, genialis & Euri
Blanditiæ allexisse pedem. quæ vellera Seres
Mollibus e foliis pectunt, substernere plantis
Gestiret rus omne tuis. quà carperet hospes
Ala viam, comes afflueret Panchaia ventis,
Et socias Arabum spiraret semita sylvas.
Invitasse oculos poterat, quæ nescia brumæ
Algentis gemino properos impunè coercet
Limite Lucis equos, & toto Sole superbit,
Afra dies. Cœli alterius quà panditur orbis
Omniparens, velis tandem non invia nostris
Affectasse tuæ poterat commercia dextræ
Americe; quàque inferres vestigia, glebam
Auriferæ terræ calcari posse doceret,
Nec fastidiri: & Tyberis lustralibus undis
Officiosa sui latices affunderet Hermi.
Ausa tuæ tamen interea contemnere famæ,
Et mundi melioris opes, allaberis oræ
Proscriptæ, nos amplexu, latebrasque recessus
Occidui dignata tuo. Sic nempe benignæ
Exemplo pietatis, amorumque ipse suorum
Officiis Christus præiit tibi: qui sibi (*b*) Sponsam,
Nominis obscuri sobolem, speciosus, & idem
Dives, adoptabat formæque & dotis egenam.
* Filia (*c*) *Cethæi* partus e germine gentem

Digressio ad Fidem Christianam in Britanniam jam primò ingressam.

(a) *Superstitio nempe Ethnica: de qua plurima apud Scriptores. Et tam erant Britones infeliciter ingeniosi, ut suos inde ritus superstitiosos gentes etiam exteræ accersiverint; quos & Portenta diabolica appellat Gildas de Excid. penè numero Ægyptiaca vincentia.*

(b) *Ecclesiam nimirum.*

* *Hinc ad Ecclesiam pariter digressio.*

(c) *E gentibus illa congregata & allusum solùm ad illud* Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Gethæa. *Ezech. 16.*

Duxit

Duxit *Amorrhæo*. Felix Ecclesia! Nomen
Hoc illi thalamus dederat, tedæque recentes.
(*d*) *Vive*, ait ille; homines inter pulcherrimus unus,
Terræ dulcis amor, cœlique æterna voluptas,
Vive, ait: & Matris servat contagia sanguis
Si qua tuus, nostro deinceps in sanguine vives.
Atque hìc munificæ dextræ sponsalia dona
Si contemplari liceat, si gratia vultus
Femineos usquam insignit, compendia formæ
Totius, & quicquid pulchri studiosa Venustas
Partitur reliquis, vultu contemplor in uno,
(*e*) Præ reliquis formosa, tuo. Sic nempe (*f*) *Columbam*
Cùm Sponsus primùm te diceret, ecce Columbæ
Continuò in dulces oculos volitabat imago.
(*g*) *Auroram* dixit; roseoque excita cubili
Mox Aurora tui in vultus Oriente resedit.
Te (*h*) *Solem*, & *Lunam* dixit; Dominæque resignant
Formosæ inde diem Soles, hinc sidera Lunæ.
Te (*i*) *Sponsam*, (& quas non sapuit vox illa favorum
Delicias?) *Sponsam* dixit, *Sponsamque sororem*.
Audit Amor voces blandas, & protinus alam
Explicat. Inde notos tranans frondentis (*k*) *Amani*
Umbrosique jugum *Sanir* petit, arduaque *Hermon*
Culmina: sponsalique parat diadema coronæ,
Qualis Achæmenii fastûs nec sederat unquam
Vertice, nec Tyriæ frontem redimiverat Aulæ.
Inde refert oculos ad (*l*) *Collem thuris*, odoræ
Ad *myrrhæ Montem*; (*m*) Labiisque repentè metuntur,
Sponsa, tuis quæ lautitiæ! Contendit ad (*n*) *Horti
Conclusi* dulces latebras, septique viretum
Versicolor. Patuere fores. O qualibus halat
Lætitiis germen redolens! Tibi, nec mora, (*o*) *Nardus*

(*d*) Vive, dixi, inquam, tibi: in sanguine &c. *ibid. quò & alluditur.*

Dona Sponsi Ecclesiæ collata.

(e) *Pulcherrima inter mulieres, Cant.* 1.

(f) *Una est Columba mea. Cant. 6. Oculi tui Columbarum. Cant.* 1.

(g) *Quasi Aurora consurgens. Cant.* 6.

(h) *Pulchra ut Luna, electa ut Sol. ibid.*

(i) *Soror mea Sponsa. Cant.* 4.

(k) *Sponsa mea, &c. coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. ibid.*

(l) *Vadam ad Montem myrrhæ, & ad Collem thuris. ibid.* (m) *Quid myrrha, &c. cum labiis? vide Cant.* 5. *v.*13. (n) *Hortus conclusus, &c. ibid.* (o) *Emissiones tuæ paradisus, &c. Cypri cum nardo, nardus & crocus, cinnamomum cum universis, &c. ibid.*

Carpi-

Carpitur, irriguique *Croci* fragrantius aurum,
Cinnameique auræ fruticis. Tibi totius Hortus,
Sponsa, *Cypri*, ambrosiæque animæ penetrale recludit
Sponsa soror! Quò tendit Amor? quò præpetis alæ
(p) *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. ibid.*
Sustulit aura fugam? (p) *Libani* fastigia, vertex
Cœlestis Libani petitur, Sponsæque sororis
Defluit in gremium Libanus. Fons inde scatebris
(*Hortorum fontem* dicunt) ingentibus undat,
Agmineque undarum rapido declive fluentum
Æstuat, & pronum præceps agit *impetus* amnem.
Ingentes seu pande sinus, Ecclesia, quales
Sufficiant Fonti immenso, seu temperet æstum
Mollior e Libano torrens, & parcior undæ.
Ecclesiæ domus.
Hinc, pede ut alato properem, si metiar Ædis
Eximiæ, quam Cœli opifex tibi condidit, orbem
Magnificum, tantæ si velocissimus Aulæ
Insignes oculus tenui perstringere visu
Tentet opes, quævis oculum defecerit hora,
(q) *Neque enim habitavi in domo, &c. sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio. Reg. 2. c. 7.*
Quævis hora pedem. (q) Fuit, & meminisse libebit,
Cùm cœlo sub multiplici tentoria Sponsus
Incoleret, solisque ageret sub pellibus ævum,
Diva, tuus, varia figens æstiva sub umbra,
Et vario rerum mutans hyberna sub astro.
Jamque ubi longa vagi complerant tempora soles,
Ventum est ad *Moriam* tandem, hospitioque decoro
Excepere Viatorem Solymëiæ arces.
Ut stabili demum gressu vestigia figat,
(r) *Templum hoc tamen Salomonis figura tantùm domus hujus.*
Invitat domus ampla, (r) domus, qua ditior usquam
Nulla fuit: cumulare suis quam prodiga donis
Natura, & Libanus cedris, & marmore Sidon,
Et lapidum luce omnigena pretiosior Indus,
Et lamnis auri, luxuque rubentis arenæ
Longinquus certabat *Ophir:* qua pulchrior, & cui
Annecti cuperent Artes constantius ævum,
Nulla fuit. Tamen umbra Domûs, suavissima Virgo,
Divinæ Sponsus dextræ cui contulit artem,
Umbra domûs tantùm illa tuæ fuit, &, quia *Petræ*
Pollici-

Pollicitura tuæ famam fundamina deerant,
Umbra fugax. Tectorum apices, acroteriaque astris
Inserta, invidiæque omnis fugientia telum
Suspexere Noti, Nubesque agnovit Olympum
Cassa tuum. Tentans ergo fundamina Ventus
Flexit eò brumæ furias; Et (s) *Petra* reperta est; (s) *Et super hanc petram &c. Matth.16.*
Petra, cui rapido nec turbine concitus æther
Officiat, quam dimoveat statione nec audax
Terrarum tremor, horrisonis nec fluctibus undæ,
Nec, vento quæ sævierint magis, & magis æstûs
Undosi fremitu, rerum seu freta ruinis
Agmina Seclorum, *Portæ* seu robur Avernæ.
Pondus opum, quas fundari molimine tanto
Par erat, in *Petram* pretii qua mole recumbat,
Proclivis conjecturæ est. (t) Quæ Lumina pandunt (t) *Sensus horum mysticus patet.*
Interiorem Ædis faciem! Quàm divite cultu
Purpurei splendent thalami! Quàm septa Coronis
Culmina murorum, niveis quàm fulta Columnis,
Quàm stipata Jugamentis laquearia, pulchris
Quàm prætenta Peristyliis conclavia cerno,
Quàm Projecturas grandes! Ut regula laudat
In longum quod projicitur, libella quod Altum est,
Angulus ut normæ suus annuit! Ergo age, fines,
Sponsa, tene, dixisse tuos licet. Assidet una
Et (u) *Morum Integritas*, & longum nomen Avorum (u) *Ecclesiæ Notæ.*
Quæ referat, *Legum Series*, egressaque metas
Naturæ (Numen præsens testata) *Potestas*:
Æternæque immota domûs *immobile saxum*
Incolet *una*, sibi concors, viridique senectâ
Cana *Fides*, ævique eadem juvenilior annis;
Imperiumque Pater tecum Romanus habebit.
Interea salvete, Domûs pars optima tantæ, *Reditur ad Petrum & Paulum, &c. de quibus suprà.*
Tantæ Aulæ Proceres primi, quos inde Magistros
Et mundo & nobis primos Ecclesia Mater
Eduxit. Tibi quas, o fœcundissima Virgo,
Quas vobis grates meritas Britannia solvet,
Heroum primi flores? Hos inter & (x) illum (x) *Josephum sc. ab Arimathia.*
Cerni-

Cernimus, exequiis Sponsi qui justa peregit,
Nympha, suprema tui: cujus quoque vel modò famam
In memorem quàm fragrat onyx! Te ritè salutat,
E terra longè veniens Arimathide Joseph,
Agnoscitque sodalitii *regalis* honorem
Anglia. Nec rediturus adis ignota Viator
Litora, spem Fidei in primam, messisque futuræ
Et sobolis feræ (y) accrescens in gaudia Joseph,
Grata Palæstinos cineres Glastonia servat.

(y) *Nominis interpretatio est* Augmentum. *Inde* Filius accrescens Joseph. *Gen.* 49.

De triplici Angliæ conversione ad Fidem Christianam & Apostolicam meminere passim Scriptores. Itaque hos meritò primùm inducimus, viz. Petrum, Paulum, & Simonem Chananæum, cognomento Zelotem, Apostolos: Apostolicos viros Aristobolum, & Josephum ab Arimathia, quibus acceptam refert Anglia Conversionem sui primam.

De Petro hæc paucis, quem Eusebius in Chron. an. Christi 44, e Græco translatus a D. Hieronymo, Christianorum appellat Pontificem primum. *Hunc Apostolum transmisisse in Britanniam, Evangelium ibi disseminasse, fundasse Ecclesias, instituisse Diaconos & Presbyteros ex Annalibus Græcis refert Simeon Metaphrastes Græcus apud Surium die 23 Junii, pag. 862. Testatur idem Gulielmus Eysengrenius Centur. 1, part. 7, Dist.* 8: *idque accidisse sub Nerone Imperatore. quò allusisse censetur Gildas. p. 2 Ep. de Excid. Britan. cùm excidii illius causam inter alia referret ad Britannicorum sacerdotum sui temporis impietatem,* quòd Sedem Petri Apostoli inverecundis pedibus contaminassent. *Alredus Rievallus insuper, Cisterciensis Ordinis Abbas, ut habetur in Surio 5 Jan. p. 131, annis ab hinc circiter 550 mentionem amplam facit de* Revelatione, *seu* Apparitione *quadam D. Petri viro cuidam inprimis sancto Edwardi Confessoris ætate facta: qua nimirum declaravit Apostolus seipsum* in Anglia prædicasse, ac proinde quantæ sibi esset curæ Ecclesia, & Gens Anglicana. *Hic proinde*

inde inseri præterea poterit, quod habetur in Epistola quadam Nicolai Papæ. Manifestum est, inquit, Anglicanos Reges ob reverentiam & cultum D. Petro exhibitum floruisse gloria & honore, ejusque patrocinio insignes triumphos obtinuisse. Cætera omitto brevitatis causa, quæ dicenda cæteroqui essent. Dicendum fortè esset inter cætera, non deesse Autores, qui dicant Revelationem illam, de qua Petrus Ep.2, c.1,(Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, *&c.*) *factam eidem in Britannia fuisse.*

De Paulo Theodoretus in Epist. ad Timoth. Excurrisse eum asserit in Hispanias, & Insulas, quæ in mari jacent. Et alio loco, quemadmodum citant eundem Magdeburgenses, luculentè affirmat Britannis Evangelium annuntiasse. Similia reperies in Sophronio Episcopo Hierosolymitano, Serm. in Natal. Apost. His accedat Venantius Fortunatus, Sanctissimus atque eruditissimus vir, qui annis abhinc 1000, *& ampliùs de Pauli scribens peregrinationibus, sic ait.* Transit & Oceanum, *&c.* Quasque Britannus habet terras, *&c. Eundem in modum Arnoldus Mirmannus in Theatro suo; aitque in Britanniam transiisse Neronis anno* 4, *atque* ibidem prædicasse.

Eadem de Simone Chananæo. Et Testimonium affertur Nicephori, lib. 2 *Hist. cap.* 40 *è Græcorum monumentis. Idem scribit Dorotheus in Synopsi, Scriptor antiquissimus: quemadmodum & asseritur in Menologio Græco, sicut testatur Baronius in Annotationibus ad Martyrologium Romanum ad diem Octob.* 28. *Pòst in Persiam profectus Martyrio ibidem conclusit labores Apostolicos.*

De Aristobolo, qui Petri Discipulus fuit, & de quo Paulus Ep. ad Rom. testantur eadem Mirmannus in Theatro de Convers. Gent. p. 43, *Dorotheus in Synopsi, Baronius e Menologio Græco ad diem Martii* 15. *Fuit hic Aristobolus illustri loco natus, missus in Britanniam a D. Petro, ibidem Episcopus creatus, quemadmodum accipimus a dictis Scriptoribus. Postquam ad veri Dei cultum multos adduxisset, gloriosam ibidem Martyrio mortem obiit, anno Domini circiter* 98.

De Joſephi Arimathienſis cum Sociis decem in Britanniam advenu, & modo vivendi ſolitario in Inſula Avallonia Somerſetana Antiquitatis omnis illuſtre teſtimonium accipimus, ut ex Joanne Capgravio liquet in SS. Brit. Catal. & aliis. Vide Harpesfeldium in Sec. 1, cap. 2: Camdenum pariter in Deſcriptione Prov. Belg. Brit. item Uſſerum Armachanum de Primord. Eccleſ. Britan. Certè Rex Inas annis abhinc ampliùs 900 cùm Monaſterii celeberrimi Glaſtonienſis fundamenta jeciſſet, in Joſephi hujus & Sociorum memoriam, qui eo in loco cœleſtis vitæ rationem exemplo ſuo Brittannos docebant, ſcribendos hos verſus in Æde ſacra curavit:

Anglia, plaude libens; mittit tibi Roma ſalutem.
Fulgor Apoſtolicus Glaſtoniam irradiat.

Joſepho ſucceſſit in præfectura loci illius S. Phaganus. Interim Broughtonus Eccleſ. Hiſt. p. 330 hac de re diſſerens affirmat Glaſtonienſe Cœnobium, Ordinemque Apoſtolicum ab Arimathienſi inſtitutum, fuiſſe omnium in toto orbe antiquiſſimum. Britannica inde recens Eccleſia legationem Romam inſtituit ad S. Clementem, ut ſe doceret ordinem & ritus celebrandi Officium Divinum. *Et Baron. ad an. D. 102 traditionem eſſe antiquam aſſerit eundem Clementem ſcripto mandaſſe Ritum Sacrificii a D. Petro inſtitutum: qui pòſt in uſum venit per totam Eccleſiam Occidentalem. Longè ante Baronium idem affirmat Iſidorus lib. 2 de Offic.*

Gildas de Excidio affirmat Chriſtianam Fidem in Britannia integram manſiſſe uſque ad Perſecutionem Diocletiani: quo tempore Britannia in ſcenam ſanguinis verſa eſt. Hic paſſi ſunt SS. Albanus, Amphibalus, Julius, Aaron, &c. Quod Gildæ dictum opportunum erat, inquit Uſſerus de Primord. fol. 52, ne quis putaret Chriſtianam Fidem, in Britanniam per Apoſtolos, eorumque Diſcipulos inductam, ante Lucii converſionem fuiſſe extinctam. Imò idem Gildas de Excid. decennio poſt illam perſecutionem refert Templa denuò excitata fuiſſe in honorem Martyrum, &c.

Hinc gradum facimus ad inſtitutam Regum ſeriem.

Nunc

Nunc age, Progeniem tantam, quam deinde ſecutam
Oſtendunt coràm, tantaque e ſtirpe Parentes
Contemplare tuos præſens. Spectemus in illis
Et quod es, & quem te faciunt mea *Vota* futurum.
Canitiem æquævo preſſam Diademate cerno:
Limineque in primo veneratur Carolus ævi
Auſpicium, imperiique ſui. Se, lux ſua, prodit
Lucius. (*a*) Occidui ſolis (pulcherrimus orbi
Sol oriens) radii meliore propagine partes
Expleturus, eburque Fidem qui primus ad aureum
Admovit, didicitque Pedo fulcire Tiaram,
Primus adeſt, primam auguſtâ cui Roma Quirini,
Præſule Eleutherio, tranſmiſit ab arce ſalutem,
Lucius, Heroo Regum de ſanguine, ſanguis
Chriſtiadûm primus. + Britannia roris egebat
Ætherei, frugeſque herbis arentibus ægræ
Languebant. Succurrit Agro Damianus, & undis,
Tybri, tuis ſteriles luſtrat Fugatius oras.
At Te multiplices, Luci, (pietatis opimæ
Primitiæ, ſtabileſque habituræ, te Duce, Divos)
Fundatorem Aræ celebrant; Meminere (recentis
Ex ævi tabulis famam eraſiſſe vetuſtas
Auſa quidem eſt) meminere tamen, Patremque ſalutant
Bangorides Muſæ. Titulis & abeſſe recuſat
Altera fama tuis. illis accedere geſtit,
Hoſpita terra tibi, Germania, & aggerit Alpes
Rhetia tota ſuas. Auguſtum (*b*) Curia funus
Supponit terræ, & memori ſub marmore condit.
Et modò ſcitari libeat, quo Lucius (*c*) aſtro
Ductus, humo nota procul, & natalibus arvis,
Diſſona quæſierit regna, inſolitoque calentes
Sole plagas. Aſtrum certè non illud ab Euri
Cardine vidit (*d*) Arabs *Oriens*, ſed Veſpera ſeræ
Pronior ad vitæ *Occaſum*. Quo robore freta
Inclinata ætas ſenio, atque effœta laborum
Tam crudum tentavit iter, terræque, mariſque,
Quaſque æſtus, rigidæque ſolent opponere brumæ,

Lucius.

Rex Chriſtianus primus.

Poſt varia in Britannia geſta Fidei cauſâ proficiſcitur tandem in Germaniam ad gentem pariter illam Fide imbuendam. Curiæ demum apud Rhetos moritur.

(a) *Nam Anglia vergit ad Occidentem.*

(b) *Oppidum apud Rhetos.*

(c) *Alluſum ad illud*, vidimus ſtellam ejus in Oriente, *de Magis Chaldæis Matth. 2.*

(d) *Hoc etiam intelligitur per alluſionem ſolùm ad Orientem Arabicum modò dictum.*

Eluctata moras? Lucri quo fenore tanto
Regia spes allecta sinus irrumpere suasit
Alpinos, Hyemisque jugis abducere prædas?
Suffecisse illi poterat Britannia, (*e*) Cæsar
Quam nisu tanto petiit: cui cætera tellus
Viluerat, nisi Romano Britannia mundo,
Et mundus Romæ titulis accesserat alter.
O amor, o fortis pietas, o pectoris ardor,
Ille tibi modicus, Luci, nisi limitis expers
Natalem sphæram transcenderet! An quoque, cœli
E solio Regem æternum ad commercia terræ
Pauperis, ad Bethles stipulas, humilemque tabernam
Descendisse quid impulerit, scitarier ausim?
Marmoreo cineres gremio sua Rhetia servat.
(f) Christiadûm Rex hic primus jacet. Intulit oris
Primus & ille Fidem nostris, quam sanguine sanxit.
(*g*) Civem Templa suum celebrent Solymeia: coronet
Et lauros Pugil ipse suas. Ex ordine Regum
Purpureo *laurus* primum huic diadema *Coronæ* est.
(*h*) Præmia nec στεφάνῳ deerant Alpina Britanno.
Te Rhetus sepelit. Nobis sine marmore vivis.
Quod moritur, tumuli memoris desiderat ævum.
Hæredes luci occiduæ dixere tenebras
Cimmerii. Tenebras, Luci formose, tabellis
Exime. (*i*) Jus Regno Lucis scripsisse Sacerdos
Ausonius fertur. Tenebras, si paret, abegit
(Vel (*k*) *minima* nec erit *contentus nocte*) *Britannus.*

Angliæ conversio secunda sub Lucio Monarcha. Coelli Britanniæ Regis filius erat. Britanni Lucium appellarunt Lever Maur, *id est,* Splendorem ingentem. *Vide Westmon. ad an. D.* 115. *A Patre relictus Imperii hæres est, decennis tantùm cùm esset: & regnum tenuit ultra sexaginta annos. At Conversio illa modò dicta contigit sub annum Christi* 183, *ut opinatur Baronius. Nec multùm dissensere Pamelius, Nauclerus, Genebrardus, & alii Chronographi. Movebatur primò, ut fertur, ad Fidem*

Christi-

(e) *Opibus regionis ductus, ut est apud Suetonium in Cæs. c.* 47.
(f) *Christianus Rex primus, Apostolus, & Martyr.*
(g) *Stephanus Martyrum primus. E Regibus Martyrum primus Rex Lucius.*
(h) *Lapidatus an & ipse?*
(i) *Hæc e Prosa circa Epistolam Eleutherii ad Lucium describentis Jus regni: cui si paretur, abigentur e Regno tenebræ.*
(k) *E Juvenale.*

Christianam admittendam Literarum illarum increbrescente jam fama, quas Marcus Aurelius Antoninus scripsit ad Senatum circa victoriam a Quadis in Germania reportatam precibus Christianorum, qui in ejus exercitu militabant, Literarum, inquam, verè admirabilium, & quæ referuntur a Xiphilino. Id factum tamen, hortante maximè S. Marcello Britone, ut scilicet cum Eleutherio Pontifice Romano de sui conversione Lucius ageret: deinde Eleutherii ejusdem operâ, qui Fugatium & Damianum in Insulam continuò misit ad rem illam capessendam; quorum industriâ effectum pariter fuit, ut cum ipso Rege Regni pars maxima ad Christianorum cœtum se aggregaret. Coronam deinde Lucio misit Eleutherius a se consecratam. De hoc vide Gulielmum Lambardum inter Edwardi Regis Leges: qui, cùm Leges Angliæ antiquas scrutaretur, fassus ingenuè est a se hoc repertum. Addit insuper non solùm Coronam modò dictam ab Eleutherio missam Lucio fuisse, verùm etiam Jus regium, & Munus præscriptum. Verba tamen affero ex Hovedeno, qui quadringentis fermè annis Lambardo antiquior fuit. Hujusmodi sunt. Rex autem ad hoc est constitutus, ut Regnum terrenum regat, populumque Dei, & super omnia sanctam Ecclesiam revereatur, & ab injuriatoribus defendat, & maleficos ab ea evellat, & destruat, & penitus disperdat. *Inde Gymnasia pietatis & doctrinæ, unde prodirent, a quibus populus erudiretur, instituit Rex piissimus. Inter cætera celeberrimum erat Monasterium, & Academia Bangorensis in Cambro-Britanniæ parte septentrionali sita. Hìc, quemadmodum refert Beda, sub Augustini adventum in Angliam, bis mille & ampliùs Monachi reperti sunt. Cœnobia varia fundavit, & Templa pulcherrimi operis; Inter cætera Westmonasterium. De hoc vide Joannem Fletum apud Usserum de Primord. fol. 129. Atque idem Templum ait Joan. Fletus, Sulcardum autorem sequens, a tempore ejusdem Lucii, sepulturæ designatum fuisse Regum Britannicorum. At Diocletiano omnia subruente,* con-

conversum pòst fuit in Templum Apollinis, ut est apud Usserum de Primord. fol. 985. *Extruxit item Eboracense. De hoc vide Phil. Berton. De hac Sede apud eundem Usserum de Primord. fol.* 97.

Cùm Regnum Lucius ex Instituto Eleutherii modò dicto administrasset summa cum vitæ integritate, finibus patriis non contentus ad partes orbis remotiores Fide pariter, quam ipse susceperat, excolendas adjecit animum. Transmisso proinde mari, Boloniam, in Morinorum tractu sitam, primò appulit; ubi munus Apostolicum auspicatus est, quemadmodum refert Malbrancus de Morinis; *ad Nerviorum inde regionem progressus, & plagam Trevirensem. Hinc Augustam Vindelicorum perrexit, fidem Apostolicam ubique disseminans, Augustâ Reginoburgum. Ex Andrea Presbytero, & Radero* in sua Bavaria sancta *colligimus pariter ab Apostolo regio partes illas, quæ circa Bavariam sunt,* prædicatione *ejusdem & miraculis ad Christum aggregatas esse cum tota deinde Rhetorum gente ad Alpes sita. Atque hæc postrema contigere an. D. circiter* 190. *ita commemorat Alstedius in Chronol. c.* 27. *licèt paulò aliter alii.*

Haud ita multò pòst, quàm in Rhetiam pervenerat, non longè ab urbe Curia, & arce Guttenbergensi domicilium elegit in cavea prope petram quandam præruptam, quæ S. Lucii Petra *hodieque nominatur; unde & populum docere ipse solitus. Ad locum, ubi Sacellum extruxit, ædificatum pòst ad retinendam Viri sanctissimi memoriam Monasterium Norbertinorum, ab eodem* Lucio *dictum. Ita Raderus, & Aubertus Miræus.*

Mortuus an. D. 201. *Ita Florilegus. Annus idem ætatis ejus erat* 88 *circiter. His consentit Usserus* in Primord. *Vide quoque, si lubet, Annales Eccles. Sarum, Tabulas Londinenses, Rogerium Wendoverum, Matthæos Paris & Westmon. ac demum Historiam Roffensem.*

Quo genere mortis occubuerit, recenset Tscudus de prisca Rhetia. Prope Curiam, *inquit,* interfectus est ab infidelibus indigenis ad Arcem, *Martiolam* dictam.

Si

Si quæ leguntur de Lucio in Martyrol. Ang. inspexeris, lapidatum censebis. Neque enim illa de Lucio alio intelligi sanè poterunt.

Quæ modò commemorata sunt de Lucio Britannorum Rege circa Rhetiam, &c. si quis in dubium vocet, noverit ille a Monumentis vetustissimis, & Scriptoribus Ecclesiarum illarum Hunc solum agnosci Apostolum suum primum. *Inter Scriptores illos Raderus* in sua Bavaria sancta *eruditus imprimis, & Monumentorum Inspector accuratissimus, enucleatè admodum affirmat, fidem hanc exploratissimam esse, testimoniis nixam Autorum exceptione omni majorum, a Lucio Britannorum Rege Gentes illas ad Christum fuisse conversas. Asseritur idem fidentissimè ab Ægidio Tscudo* in sua prisca Rhetia: *item ab Andrea Presbytero, Petro Mersæo, Hertmanno Schedelio, Stumfio, Auberto Miræo, Nauclero, Notkero Balbulo in suo Martyrologio, & Baronio. His accedat autoritas Ecclesiæ Curiensis, in cujus Officio Ecclesiastico Lucius Rex commemoratur* Doctor primus & Apostolus *Gentis illius. Ibidem sepultus. Martyrologii Romani testimonium postremum est, quod refero, ab autoritate primum. Decemb.* 3 *sic habetur ibidem.* Curiæ in Germania Commemoratio S. Lucii Britannorum Regis, qui primus Regum in Insula illa fuit, qui fidem Christi suscepit tempore Eleutherii Papæ.

Cæterùm, ut ad Britanniam nostram revertar, Britanniæ dicta Conversio *tam in Dei Ecclesia celebris fuit, ut Origenes ipse, qui non ita multò post hæc tempora floruit, in Commentariis suis in Ezech. ita scripserit de Ecclesia Britannica.* Terra modò universa cum gaudio Deum glorificat ob Ecclesias ibidem erectas in finibus mundi extremis: ita ut in limitibus suis omnibus ad felicitatem cœlestem aspiret. *Vide eundem in Homilia 6 in Lucam.*

Quemadmodum rei hujus Fama spargebatur in partes orbis remotas, ita Exemplum quoque apud finitimas plurimùm valuit. Nam apud partes illas Britanniæ septentrionales,

trionales; quæ à partibus cæteris Hadriani Imperatoris Muro *dividebantur*, *& Romanis nunquam non erant infestæ, Christiana fides; a Lucii obitu annis non amplius duobus, ubique publicè celebrabatur. De qua re Tertullianus etiam ipse, qui sub tempus idem vixit, scripsit in hunc modum Cont. Judæos c.7.* Britanniæ Provinciæ illæ, ad quas Imperium, roburque Romanum aspirare nequiit, sub Christi tamen jugum missæ sunt.

Atque hic advertat Lector in Annotationibus, quæ subjiciuntur, Locorum nomina recentia plerunque usurpari potiùs, quàm prisca; quæ licet eruditiora videantur, ævo tamen nostro minùs sunt nota.

Clintankus.

Inter venandum occiditur in odium Fidei.

Purpura, nec simplex, subit altera. Muricis illam
Imbuit, accenditque minùs, quàm Sanguinis ostrum.
Respice. Pulchra Viri species, & vividus ardor
Alliciunt oculos; signatque in Britone laudem
Præcipuam egregio rutilans in vertice Sidus.
Clintankum nobis Silurum de finibus offert
Cambria. Justitiæne priùs, Pacisque tuendæ
Arma inter studium mirer, niveine Pudoris
Compositum inter opes florem cum flore Juventæ?
Quem Fidei tenerum lactaverat uber, adulto
(a) Oppositam Fidei reddit cum sanguine vitam.
Otia nonnunquam curis intexere nulli
Non licuit, metamque, arcu quandoque remisso,
Exemisse metu nervi. Neque desidis oti
Intervalla tamen, somno confinia, laudem.
Inferri sylvis curas, quas condiat æquus
Venandi sudor, rurisque operosa voluptas,
Et verò quam non Aulam juvet? Elicit urbem
In campos æther sanus, genialibus umbris
Scena virens, & festivæ symphonia pugnæ,
Circenses nemorum ludi. Clintankus arenam
Indicit sylvis. Et jam modò tessera quartùm
Insonuit. Fugere feræ. Subsessor *Aello*
Insidiis circùm vigil excubat: excutit hostem

(a) *Id est, oppignoratam, absque adjecto verbo* pignori, *ut e Plauto. Fateor hujusmodi inepta mihi videri. At Scriptorem debitorem aiunt & sapientibus & insipientibus.*

Pam-

Pamphagus, & pernix vestigia stringit *Hylactor.*
Perfidiam nemus heu celat quoque. Naris at illam
Explorare sagax quæ sufficit? Occidit armis
Hos non quæsitis Silurum Regnator in usus.
Venatu saltus dum cingeret, excipit Apro
Incautum Fera deterior, venerandaque ferro
Pectora transfadigit nutritus Tygride prædo.
Addictus (*b*) *Piscatori* Venator ad aras,
Quas coluit, stetit. At cultri, quos Hostia sensit,
Abscessere; manent (*c*) flores, quos Hostia gessit.

(b) *Erat enim D. Petri instituto addictissimus.*

(c) *Virtutum sc. insignia. Et allusum ad Veterum morem, quo Hostiæ immolandæ sertis & floribus redimiebantur.*

S. Clintankus, Brecknockiensis Provinciæ in Cambro-Britannia Rex. Piissimus Princeps. Tria præcipuè in eo notat Capgravius: Justitiam, Pacis studium, & Castimoniam singularem. Cùm venatu se exerceret, a nefario milite in odium Fidei Christianæ trucidatus est an. D. circiter 490. Prope locum ubi passus est, in regione Cambriæ Australi, Templum ædificatum in honorem ejus. Capgravius in Catal. SS. Angliæ, & alii.

Gundeleyus.

Gundeleye, tui memini. Sub nube latebas.
Virtutem nulla condunt sub nube latebræ.
Et video, & dudum vidi, subsellia cingat
Regia quàm variis (*a*) Exercitus aliger armis,
Quàm vultu flagrans, tam spirans oris amorem,
Mirarique satis nequeo. Seu non nihil auræ
Divinæ, delibatam seu Mentis ab aura
Æternæ speciem intueor. (*b*) Cum pulvere nostro
Illis est commune nihil; fastidia cœlo
Inde tamen tam non illis affinis origo
Nulla movet. Limen vitæ vix trajicit Infans,
Et flentes cunæ signum natale dedere,
Excubias habiles monitus cùm protinus Æther
Evocat. Æthereus legatur Præses ab astris,
Præsidio non ex alio custodia, quàm cui

Relinquit aulam, & Angeli sui monitu casam sibi extruit in Eremo: ubi asperrimam vitam ducit regius Eremita.

(a) *De Angelis his in hoc consessu regio dictum suprà. Et transitionis hujus causa patet.* (b) *Hic obiter de Angelis tutelaribus cujusque.*

(c) *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Psal. 90.*

(d) *Quoniam. Angelis suis mandavit de te, &c. ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ibidem.*

(e) *Et conculcabis Leonem, & Draconem, &c. ibidem.*

Militiæ ſtatio ætheriæ prætoria cedit, (Æther.
Quodque oculis (ſpeciem o pulchram!) modò ſubjicit
Hi Curæ aſſiſtunt vigiles, teneroque ſopori
Supponunt alam. (*c*) Torto vis ſi qua *flagello*
Inſonet, & trepidis inſtare cubilibus auſit,
Non oblita clientelæ manus amovet ictum
Verberis adverſi; (*d*) reliquæque in tramite vitæ,
Scrupea tot ſalebrarum inter diſcrimina, cæcum
Ne pes ad lapidem offendat, ſubducere norunt
Præcipitem greſſum a lapſu, & removere quod obſtet.
(*e*) Rugiat, inſultetque, fremenſque immanè ferarum
Tænarius *Leo* magnificè dominetur in aula.
Horum ille imperiis ſubſternitur, & juba ponit
Sublimes animos. *Draco* ſæviat, & trahat orbes
Immenſos; iræ alatæ nitantur in oras
Aſtrorum, linguiſque minacibus inde coruſcent.
At Serpens eſt; &, culpis fidentior alæ
Ni venit a noſtris audacia, ſerpere novit.

(f) *Reditur ad Angelum Gundeleyi.*

Ecce (*f*) autem interea qui ſedibus imminet Ales,
Gundeleye, tuis, laterique aſſiſtere geſtit,
Quàm præſtans formæ! vitæ ſpirabilis ardor
Quàm roſeo in vultu eſt! Hunc illum cernimus, illum,
Carole, qui ſolium liquit cœleſte, choroſque
Sidereos, ut Pupilli regalis alumnas
Tutelas ageret. Nutricis ab ubere fruſtra
Lactens Cura pependiſſet, niſi Præſidis hujus
Et tutelares pariter libaſſet amores.
Sepſiſſet fruſtra denſo latus agmine miles,
Hic armis niſi ſubſidio auxiliaribus iſſet.
Hoc Duce formoſas fraudes eluſit, & Aulæ
Mobilis inſidias, e Regibus incola primus
Sylvarum: & Regem meritò quem ſylva ſalutet,
Regna ubi non diviſa tenet cum Rege ſatelles.
Hìc aulam inde novam modico ſub limite ſignat

(g) *Refertur ad Gundeleyi cilicium.*

Cœleſtis ductor: tenuique decempeda ſulco
Menſa caſam eſt, Gundeleyi, cœlique capacem.
At mala Pauperies, & (g) ſetis hiſpida veſtis

An

An Cœlo geminum quid habet? Baptista Camelo
Horruit. (*h*) At cœli, Bombycibus invia, porta,
Angustæque fores, Scythica lanugine mollem
(*i*) Mustelam quæ rejiciunt, patuere Camelo.
Peccavit terra: & tribulos parit. Indue vepres
Terra tuos. Pectunt Culpæ malè vellera Seres.
Regalem Trabeam mutans hoc tegmine Camber
Regna casæ, tesquis urbem, lucemque tenebris
Posthabuit. Saxo acclinem casa sæpe quietem,
Ignotam plumæ, vili sub culmine præbet;
Nec mirere, suas si jactent arbuta ficus,
Pendeat & quandoque rubens e sentibus uva.
At modò Sidonias & opes, & vellus Eoum
Hirsuta illa, pilis chlamys illa rigentibus horrens,
Aspice, quàm superet. Dumetis eruta lana
Arte trahit solio dignum e sandyce ruborem.
Rupibus e sentis Aulæ qui migret in aurem,
Ars lapidem polit: Ars humiles e (*k*) vulpe Gelonâ
Lascivire docet, tumidéque incedere Brumas.
Ars sua virtutem nec deficit. hispida Virtus
Et lapidum somnis mollem substernit olorem,
Paupertati intexit opes, requiemque labori,
Et risum lachrymis. Dumo quàm cannabis exit
Aurea, Gundeleye, tuo, quàm byssina seta!

(*h*) Qui mollibus nimirum vestiuntur, in domibus Regum sunt. *Matth.* 11. *At his non facilè patet cœlum. Asperiùs vestitis patet.*

(i) *Ex qua pelles, quas appellamus* Sables.

(*k*) *Et hanc, præsertim obscuriorem, non respuunt pelliones.*

S. Gundeleyus, aliàs Gunlæus, Walliæ septentrionalis Rex. Imperio se abdicavit. Angeli sui monitu casam sibi extruxit, in qua cilicio indutus vitam exegit austeritate, & abstinentia admirabili. Ad ejus sepulchrum Angeli sæpe visi, infirmi sanati. Mort. an. Dom. circiter 510. *Broughton Hist. Eccles. sec.* 4. *Capgrav. in vita S. Cadoci.*

Proximus, & prisci Britonum quoque sanguinis idem, *Theodoricus.*
Occurrit Theodoricus. Quàm Pacis & hujus
Ora decet Belli vultus! Moderamine gessit
Imperium, quo non alius præstantior: armis

Abdicans se imperio

secedit. Pòst evocatus ad bellum adversus Fidei hostes, obtentâ victoriâ, è vulnere moritur.

Et pius, & pietate potens. Pertæsus habenæ,
Imperiique satur nemorum petit otia, solus
Aula sibi, regnumque futurus, & incola cœli
Ante diem. Voto illa tamen ne sera veniret,
Occurrit morti, reperitque in vulnere votum.
Invitum è sylvis, & dulci Pacis asylo
Evocat in campum Belli tuba. Cambria cernit
Arma, virumque alium. Cingit victoria duplex
(Bellantem, & proprio spargentem sanguine bellum)
Martyrem, eremitamque Ducem. Matherna sepulchro
Infert, & signat lapidem venerabile nomen.
Dena sacræ mortis florem non abstulit ætas.

S. Theodoricus, Tewdrick apud Britones appellatus, Glamorganiæ Rex. Mauricko deinde filio relicta Regni administratione, ad vitam ipse eremiticam se transtulit. Pòst, cùm Provinciam Saxones invaderent, coactus a suis bellum adversus hostem suscepit, & profligavit. Atqui in prælio saucius brevì pòst occubuit Mathernæ; quo deinde in loco in honorem Patris Templum extruxit Maurickus filius. Corpus Martyris ibi repositum loco nomen dedit, quem posteri inde appellavere Merthir-Teudric, *id est,* Locum Martyris Theodorici, *contractiùs modò* Merthirn, *seu* Mathern. *Sacrum deinde corpus post annos mille una cum indicio plagæ in prælio acceptæ integrum atque incorruptum inventum est ab Episcopo Landanensi. Mort. an. D. circiter 540. Godwin. in Comment. Præsul. Ang. in Ep. Landan. Monument. antiq. Provinc. Glamorg. M. S.*

(nassem

Constantinus Pœnitens.

Regno relicto fit primò Molitor, deinde Monachus, &c. pòst Martyr.

Ecce Animam! Et quas non labes dolor? Una Ma-
Expiat, Augiæ concretas lachryma sordes
Eluit Una. Potens pietas, quæ gausape mutat
Purpureos fastus: & pulsans æthera nomen,
Nubivagosque animos ad vernæ flagra subegit,
Infamesque Molæ titulos. Mola volvitur unda,
Seu vento. Mundus ventis agitatur & undis.
Ventoso, undosoque procul Mola murmure versat

Se cum

Se tua, Constantine. *Molam* meruisse fateris,
Atque (*a*) *Asinum* meruisse, *Maris* meruisse *profundum*,
Solus ubi gentis mutæ te spargere posset
In famam rumor. Lachrymis quæ fluctuat unda,
Unda Molæ favet illa tuæ, quam plurima famæ
Aura ciet modò, facturam tibi nomen & ævum.
Donato rude (*b*) tonsa coma est: Monachalis & umbrat
Pileus attonsam. Tum Libertatis ad aram
Assistit, donumque facit pacale Sacerdos.
Sacra Caledoniis munus se destinat oris
Victima supremum. Britonum (*c*) *Leo* rugiit. Agnum
Inde sonat. Sævum pepulit Mola cruda Leonem.
Agnum substituit Molitor: Martyrque coronat.
Viventi Metanœa comes fuit. Illius olim
In lacrymis se tingebant quæ Gaudia cerno.
Campum ostendebant culpæ, quem luctus arabat.
(*d*) Læva serebat agro frugem, quam dextra metebat.

S. Constantinus, Cadoris Cornubiæ Ducis filius, & Arthuri Magni consanguineus, cui & successit in imperio.

Pauca obiter de hoc Arthuro: Erat princeps inter primos egregius, & Beatissimæ Virgini addictissimus: cujus etiam Imaginem in Scuto (Pridwen *illi nomen*) *Pictam gerebat. Vide Florileg. An. D.* 524. *Similia habes in Huntindonio, lib.* 2. *Præsidio ejusdem Virginis tribuebatur insignis illa victoria ad Montem Badonicum. Vide Malmesburium de Reg. lib.* 1. *Montem illum* (Bannesdown, *ut verosimile est, modò dictum*) *Camdenus in Com. Somerset. locat in finibus Urbis Bathoniensis, quam à Thermis celeberrimam Ptolomæus appellat* ὕδατα θερμά, *Antoninus* Aquas Solis, *Stephanus* Badizam, *Britones antiqui* Caer-Badon, *nostrates* Bathoniam. *Illustria admodum sunt, quæ de Arthuro referuntur.*

At successorem ejus Constantinum Gildas de Excid. ob immania facinora, vocabulo fortè nimis aspero, Leonum Danmoniensium, *seu* Cornubiensium, Catulum Tyran-

(a) *Lapidem infimum* (*aliqui supremum volunt*) *in mola, Græcè* ὄνον. *Hinc Martialis,* Et non pistrino traditur, atque asino. *De hac* Mola asinaria, & profundo Maris, *Matth.* 18. *quò hic alluditur.*

(b) *Cùm sc. Monachus post fieret. alluditurque ad morem veterem Libertinorum circa comam tonsam, & pileum.*

(c) *Ob tyrannidem* Leo *vocabatur à* Gilda *historico.*

(d) *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Psal.* 125.

Tyrannicum *appellare ausus est. At factorum, si qua tam atrocia fuere, certè Regem pœnituit. Non ita multò post uxore & liberis privatus regno se clam subduxit, & transmisit in Hiberniam; ubi ob Christi amorem molendino, vilis instar mancipii, operam dedit. Inde monasticam disciplinam amplexus cæteris virtutum omni genere præluxit. In Scotiam demum Moderatoris jussu ad Gentem illam Fide imbuendam profectus Martyrio coronavit extremos labores. Ætatum consequentium Episcopi autores fuere, ut Templa sanctissimo viro dicarentur. Vide Boet. Hist. lib. 9. item Capgravium in vita S. Davidis. Consule pariter Joan. Fordonum apud Usserum Armach. fol. 695, ubi multa enucleatiora redduntur. Horum nonnulla contigere circa an. D. 565. & seq.*

Daria.

S. Ursulæ mater Ursulidum suarum ducis.

(a) Legionem bellatricem Ursulides appellant Annales aliqui.

(b) Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Marc. 5. de Dæmonio.

(c) Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Cant. 7.

Hinc libet & Matrem, & Natam, Ursulidumque tueri
Circumfusam aciem. Non Ursula sola Dariam
Agnovit: sociæ pariter coluere parentem
Ursulides. Matris tantæ quo nomine gentem,
Quo titulo insignire velim? (*a*) *Legio'ne* vocari
Abnuet? Incestasse ferunt hoc (*b*) Tartara nomen.
Castrorumne (c) *chorus*, Pacis qui concinat armis,
Esse ait, an *Castrorum acies*, quam bellica Virtus
Ordinet in pugnæ faciem? (*d*) At flexisse juvabit
Fortè oculos, mentemque alió. Subit altera mentem
Bellatrix acies, & in una Virgine Campus
Integer: illa, Sionei cui Præsidis olim
E meliore jugo sacræ plausere Camœnæ,
(*e*) *Castrorum* felix *acies*. Hanc Unica famam
Præripuit, Titulique hæres dignissima Virgo.
Illa, Tenebrarum turmis cùm cingeret orbem
Nox rerum domina, & cæcum Chaos *indigestam*
Cimmeria latè premeret formidine *molem*,

(d) *Digressio de B. Virgine Maria.* (e) *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. *Et referuntur hæc, & sequentia infrà ad Beatissimam Virginem per applicationem. Et digressionis hujus occasionem habes in prosa.*

Na-

Naturæ obsessæ castris *(f)* procedere Soles
Armatos jaculis radiorum, erumpere jussit
Hostiles domituram Umbras, prætoria Lucis
Agmina, sideream pubem. Funestior hostis
Cùm (*g*) Sobolis matutinæ perruperat arcem,
Abductâ prædâ currum meditatus eburnum,
Affuit illa: referre pedem, parmâque relictâ
(*h*) Turpe solum infames furias mordere coegit.
Et (*i*) Monstrum licèt illud ineluctabile, stirpis
Antiquæ, nomenque vel ipsa ab *Origine* ducens,
Auxilio subiturum, audax succedere pugnæ
Tentarit, Divamque jugo devoverit ipsam,
Multà fremens, magnaque ferens se mole timorum:
Et Mortis licèt æternæ auxiliaribus armis
Instrueret bellum, signisque intexta Parentum
Fœdifragam pugnæ præferret Tessera Noxam:
Et mundi licèt exuvias prætenderet *Arbos*
Illa, tropæorum, fatique *Feretria* nostri:
Et campi, quem collegit, licèt iret opimis
Inde tumens spoliis, & Seclis obvia seris
Arrectis capita Ætatum præfigeret hastis:
Prodiit illa tamen, campique in limine primo
Conseruisse manum fertur, Pugilisque superbum
Contrivisse caput. Coalescere cætera norunt
Fragmina. Belligerum contemnit vulnera corpus,
Et capiti corpus galea est. Succidere nervum
Militiæ est petiisse caput. Spes deficit iras
Cætera: quæ Pæana sonent nec sibila restant.
Interea toto insonuit Victoria cœlo.
Virgineam rutili migrant in cyclada *Soles*,
In caput excelsum *duodeno* Circulus *astro*:
Candida purpureæ lambunt vestigia *Lunæ*.
Accepit Famæ sonitum plaudentis ab alto
Inferior Natura. Moræ pertæsa triumpho
Indixit (*k*) ludos animosa Britannia primos.
  Divæ bella recognoscant quæ cætera linguæ?
Martyrum ego memorem pugnas? His germine frondent

(f) *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens. Eccli. c. 24. Sic enim Proverb. 8. Cum eo eram cuncta componens.*

(g) *Innocentiæ primævæ in Paradiso.*

(h) *Et Terram comedes, &c. Gen. 3.*

(i) *Originale peccatum.*

(k) *Nam in Anglia Conceptionis immaculatæ festum celebratum dicitur primò fuisse. Et hìc alluditur ad morem veterum, quo Ludi solennes triumphantibus indici solebant.*

Belli-

Belligero (*l*) *Cades.* Niveæ tentoria turmæ,
Partheniosque choros? Paphiæ stupuere sagittæ.
Jessea è *Turri* (m) *Clypeorum millia* pendent.
An nova cum Mundo, Parthorumque æmula dicam
Prælia? Nec similes Bellatrix abnuet artes.
Victrici generosa fugæ (*n*) *Deserta* patebunt.
Et verò si Cœnobiis, Cellisque libebit,
Excubiisve inferre pedem, seu quas pia sepsit
Virginitas, seu Martyrii quas sanguine natæ
Frondis inumbravere decoro germine palmæ,
Militiæ famam (*o*) *dotalia* Virginis *arva*
Non modicam referent. Hic commoda *Fortibus arma*
Castrorum illa potens *acies*, *Cadesque* comantes,
Turrimque, *Clypeosque* suos, & *Castra* feretur
Ipsa locasse tuis, Mariana Britannia, terris.
* Prodiit hac statione Parens, his Ursula castris
Filia: & Ursulides pugnam armavere sorores.
Gloria (*p*) militiæ veteris quæcunque tropæis
Advolat, Ursulidum castris hæc insidet unis.
Et quicquid famæ Ursulides, hoc omne Dariam
Insignit: Matremque hæc confluit omnis in unam.
Belli (q) *tempus* erat. quod erit, sine tempore *tempus*
Pacis erit. Posuere sagum certamina belli.
E castris vocat *Armipotens* in candida Pacis
Fœdera, *Castrorumque acies* in *Fœderis arcam.*

S. Daria Regina, uxor Dionati, seu Dionoti, quem Usuardus in Chron. Britannorum Regem nuncupat, S. Ursulæ Mater. Dionati pariter meminit Tritemius Compend. l. 1. In Martyrologii Gallicani Supplemento ad diem Octob. 21 *mentio fit* S. Dariæ Matris S. Ursulæ Virginis & Martyris, quæ cum numeroso sociarum Virginum agmine pretioso cruore in assertione Pietatis & Pudicitiæ effuso, &c. *In Indice item commemoratur* Daria Regina, S. Ursulæ mater.

(l) *Quasi palma exaltata sum in Cades. Eccli.* 24.

(m) *Sicut Turris David, &c. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4.

(n) *Datæ sunt mulieri, &c. ut volaret in desertum, &c. Apocalyp.* 12.

(o) *Sic enim vulgò dicitur Anglia, Dos Mariæ.*

* *Reditur ad Dariam, & Ursulides.*

(p) *Bozius de Signis Eccles. l.* 22, *c.* 3 *ait Ab omni Ecclesiæ antiquitate exemplum produci non posse, quod Virginum & Martyrum harum virtutem & animi robur æquet.*

(q) *Tempus belli, & tempus pacis. Eccle. c.* 3.

In tanta caligine Antiquitatis, agitatæ præsertim tumultibus variis, mirum non erit, si plurima exciderint. Agimus modò de sanctis Angliæ Regibus & Reginis. Hic, itaque cùm materiæ inopia aliquâ laborarem, occasione, uti suprà, oblata, subiit menti de SS. omnium Regina *in hoc ejusdem dotali Regno nonnulla, quæ ad occasionem arreptam pertinerent, interserere. Est enim illa* Regina Martyrum, Regina Virginum, Regina Confessorum, *&c. At circa tempus, quo vixerit S. Daria, quod de S. Ursula infrà attingemus in Prosa post Britonum Reges, lucem pariter afferet ætati S. Dariæ.*

Carole, quò vultum toties? Et sæpius Unum
Signari, repetique oculo studiosiùs (*a*) Unam
Adverti dudum. Labarorum fama, Crucisque
Belligeræ, Cœli e castris Victoria missa
Cui sese addixit propriam, (*b*) inscripsitque futuræ
Cœlesti obsignata fide præsagia famæ,
Non te fortè latet. Lateat, quibus illa pudori est.
En hujus Signi auspiciis, Crucis hujus amico
Indicio ætheriæ patuit cui semita lucis
Ad mundi Caput, & summos e Vertice mundi
Imperiorum apices, Erebi qui bella subegit,
(*c*) Ditis & Ausonii furias, qui Sanguinis ultus
Innocui vocem, & sparsas tot cædibus Aras
Invexit Templis pacem, Cœlique colonos
Urbe sacra donans Mundo mox intulit Urbem,
Maximus imperio, imperii moderamine major,
Constantinus hic est. Erat, hæc cùm mœnia circum
Undique anhelaret cædes, & funera Cæsar
Implacidus, solæque darent cùm jura Secures,
Cùm septemgeminis Aquilæ de montibus orbem
Lustrarent acie sæva, nutuque severo
Accirent omni properos ex æthere ventos,
Si qua novæ spes afflaret prænuncia prædæ.
At modò crudeles fastus Clementia victrix
Edomuit: Crucis invictæ sublime trophæum,

Constantinus Magnus.

Romani imperii, & Fidei Christianæ vindex.

(a) *Helenam sc. Constantini matrem.*

(b) Ἐν τούτῳ νίκα. *In hoc signo vince.*

(c) *Maxentii Tyranni.*

Et *manibus* Constantini *Maxentius hic est.*
Et querar interea? Fuit, ah fuit, optime Cæsar,
(Auroræ posita in gremio) fuit altera Roma,
Nomineque insignita tuo. Quò fugit? Et ipsa
Raptoris subit amplexus (*d*) Aurora Geloni
In Lunæ thalamis, primoque incestat ab ortu
Auspicia enatæ lucis. Succurre, tuoque
Pelle Oriente, omnique die, in noctemque relega
Infames Lunas. Tua nec Britannia menti
Excidat. Inde tibi te prælusisse, vel ipsum
Est aliquid.

(d) *Oriens subjectus Tyranni Turcici imperio.*

S. Constantinus Magnus, Constantii & Helenæ filius, Imperator, Colcestriæ in Anglia natus. Hic primus, imperii a Cruce ducto auspicio, pacem attulit Ecclesiæ: & præ cæteris idcirco memorabilis. De Cruce (In hoc signo vince) *supra solem apparente vide Eusebium in vita Constantini l. 1, c. 22: item Metaphrasten 20 Octob. de Artemio, cum exercitu universo teste oculato, rem totam enarrante coram Juliano Apostata: item Sozomenum Hist. l. 1, c. 3, qui etiam addit cap. 8 a Constantino post habitam Crucem in summa veneratione: item Zonaram Tom. 3: item Prudentium lib. 1 contra Symmachum, qui ait Constantinum, cùm triumphans Romam ingrederetur, præcepisse, ut ante exercitum Crux gestaretur, quò Roma palam cerneret, cujus demum vi & potestate, Maxentio Tyranno subacto, asserta fuisset in libertatem. Vide item Eusebium in vita Constantini c. 33: ubi refert eundem Constantinum Romæ Statuam suam erexisse Crucem dextra gestantem cum hac Inscriptione:* Hoc salutari signo, Fortitudinis vero Emblemate, Urbem vestram exemi jugo Tyrannidis.

Ante Tempora Constantini cultam fuisse a Christianis Crucem, supervacaneum opus esset Autores recensere, qui id commemorant. Crucicolæ *enim ab Ethnicis vulgò appellabantur. Certè mentionem* Titulorum *frequentem habemus in Annalibus Ecclesiasticis. Parochiæ enim Romana*

manæ per Insignia quædam olim distinguebantur: atque ad Domos Deo sacras apponebantur Cruces, quo indicio Christianis non lateret loca ejusmodi divino cultui fuisse consecrata.

Constantini apud Græcos Festus dies agitur Maii 21. *ab iisdem erecta monumenta plurima in honorem ejus; Quemadmodum & Templa in Brittannia: quorum unum etiamnum extat in Ordovicum provincia, seu Wallia septentrionali ipsius nomine insignitum. Mort. Die Pentec. an. D. circiter* 340. *Menol. Græc. Molan. Spedus in Essexia, &c.*

Lateri quæ proxima considet, & quam
Obtutu relegis, nec majestate verendam
Cæsarea, nec virtutum splendore decoram
Nativo minùs, augustam venerare Parentem,
Carole, nostratemque Helenam. Per Doridis oras
Sicaniæ, Ægeos æstus, Cinyreaque Cypri
Regna Palæstinos subit Hospes regia portus,
Depositum invisura duplex, Morientis & *Aram*
Numinis, Unigenæque *Torum* Nascentis. At illam
Incestat (*a*) Venus, hunc, Veneri qui (*b*) nupsit, Ephebus;
Surgentemque abolet propria face dignus Adulter.
Lethi o vitalis Lignum, melioris & horti
Filia, non Paphiæ insultat tibi pristina Mœchæ
Sola superstitio. Propioribus Ara Cytheris
Fumat, Acidaliamque stat æmula Myrtus ad aram.
Jamque insistebat (*c*) Petræ, cui Vita sepultas
Credidit exuvias olim, pignusque salutis
Exanimum. Sacri (limen venerata) Sepulchri
Hospitio extremo recipi quàm sæpe poposcit,
Et socium appetiit thalami funebris honorem
Ambitiosus amor! Cœlo suspiria dudum
Missa querebantur, quò præcessere, supremam
Non secum subiisse (*d*) animam. Studiosa sed illam
Invidit Solymis Roma, & te, Roma, manentem.
Voto Helene superest. (*e*) Petra dudum se mage vitæ,

Helena.

Hierosolymam, & Loca sancta invisit.

(a) *Veneris statua ad locum Crucis, Adonidis ad Præsepe, Jovis ad locum Resurrectionis.*

(b) *Dictio non insolita in similibus.*

(c) *Monumento, quod erat excisum de petra. Marc.* 15.

(d) *Supremus enim Spiritus Romæ reservabatur.*

(e) *Nam inde resurrexit Chr.*

Quàm mortis testem, Monumentumque esse docebat.
Atque hìc Telluris sacræ, quæ *Lacte* colorem
E patrio minùs, e Christi quàm Sanguine duxit,
Metiri tractus tecum, Regina, liberet,
Terra (*f*) *pedem* ni respueret, qui vincla profana
Corrigiæ necdum solvit. Tibi libera planta est:
Exutosque morâ gressus inferre licebit.
Et modò, quà *Montem* felix insignit *Oliva*,
Germinis & blandi miseris spem pignore firmat,
Carpis iter supremum. Oculis hìc, mentis & ardua
Ascensu Christum sequeris: nec restitit (*g*) umbra,
Exhalare solent nostræ quam sæpe lacunæ,
Invidia ulla tibi, terrenove obice *Nubes*
Visum interclusit. (*h*) Terris hinc Patris ad aulam,
Ad solium Patris, ad patriæ consortia dextræ
Excessit Natus, propè deletura Figuræ
(*i*) Maternæ famam immensi Genitoris Imago;
Quæque extrema polum repetens (*k*) vestigia fecit,
Hìc terris impressa vides. (*l*) At Matris imago
Hìc pariter nimiùm visa est, & scena dolorum
Hìc quoque prima fuit; *Documentum* grande, futuræ
Non aliam æternas ad opes & gaudia vitæ
Esse viam, nisi quam sudore madentia multo
Ærumnarum & Egestatis vestigia calcent.
* Est hic, est, ò Christiadæ, qui terminat Ævo
Secula, Naturæ cui totius ambitus ingens
Angustum parco nimis exilique tetendit
Orbe sinum; nostri neque Temporis abnuit idem
Filius esse, humili Puero mutare Tonantem,
Præsepi Cœlum. Tumidæ Sidonius Aulæ
In trabeam Tyrio Murex e flumine migret,
Et quicquid gemmis, & quicquid fluctuat auro:
Herodum Libani sylvæ laquearia fundent;
Cæsareæ luxum spondæ, noctesque Neronum
Mollis olor foveat, spirent & balsama somni.
Ast ignominiæ labem simul, opprobriique
Dedecus illa sui doleant, quòd regia Bethle

(f) *Allusum ad illud Exod.* 3. Solve calceamentum de pedibus tuis. Locus enim Terra sancta est.

(g) *Item ad illud Act.* 1. Nubes suscepit eum ab oculis eorum.

(h) *Hinc ascendit Christus ad cœlum.*

(i) *Titulum sc.* Filii hominis.

(k) *De vestigiis ejus terræ impressis notum ex Hieronymo.*

(l) *Et hìc pariter exorsus est Passionem suam.*

* *Digressio hìc de Christo, qui Rex Regum est.*

Se fastidierit. Bethlen sua nempe venustas,
Et Paupertatis Regem sua gloria signat.
Et viden', ut (*m*) grandi imperio, pars ne qua laboret
Instabilis, jam nunc *humerum* supponere gestit?
Et viden', ut (*n*) rutilat Vertex, suaque ipse corona est,
Ipse suum, pretio quovis opulentius, *aurum*?
Et viden', (*o*) ut patrii (referat licèt ille Myricam)
Agnovere suam *Libani* fastigia *Cedrum*?
Et viden', (*p*) emittat teneros *Hyacinthus* ut ignes,
Et gentem exhibeant digiti melioris Erythræ?
Ut (*q*) *Myrrhâ* stillent labiorum lilia *primâ*,
Orisque excubias rosea dulcedine cingant
Non nisi Blanditiæ, atquæ hortis cœlestibus halent?
Regum o progenies felix, seu quos plaga cœli
Detinet ulterior, votis seu quos modò nostris
Præsentes offert vicinior ætheris ora,
Regem hunc, & (*r*) *Regum Regem* (Titulumque potenti
Ætheriæ inscriptum *Femori* agnovere curules)
Vobis agnovisse datum est. E pauperis aulæ
Regnantem solio, paupertatisque latentem
Numinis augusti trabeam inter rudera nostræ
Chaldæi agnorunt Reges; vobisque præivit
Exemplo Chaldæa fides, ut *Thus* quoque vestrum,
Et gazas *Auri*, & *Myrrhæ* fragrantis odores
Bethlæi Regis consecraretis ad aras.
Reginam interea tellus Bethlæa Britannam
Restituat patriæ, & pignus gentile redonet.
Muri Helenam (*s*) Londinenses meminere. Receptam
Urbe (*t*) Crucem rubuisse, colorisque usquè tenacem
Heu nimii rubuisse dolent. Colcestria Matri,
Et Proli terram præbet communis alumnam.
Et Proles pulchra, & Mater. Matremne salutem,
An Prolem pulchram magis? Et pulcherrima Proles,
(Sic litem dirimunt oculi) & pulcherrima Mater.

(m) *Parvulus, &c. & principatus super humerum ejus. Isa. c. 9.*

(n) *Caput ejus aurũ optimum. Cant. 5.*

(o) *Species ejus ut Libani, electus ut Cedri. ibidem.*

(p) *Manus ejus plenæ Hyacinthis. ibidem.*

(q) *Labia ejus Lilia, distillantia myrrham primam. ibidem.*

(r) *Et in femore suo scriptum Rex Regum, &c. Apocal. c. 19.*

(s) *Muros Londinenses ferunt ab Helena conditos, sicut & Colcestrienses.*

(t) *Urbis Londinensis Insigne Crux rubra.*

S. Helena Imperatrix, Coelli Britanniæ Principis Christiani Filia, Colcestriæ in Essexia nata, Constantii Imperatoris Uxor, Constantini Mater.

Con-

Constantius, quemadmodum ait Zozimus l. 2, sedem in Britannia tenuit præcipuam, & maximè diuturnam. De illo Scriptores plurima. Id memorabile inter cætera ex Eusebio de vita Constantini l. 1, c. 9. Edicto publico, antequam Fide ipse Christiana imbueretur, denuntiatum ab eo severè est, ut, quicunque in castris militaret, Romanorum Diis adjungeret se, qui secùs facerent, missi e vestigio discederent. Attoniti hoc edicto e Christianis illi, quorum animis ambitio nimia insederat, deseruere Fidem continuò, atque ad partes iere Numinum Romanorum. Cæterùm alii, quibus Christi Fides & salus sua Constantii & Cæsarum gratiâ charior esset, accinxerunt se extemplo ad abitum. Id Constantius, re demum penitiùs inspecta, cùm observasset, Transfugas illos omnes, Deique sui cultores timidos e castris abegit, quippe nec sibi fidem servaturos, qui fidem Deo suo datam prodidissent. Illos contrà, qui Constantiam suam, & firmitatem animi luculentè probassent, in gratiam recepit, evexit ad Dignitates, iisdem demandavit curam sui præcipuam. Inde factum, ut e Britannis, qui Christiani essent, in stipationem pòst asciscerentur & Constantio, & reliquis Imperatoribus. Hoc asseritur a Niceta Choniata, qui idcirco illos appellat πελεκυφόρȣς Βρεττανȣ́ς. *Imperio postquam se abdicassent Diocletianus & Maximianus, Diocletiano successit in gubernatione Orientali Galerius, Maximiano Constantius in Occidentali, in Gallia nimirum, & Britannia. Monebatur ante obitum ab Angelo, ut non alium, quàm Constantinum, institueret hæredem Imperii sui, ut apud Zonaram habetur l. 2 Annal.*

Sepelitur Constantius Eboraci in Anglia. Et dignum commemoratu est, quod Camdenus refert in Brigant. memoriæ scilicet traditum esse a viris omni fide dignissimis, cùm Monachorum ædes ætate Patrum nostrorum ibidem essent destructæ, repertam lampadem ardentem in Sacello subterraneo, in quo per consequentium ætatum traditionem accipimus Constantium fuisse sepultum. Et Lazius certè, Scriptor eruditus, apud veteres artem extitisse refert

fert continuandi flammam ex auro liquefacto, & refuso in oleum liquidum, eamque utique arsuram per multa secula. Hæc attigisse non abs re fuit.

Hierosolymam adiit Helena conquirendæ Crucis Dominicæ studio, &c. *Statuam Veneris, in Crucis loco ab Ethnicis collocatam ad abolendam memoriam Dominicæ Passionis, post centum circiter & octogima annos evertit. Quod item fecit ad Præsepe Salvatoris, & in loco Resurrectionis, inde Adonidis, hinc Jovis sublato simulacbro. Cruce inventa, magnificentissimum ibi Templum extruxit.*

Cæterùm quid circa Crucis inventionem contigerit, & de Miraculo illo singulari Crucem veram a reliquis duabus distinguente vide Ruffinum Hist. Eccles. l. 10, *c.* 7. *Partem Crucis, ut habes e Theodoreto Hist. l.* 1, *misit Constantino: quæ, ut Eusebius ait, Constantino videbatur Propugnaculum firmum Imperii sui; Partem reliquit Hierosolymæ, ut habes apud eundem Theodoretum. Addit Paulinus Epist.* 11 *quotannis inde ad diem Resurrectionis coram Populo productam eam fuisse, & venerationi expositam, Episcopo ipso honorem illi eundem primùm exhibente. De Clavis etiam Theodoretus l.* 1, *c.* 18, *& Ambrosius de obitu Theod. aiunt S. Helenam eorum partem curasse includendam Galeæ Imperatoris ad Tutelam, & partem Fræno inserendam ob rationem eandem. Quo etiam facto allusisse visa est ad Vaticinium Zachariæ* 14, 20 *dicentis:* In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino. *Clavo tertio in Adriaticum injecto liberabatur a naufragio. De his vide Greg. Turon. de gloria Martyrum. l.* 1, *c.* 6.

Hierosolymâ Romam reversa piissimè obiit an. D. circiter 326. *Colcestriæ, & Londini mœnia fertur condidisse: & multis aliis insignibus in Anglia monumentis reliquit famæ vestigia. Denique Camdenus in Essexia sic habet.* Cives Colcestriæ Flaviam Juliam Helenam, Constantini Magni Matrem, suam Alumnam fuisse asserunt, ex Coello Rege natam. Et, in memoriam Crucis

Crucis ab ea repertæ, Crucem nodosam inter quatuor Coronas positam publico in clypeo gerunt. *De Helena Zozom. Menol. Græc. Simon Dunelmensis in Hist. Angl. Martyrol. Rom. & alii: præcipuè Eusebius lib. 3, c. 45, & 46: Theodoret. l. 1, c. 18. Martyrol. Gallican. in 18 August. De pietate Anglorum in Helenam suam non desunt, quæ possent dici. Apud Trinobantes, & in tractu Angliæ septentrionali, in Comitatu item Berceriensi Oppidum erat* Helenstow *dictum a Templo ibidem dedicato in ejus memoriam. Bedfordiæ pariter Femina quædam illustris,* Juditha *nuncupata, Monasterium sacrarum Virginum extruxit, curavitque consecrandum in S. Helenæ honorem. Dicitur præterea Templum Londini, S. Helenæ sacrum, a quodam Gulielmo Basingo ædificatum fuisse.*

Apparent a tergo alii e regio Britonum antiquorum sanguine propinquiores.

Hæc Britonum, priscis famæ celeberrima fastis,
Clara eadem imperio, soboles. Queis proximus ordo est,
Contiguusque aulæ sanguis, subsellia retro
Nonne vides ut amica premant, stipentque frequentes
Consessum? Hos inter, Luci pulcherrime, cerno
Emeritam, germanam illam, hæredemque laborum,
Virtutisque ex asse tuæ. *Cadoce,* tiaram
Cerno tuam. Capiti laurum peregrina Britanno
Insula & adjecit Calabram. Britonidas inter
(Et quam te meminisse juvat!) castissima Nymphas,
Keyna, cui memini. Memorat (*a*) Serpentibus horrens
Sylva, colubrinusque Lapis. Deserta viator
Hacides morsu immunis tua, Keyna, pererret.
Tota nites. Hac vel moribundam Cyclade donat
Aliger e coelo Juvenis. Neque forte sileri
Hic sinet *Ursulides* Cornubia. Splendida rubro
Colla mari decorent alias, nardoque capillus
Qui madet, & Tyria qui prodit pyxide vultus.
Ursula, te virtus ornat, desponsa pudori
Forma, pudicitiæ roseæ tot murice palmæ,
Virgineo lavere *stolas* quot sanguine Nymphæ;

(a) *De loco deserto, quò illa secedebat, serpentibus antè admodum infesto, deque iisdem in lapides pòst conversis, serpentium figurâ retentâ: item de veste pretiosa, qua moribundam Angelus induebat, infrà in prosa.*

Ursuli-

Ursulides mille undecies tua castra secutæ.
Naufragium felix in Rheni litore passas,
Naufragio enantes, (*b*) *Fluvii*, qui manat ab *Agni*
Sede, ferax (*c*) frugum, melior vos ripa recepit.

(b) *Cujus mentio in Apoc. c. 22.*

(c) *Etiam arbores frugiferæ passim appellantur, uti habes e Plinio.*

Qui propinquitate sola sanguinis accedunt ad Reges, eos Autori propositum non erat adducere in medium, seu carmine prosequi. Tamen ad consessus Regii ornatum apparent, Regibus veluti a tergo assistentes, qui & sanguine Reges attigere, & sanctitate pariter vitæ singulari Britanniam illustrarunt. Neque verò in conspectum veniunt omnes illius chori; Filii duntaxat, Filiæ, & Fratres, & paulò remotiores pauci alii. Idem infrà fiet ad finem cæterorum Regum. E Britonibus igitur hi sunt.

S. Emerita, Virgo & Martyr, soror Lucii Regis, de quo suprà. Ex Anglia cum Fratre in Germaniam profecta in odium Fidei apud Helvetios interficitur. Annum D. collige ex iis, quæ circa Lucium suprà commemorantur. Vide Ægidium Tscudum, Isengrenium, & Hermannum Schedelium in Chron. Sepulta Curiis prope Fratrem.

S. Ursula, virgo & Martyr, Dionoti Cornubiæ Regis filia. Ab Hunnis & Pictis ipsa simul cum undecim millibus Virginum Britannicarum prope Coloniam interfecta pro tuenda pudicitia, an. D. circiter 383: seu fortè 453. Vitus in Hist. Britan. Baronius, & alii. De Virginum numero modò dicto sic habetur in Ecclesiæ Orationibus antiquis. Vide Hortulum Animæ, *sic dictum, Librum nempe compositum secundum morem veterem Ecclesiæ Romanæ. Vide pariter Horas Beatissimæ Virginis secundum usum Sarum. Templum pòst Coloniæ in earum memoriam conditum,* SS. Virginum *vulgò dictum, habitumque ab incolis tanta veneratione, ut nunquam eo in loco alia corpora sepelirent. In Anglia ad fluvium Thamisim situm oppidum est,* Southlington *olim, at pòst* Maydenhead *nominatum in memoriam harum Virginum.*

 Vide

Vide Camdenum in Atreb. In varias deinde orbis partes sacrarum Virginum reliquiæ avectæ. S. Ursulæ corpus Coloniæ manet; at caput translatum Parisios: ubi & collegium illud celeberrimum Sorbonense eam ut Patronam suam agnoscit. De Antiphonis Coloniensibus in celebrationem harum Virginem vide Hermannum Heien in vita S. Ursulæ.

S. Carantocus Monachus, Rodericii in partibus Walliæ septentrionalibus Regis filius. Mort. an. D. circiter 380. *Brought. in Hist. Sec.* 4, *c.* 25: & *alii.*

S. Meliorus, Meliani Cornubiæ Principis filius, a Rinaldo in odium Fidei trucidatus an. D. circiter 411. *Capgrave ad annum* 411 *ex Antiquit. Cornub.* & *alii.*

S. Faustus Vortigerno ortus Britanniæ Rege. Hic Vortigernus, in excidium Regni sui natus, & omnium ferè vitiorum infame mancipium, e filiæ propriæ incesto concubitu filium genuit, qui nihilominus ob eximiam pietatem annumeratur Sanctis, cognomento Faustus. *Hæc accidere circa an. D.* 438. *Malmesbur. de Reg.*

S. Wenlocus Abbas, Francani Principis apud Britones filius. Mortuus an. D. circiter 460. *In persecutione Normannica translatum corpus e Monasterio Tauracensi Gandavum in Monasterium D. Petri. Flores SS. Ang. Molan. in addit. ad Usuardum. Surius Tom.* 2. *De austeritate ejus memorabilia.*

S. Canocus Eremita, Braghani, seu Brachani (a quo Brecknockiæ nomen) Brecknockiæ Regis filius. Inter cætera de Torque *illius id memorabile, ad cujus conspectum nullus peierare ausus. Vixit circa an. D.* 480. *Broughtonus in Hist. Eccles. Rob. Bucklandus in vita S. Keynæ.*

S. Keyna Virgo, Braghani Brecknockiæ in Wallia Regis filia. Vitæ solitariæ cupidissima in sylvam remotam se contulit serpentibus plenam, in quam ingredi nemo audebat. Hos divino subsidio freta in lapides convertit, figurâ serpentium usquè retentâ. Locus hic in Comitatu Somersetano non procul a Sabrina fluvio situs est. Oppidum

dum Kainsham *ad Avoni ripas ab ea sic dictum creditur. Angeli demum monitu ad solum natale reversa est, ibique ad Montis radicem tuguriolum sibi extruxit. Multa de ea Capgravius. Hoc inter cætera. Instante jam morte,* Sepulchrum meum *(inquit S. Keyna)* diu latebit ignotum usque ad Populi alterius adventum, quem precibus meis huc adductura sum. Illum protegam atque defendam. Atque hoc in loco benedicetur nomen Domini nostri in perpetuum. *Morti proximam Angelus veste candida induebat auro intertexta, eandem invitans ad Regnum Sponsi cœlestis. Mort. an. D. circiter 490. Capgrav. in Catal. SS. Brit. Buckland. in ejus vita.*

S. Almedha, S. *Keynæ soror. Rejectis nuptiis terreni Principis totam se addixit cœlesti Sponso; & Martyr occubuit circa annum fortè 490. In montis culmine in Regione Brecknockiensi non procul ab arce Aberhodnensi Templum situm est,* S. Almedhæ *vulgò dictum.*

S. *Sophias, aliàs Cadocus, Episcopus in Italia Beneventanus, & Martyr, Gundeleyi (seu fortè Guilleicl) Walliæ septentrionalis Regis filius. Tam erat addictus Passioni Dominicæ, ut Hierosolymam ter adierit ad loca illa sacra invisenda. Ad Altare, dum Redemptionis nostræ Mysterium celebraret, trucidatus est. Mort. an. D. circiter 490. Flores* SS. *Ordinis D. Bened. Brought. in Hist. sec. 4. Joan. Capgrave in Catal. SS. Brit.*

S. David Episcopus in Com. Pembrockiensi, Xanthi Walliæ Principis filius. Virgo quædam sanctissima a Ceretica Regionis Rege per vim violata filium hunc concepit. Patris nomen, Xanthus, Matris, Nonnita. Filius postmodum Meneviæ creatur Episcopus, inde totius Cambriæ Metropolitanus, doctrina, & sanctitate, & miraculis celeberrimus, & splendor eximius Ecclesiæ Britannicæ. Mort. an. D. 592: seu fortè potiùs 544. Polyd. l. 3. Westmon. an. 872. Galf. Mon. in Hist. Girald. Cambrensis in ejus vita. Capgrav. &c.

S. Sampson, e regia Britonum stirpe: Archiepiscopus

 primùm

primùm Caerlegionensis in Wallia, (Episcopum aliqui Menevensem dicunt) pòst Episcopus Dolanus in Gallia. Mort. ibidem an. D. circiter 604, & sepultus in suo Cathedrali. Vin. in Spec. l. 2. Sigebert. in Chron. an. 565. Pet. in Catal. l. 6. Mart. Rom.

S. Rumaldus, unius e Britonum Regibus filius. Cùm primùm ab ortu recens sacro Baptismate ablueretur, loqui continuò cœpit Infans, & mira prædixit. Tum se Christianum professus extemplo expiravit. Sepultus primùm Barkleyæ in Com. Northampton. pòst translatus Buckingamiam: ubi miraculis eundem multis claruisse memoriæ traditur. Nemini non notus Fons aquæ manans limpidissima S. Rumaldi *vulgò dictus. Camd. & Sped. in Bucking. Nova Leg. SS. Ang. fol. 276.*

S. Winnockus Abbas, e regia Britonum stirpe. Mort. an. D. circiter 716. Corpus asservatum in Monasterio Bergensi in Flandria. In ejus honorem Oppidum modò Winnocks-Berg *nuncupatum. Meyrus in Annal. Fland. l. 1. Surius Tom. 6. Molan. Martyrol. Rom. & alii.*

S. Judocus Eremita, e regia Britonum stirpe. Mort. in ora Pontivensi in Gallia (sic dicta a Pago Pontivo) an. D. 653. Wion lib. 4, Lign. Vitæ. Vincent. in Spec. Pet. in Catal. l. 1, c. 25. Surius Tom. 6. Mart. Rom.

Hinc progrediendum ad aliam Regum seriem.

Ethelbertus.

E Saxonibus in Anglia Christianus Rex primus. Fidem collapsam restituit.

Tempus ab Æterno, a Terra quàm diffidet Æther!
Quæ peperit, subvertit, & exedit omnia Tempus,
Rerumque excidiis Lethes oblivia pascit.
Regna vices subeunt. Nova Tellus induit ora.
Cœlo eadem semper facies. In Britona Saxo
Succedit. Natos Abrahæ nec seciùs inde
Suscitat æternus Genitor. Si clara parentum
Nascitur in laudem soboles, te clara parentem,
Anglia, commendat soboles: sol æthere qualem
E nullo, & quantam e nullo sol æthere vidit,
Saxonidûm te nobilitat generosa propago.
Traductum ad Superos tanti qui sanguinis agmen
Ducit,

Ducit, Ethelbertum video. Salvebis, opinor,
A Regum coetu reliquo; Salvebis & ipso
A Carolo, Ethelberte, tuo dixisse licebit.
Ante pedes Agni tibi (*a*) projecisse coronam
Collibuit. Gressus libeat coluisse Nepoti,
Rex Regum Ethelberte, tuos. Videt auspice tanto
Et (*b*) Thanati portas Anglus, Mortisque recessus
Et Vitæ & Coelo patuisse. Trahebat inertem
Anglia, tabentemque animam, & revoluta jacebat
Ad Mortis fauces iterum. Augustinus ab ora
Decumbentem Itala curat; miscetque medelis
Præcipuum Nepenthes, & Ausonidem panaceam
Gregorius. Vires inde, affectæque saluti
Successere animi reduces. Cantuaria sensit
Roffæque Andreas recidivam; & (*c*) tota, recedens
Londino inde suo, cessit tibi, Paule, Diana.
Facti præses Ethelbertus. Cantuaria luget
Orba Patrem: & tumulo meritos indicit honores.
Excipiunt plausu Superi, cui Terra parentat.
At specie tam coelesti dum lumina læti
Pascimus, insolitis aurem stridoribus iræ
Quæ feriunt? Erebi furiis immugiit orbis
Infimus: (*d*) Heyleumque sonant hæc classica Martem.
Audio; & agnovi. Solio decussus avito,
Compedis Ausoniæ impatiens, immurmurat Heylus.

(a) *Allusum ad illud Apoc.* 4. Et mittebant coronas suas, *&c.*

(b) *Insulæ Cantianæ, sic dictæ, quò primùm appulit Augustinus.*

(c) *Paulo non semel cum Diana lis. Allusum hic ad Dianam Ephesinam, qua super re in Act. Ap. Ædificavit Ethelbertus præter alia Templum D. Augustini Cantuariæ, Roffæ seu Rochestriæ Templum D. Andreæ, Londini in loco, quo antè extabat Templum Dianæ, Templum extruxit D. Pauli; Sicuti & ab alio postea conditore Westmonasteriense Templum Divi Petri excitabatur demuo supra ruinas Apollinis. Hic ante diem dedicationis postremæ vide insignem Historiam, & Miraculum a D. Petro patratum, apud Ealredum in vita* S. *Edwardi. Historia est lectu dignissima.*

(d) *Inter cætera Idola, quæ Augustinus demolitus est, celeberrimum erat Idolum* Heyl. *Inde cùm Dæmon eiiceretur, quàm esset actus in furias, referunt Annales. De hoc Idolo vide Malmesb. l.* 2 *de Pontif. item Camdenum in Dorcest.*

Arduus

Arduus e coelo cecidi; sed fulguris instar;
Et multum superest de fulgure. Sidera mutat,
Non mentem, qui sese habitat. Qui sedibus illis
Exul agor, Mentis nunquam statione movebor,
E Cœlo mens una Stygem facit, e Styge Cœlum.
Sed neque cœlo Heylus cecidit. Britannia cœlum
Obtulit. Hic Numen submisso poplite nostrum
Agnovit: nostræ, quicquid votiva Sabæis
Legerat e sylvis Aurora, sacrabat acerræ.
Dulciùs imperium Terræ sapuisse putabam
Servili Coelo. At pulsum non æthere tantùm,
Sed terris etiam, ejectum statione, tot annos
Quam tenui, e solii regno cecidisse Britanni,
Huc cecidisse, nigri infames ad carceris umbras,
Et Monacho impellente——Quid irrita nubibus ira
Involat? Adveniet tempus, cùm tela retentem.
In terra si quid lucri, damnive supersit (hortis
Hoc vel & in Barathro, experiar. Nepenthes ab
Scilicet Ausoniis? Et pocula temperat (*e*) Heylus.
Nepenthes superest aliud. (*f*) Fuit *Arbor*. & *Arbor*,
Si memini, fuit. Arboreæ vicinia Vitæ
Arboream Mortem non arcuit. Et licèt aræ
Thure novo caleant Italo sub Præsule nostræ,
Non longè fumat vapor alter. Et Augustinis
Heylus erit super alter, Avernus & alter Olympo.
Audis, Ethelberte. Fremunt e carcere venti
Tænario: intentant hyemes. Britanna laborat
(*g*) Vinea. *Defendet mites malè pampinus uvas.*

(*e*) *Nam Dæmon iste a Saxonibus Ethnicis habebatur pro suo Æsculapio. Inde* Heyl *Saxonicum a sanando.*

(*f*) *Lignum Vitæ in medio Paradisi, & Lignum Scientiæ Boni & Mali: Arbores duæ sibi vicinæ.*

(*g*) *Quam plantavit dextera tua.*

In hac progressione mutati Imperii opportunum erit hæc attexere. Vortigerno Britone regnante, viro ad patriæ suæ excidium nato, ob Avaritiam, Superbiam, & Libidinem infami, (& cujus temporis Britones appellat Gildas Atramentum Ætatis) *invaserunt Brittanniam jam vitiis enervatam Scoti & Picti sub annum D.* 446. *Cùm Britanni modò ab armorum incursionibus paululum respirassent, atque ob annum, qui proximè consequebatur, maxi-*

ma

*mè frugiferum venisset in oblivionem præterita fames, cum anni ubertate pravitas Gentis pariter & vitia redundabant. Itaque adversus populum, quem neque res adversæ, neque prosperæ ad Deum reducebant, extrema tandem ultio parabatur. Britannorum vitia vide in Gilda de Excidio. A Scotis iterum et Pictis acerrimè lacessiti in subsidium accersebant gentem infestiorem, et quæ ipsos post absumeret. Plura vide in Beda l. 1, c. 14. Malmesbur. de Reg. l. 1. Witichind. de rebus Saxon. l. 1. Saxones illi erant, (*Sacæ olim dicti, & quorum primordia petuntur ex Asia) Angli, & Jutæ seu Gioti, ab agilitate celeberrimi, inquit Paulus Diaconus, ab impetu armorum incitatissimo Romanis maximè formidabiles, inquit Ammianus Marcellinus, a robore corporum, ab animi fortitudine, & laborum patientia Germanorum omnium bellicosissimi, inquit Zosimus. Tempus, & causas, quare cum Britonibus Saxones amicitiarum fœdera deinde ruperint, vide apud Huntindonium l. 2 ad an. D. 453. Post variorum annorum atrocissima prælia, eorumque eventus varios ruina Britonum tandem secuta est. Per annorum gradus plurimos Regum suorum perpetuabant seriem, &, fortuna identidem refluente, victorias plurimas ab hostibus, easque admodum insignes referebant. Ex iisdem demùm, etsi aggressiones plurimæ ad imperii renovationem tentandam factæ post etiam fuerint, tamen Principum, qui regiam cum nomine dignitatem sustinuerint, Cadwalladerus, Cadwallonis filius, postremus erat. Cœpit is imperium an. D. 685.*

Regna mutari, & Regnorum nomina non est novum.
Sæpius & nomen posuit Saturnia Tellus.
Britannia in Angliam *migrat, sicuti Gallia vicina in* Franciam, *sic modò nominatam a Francis, Germaniæ populo, qui & illam invadebat, & partem ejusdem maximam occupabat sub Pharamundo Rege. Quemadmodum pariter post in suas partes divideretur eadem Gens, Annales, si lubet, consule. Non soli Cæsari Commentaria sua exordiri*

diri licuit a Gallia in tres divisa partes.

Ab adventu Saxonum, quippe qui ditiones suas tenebant in Paganismo annis 150, devoluta omnia denuo in deterius. Divisa demum ab eisdem Anglia in Heptarchiam, seu in septem Regna.

Primum, (atque eo ordine hic recensentur, quo Fidem susceperunt) primum, inquam, erat Cantianum: cujus Rex Ethelbertus, Irmerici Cantianorum Regis filius (quartus ab Hengisto, qui regnare ibidem cœperat an. D. circiter 450) Fidem Christianam an. D. circiter 600 amplexus est, e Regum Saxonicorum numero primus: qui & longè ultra Cantianos limites propagavit imperium. Atqui scitu interim dignum est, e Saxonibus nostris quis omnium primus ad Fidem Christianam conversus fuerit. Conversus fuit ad Fidem primus (idque paulò antè quàm inter Britones & Saxones odia aperta gliscerent) S. Richardus, qui pòst Andriæ in Italia Episcopus extitit: idemque, qui sub Pontifice Gelasio Templi illius celebratissimi, D. Michaeli Archangelo sacri, unà cum aliis 4 Episcopis Consecrationi ad Montem Garganum intererat. Vide narrationem petitam ex Offic. Eccles. Andr. in Festo S. Richardi.

Secundum, Saxonum Orientalium. Continebat Essexiam, Middlesexiam, & Hartfordiam, sicuti modò nominantur. Ortum ab Erchenwino an. D. circiter 527. Conversum ad Fidem sub Rege Seeberto (Sabaredum appellat Beda) a S. Mellito, socio S. Augustini, Londini Episcopo primo, quò Cantuariâ mittebatur ab Augustino an. D. 604.

Tertium, Anglorum Orientalium. Continebat Comitatum Norffolciensem, Suffolciensem, & Cantabrigiensem cum Insula Eleyensi. Cœptum ab Uffa an. D. circiter 492. Suscepit Fidem sub Rege Sigeberto an. D. circiter 609, (paulò seriùs aliqui volunt) idque operâ Felicis Episcopi, qui Sedem iis in locis obtinebat, Dunwich *tempore illo nuncupatam, quæ modò a maris incursionibus plùs media parte sub undis latet.*

Quar-

Quartum, Northumbrorum. Et continebat Comitatum Lancastriensem, & Eboracensem: Cumberlandiam insuper, Westmorlandiam, Northumbriam, Plagam Dunelmensem, & Scotiæ partem aliquam. Ab Ida perhibetur cæptum. Sub Rege Edwyno suscepit Fidem an. D. 626: idque industriâ S. Paulini, Episcopi primùm Roffensis, pòst Archiepiscopi Eboracensis.

Quintum, Saxonum Occidentalium. Continebat Terram Cornubiensem: Comitatum Devoniensem, Dorcestrensem, Somersetanum, Wiltoniensem, Berceriensem, et Hamptoniensem. Institutum primò a Cerdicko an. D. circiter 509. Sub Kenegilfo Rege ad Fidem conversum operâ S. Birini Episcopi primi Dorcestrensis an. D. 635.

Sextum, Merciorum. Continebat Mercia Comitatum Glocestriensem, Herefordiensem, Chestriensem, Staffordiensem, Vigorniensem, Salopiensem, Oxoniensem, Varvicensem, Derbeyensem, Lecestriensem, Buckingamiensem, Northamptoniensem, Nottingamiensem, Huntingtoniensem, et Rutlandiam. Cæptum a Creda sub an. D. 586. Ad Fidem converti cæpit sub Principe Peda, seu Peoda, Pendæ filio, an. D. circiter 635 operâ B. Finani.

Septimum, Saxonum Australium. Continebat Suffexiam, et Surriam. Cæptum ab Aëlo, an. D. circiter 478. Suscepit Fidem sub Rege Ethelwoldo (Ethelwachum Beda nominat) an. D. circiter 662. Id effectum operâ S. Wilfridi eorum Episcopi primi.

Secedebant interea Britonum Primores ad Britanniæ partem illam, quæ Wallia *inde nominabatur, seu* Cambro-Brittannia; *quam & sua sub ditione tenebant, retentâ semper avitâ linguâ, atque inde usque ad hæc etiam tempora, perelegante sanè, ut perhibent; & cui multum admodum commune est cum Græca & Hebræa. Cum hac præsertim quàm singularis illi propinquitas sit, ostendit luculentè Libellus quidam, cui Titulus,* Hebraïssimorum Cambro-Britannicorum specimen; *cujus*

 Autor

Autor eruditus, dum Literis Hebraicis operam daret, visum sibi fuisse ait Patriarchas veteres illos, & sanctos Prophetas audire Cambro-Britannicè *loquentes. Erat profectò, quod gratularetur Linguæ cum Mundo natæ cognationem tantam cum sua. Observare proinde istud pariter cum eodem libeat, peculiarem etiamnum quoque esse Hebræis & Cambro-Britannis in cantu symphoniam.*

Dividitur modò in Australem & Septentrionalem. Septentrionalis item in Regiones sic modò nuncupatas, Anglesey, Caernarvon, Merionyth, Denbigh, Flint, Montgomery. *Australis in his:* Cardigan, Pembroke, Caermarden, Clamorgan, Brecknock, Radnor, & Monmouth, *seu* Monumetham. *Hæc postrema, licèt adjecta pòst ad Provincias Anglicanas, numerari tamen solet inter Cambricas.*

His sub aspectu positis, revertimur

Ad Ethelbertum, & Tertiam Angliæ Conversionem. Gregorius Pontifex, *inquit Beda Hist. Ang. l.1, c.23,* Divino admonitus instinctu Servum Dei Augustinum misit, & alios plures cum eo Monachos timentes Dominum, qui prædicarent Verbum Dei Genti Anglorum. *Id factum ait an. D. 596. Mauritii Imperatoris 14, Pontificatus Gregorii 4. Post Britones suscepit Regum primus in Insula nostra Fidem Christianam Ethelbertus Cantianorum Rex; idque effectum operâ dicti Augustini, qui primò cum aliis Monachis ad Insulam Thanatensem appulit. Conversus rex adjecit continuò animum bellorum studiis antè intentum ad opera pietatis. Adit postea Galliam Augustinus: atque in urbe Arelatensi ab Archiepiscopo Etherio, seu potiùs Virgilio, quò munus suum cumulatiùs obiret, 16 Calendas Decembris consecratus est Episcopus Angliæ: idque e Gregorii Pontificis mandato. Vide Bedam lib. 1, c.28. Reversus inde an. D. 598 Idoli cujusdam (non illius, de quo suprà in Carmine) Templum, inter D. Martini Ædem, & Cantuariæ muros situm, quemadmodum habetur*

tur apud Hen. Spelmannum in Concil. Tom. 1 ad an. D. 603, consecravit S. Pancratio puero Martyri; Idque opportunè, ait idem Spelmannus, ob recentissimam Historiæ memoriam de Pueris Anglis, qui Romæ exponebantur venales. Et Templum hoc primum erat, quod ab Augustino dedicabatur. Loco inde motus, atque ejectus Dæmon e possessione, quam diu tenuerat, excanduit vehementer, &, dum prima Missa celebraretur ibidem ab Augustino, nervos omnes intendit ad Templum funditus eruendum. Indignationis reliquit insigne vestigium, quod ad diem inde hunc usque luculentè apparet in muro ejusdem Orientali infestissimi Dæmonis quibusdam veluti unguibus lacerato. Hæc e Spelmanno; quæ sumpsit idem e Veteri Manuscripto Fundationis Monasterii S. Augustini Cantuariæ. At quanta Fidei Christianæ accessio facta pòst fuerit, inde patet, quòd an. D. 598, ipso unico Natalis Dominici die in quadam Angliæ provincia non minùs quàm decies mille sacri Baptismatis unda tingerentur. Hæc e Gregorio lib. 7 Epist. Epistolâ ad Eulogium Alexandriæ Patriarcham.

Mortuus Ethelbertus an. D. 616. id quod mœrorem Regno plurimùm attulit. Sepultus Cantuariæ in Cathedrali. De eo Beda in Epit. & Hist. l. 1, c. 25. Westmon. Molan. Martyrol. Rom. & alii. Regem hunc inter cæteros S. Dunstanus mirificè coluit; qui, cùm nocte quadam ad Ethelberti, Augustini, & Episcoporum consequentium Sepulchra vigil, & precibus intentus assisteret, voces mox audivit Ecclesiastici Officii Antiphonam illam decantantium, Gaudent in Cœlis Animæ Sanctorum, qui, &c. *His attonitus Præsul accessit continuò ad ostium, & per rimas introspiciens, Sacellum totum vidit mirifica luce fulgidum, & Chorus splendidissimos concentu admirabili canentes Antiphonam dictam. Hæc ex Osberto pene, Scriptore antiquo, in vita S. Dunstani. Regis hujus pietatem, & Virtutum exempla singularia, vide apud Capgravium in Vita ejusdem. Affirmat Polyd. Virgil. l. 4 usque ad sua tempora Miraculis*

multis sanctissimi Regis corpus celebre fuisse.

Si quis porrò aveat certior fieri, ad quam Ecclesiam pertinuerit hic Augustinus, consulat is Humfredum nostratem Jesuitismi parte 2, Rat.5, pag. 5, & 627. Mentione factâ de Purgatorio, Oblatione salutaris Hostiæ, Oratione pro mortuis, Reliquiis, Transubstantiatione, Indulgentiis, Monachatu, reliquoque, ut sunt ejus verba, Pontificiæ superstitionis Chao, sic demum rem concludit: Hæc autem Augustinus Monachus a Gregorio Monacho edoctus importavit Anglis.

Subit certè opinari Viro literato per incogitantiam aliquam hæc verba, & temere excidisse. Quòd si res ita veniat in medium, scrupulus hic suboritur unus aut alter, qui poscit evelli. Primus. Foxius nostras, idemq; Ecclesiæ reformatæ propugnator *acerrimus in suis Act. & Mon. pag. 117, mentione illata de Augustino & Sociis, qui venerunt in hanc Insulam Gentis convertendæ causâ, dicit,* Regem permotum fuisse Miraculis, quæ per Dei manum fiebant ab illis. *Similia agnoscit Holinsheadus in Chron. Edit. postremæ, Vol. 1, l. 5, c. 21, pag. 100. Eadem Godwinus in Catal. Episcoporum Angliæ pag. 4: et nostrates pariter ambo. Quæ quidem Miracula tam erant ea tempestate nota, ut testetur Beda Hist. l. 2, c. 3, inscriptum Augustini Sepulchro fuisse,* Suffultus a Deo miraculorum operatione. *Suffulciri profectò oportuerat aliunde, qui superstitionum in Gentem importaret Chaos. Atqui Miracula signa ejusmodi videntur esse, quæ, ut verbis Evangelicis utar,* Sermonem confirment. *Tum propinquam habent, & necessariam originis rationem ad Deum, ut quisquis ea non aliter ac sunt, & absque præjudicio affectionis pravæ velit perpendere, dubitare prudenter nequeat, quin cumulatè admodum probent Deum autorem esse, atque astipulatorem Ecclesiæ illius, in qua fiunt, & ad cujus dogmata promovenda adhibentur. Et certè memini, quod profitetur Augustinus alter l. de Utilitate credendi, c. 17: & l. contra Ep. Fund. c. 4: nimirum* Se teneri in Ecclesia vinculis Miraculorum.

Alter

Alter hic est: Et spectat nimirum ad Mercis illius novæ importationem modò dictam. Stomachatos Britones memini, quòd Fidem Augustinus annuntiaret Saxonibus, de quorum conversione non admodum videbantur soliciti, ob injurias nempe multiplices ab iisdem acceptas, quemadmodum refertur a Beda.

Liceat interim Parenthesim hanc interjicere. Certè ante Saxonum adventum Episcoporum Britonum in Fide integritatem testantur varia Concilia, quibus intererant. Vide Synodum Arelatensem Tom. 1 *Concil. c.* 2, & 3. *Vide etiam Athanasium Apol.* 2 *contra Arianos de Concil. Sardic. cui pariter intererant; Concil. item Ariminense, in quo licet pars major ab Arianis decepta fuerit, laudat tamen Hilarius variorum Episcoporum constantiam, inter quos adducit Provinciarum Britannicarum Episcopos.*

Redeo ad rem propositam. Hi profectò Britones, cùm rationes undequaque studiosissime quærerent, cur visum sibi haud esset communicare cum Augustino operam suam ad Saxones Fide imbuendos, si causam hanc potuissent adducere, Quòd dogmata nonnulla importasset in Gentem, quæ vel minimùm dissedissent ab Institutione, quam a primis Magistris hauserant, enimvero ea valentissima fuisset. At exceptio ejusmodi allata nulla fuit. Neque verò quicquam alicujus momenti reperiebat apud illos Augustinus, a doctrina, quam Româ ipse attulerat, quod abhorreret. Quòd si reperisset, non dissimulasset utique, qui leviora non dissimulabat, Consuetudinem nempe circa celebrationem Paschatis, & minoris controversiæ Ritus aliquot alios. Monuisset saltem, cùm pòst evectus ad totius Angliæ Primatum, Concilio coacto, (cujus meminit idem Foxius pag. 117.) *eos denuo conveniret; aut certè Gregorium ea de re certiorem fecisset, certiorem eundem identidem factum de rebus longe levioribus. Pelagianismus quidem aliquot ante annos in Gentem irrepserat. At pestis illa extincta fuit operâ & industriâ partim propriorum Metropolitanorum, S. Dubritii, & S. Davidis, partim SS. Lupi & Germani,*

mani, Episcoporum Gallicorum. Verùm hi præterea, quæ & ipsi Disciplina imbuti fuerint, cùm in Britanniam venirent, quàm nihil intulerint ab Augustini Doctrina dissonum, non alium consule, quam Seldenum *ipsum in Annalibus Anglo-Britannicis l. 2, c. 1. Certè quàm gratam horum memoriam retinuerint Posteri, testata sæpe Anglia est. Ut cætera prætercam, vide Camdenum in Danmoniis de Pago Cornubiensi prope fluvium Liverum, cui a* S. Germano *nomen. Eundem vide in Brigant. de Monasterio celebri* Selbeyensi *ad fluvium* Ousam, *sic modò nominatum, a Rege Gulielmo primo in S. Germani memoriam ædificato. Monasterii hujus, quemadmodum et alterius a* S. Maria *dicti in Urbe Eboracensi, Abbates in Tractu septentrionali fuere soli, qui sedem obtinerent in Concilio* Parlamentari. S. *Germani nomen profectò in Cambria Australi celeberrimum fuit. Ab illo enim Comitatus Radnoriensis pars* Guarthenion *dicitur. Nam, sicut habetur in Nonnio apud Camdenum in Sil. Vortimerus, Vortingerni filius, quò injurias recentes compensaret* S. *Germano a Patre illatas, Comitatus eidem dedicavit partem illam, in qua lædebatur maximè. Inde Regioni nomen inditum* Guartheny, *id quod sermone Cambrico* Retortam ritè Calumniam *significat. Agebantur hæc proximè ab obitu* S. *Germani. De* SS. *Davide et Dubritio, de Doctrina eorundem, qua informati fuerant, atque Institutione nulli non loquuntur Annales.*

Atqui, ut ad rem institutam redeam, quid porrò peregrinum, aut alienum a Doctrina, quam a primis Doctoribus et Magistris per annorum variorum gradus, et traditiones acceperant, invexerit Anglis Augustinus, non videtur liquere.

Aldiberga. Aldiberga virum sequitur, cui luce præibat
Virtutum ad Fidei lucem. Sic debile nomen

Ethelberti Uxor. Multum illa contulit ad Angliæ conversionem. Sicuti et sub idem tempus Feminarum aliarum ministerio usus est Deus ad Gentes alias convertendas. Hæc e prosa enucleatiùs.

Sæpe,

Sæpe, coloque habilem magis ad molimina Sexum
Admovit generosa Deus. Clodovæe Batildi,
Clotildæ debes Clodovæe. Repugnat Iberus:
Et necdum (*a*) Proles excussit pectore (*b*) Patrem.
Ingundi paret. (*c*) Christi rescindere Numen,
In superosque armare Alpes Insubria tentat.
Arma Gigas Theodelindæ sub classica mittit.
Quæritur ad (*d*) thalamos Uxor. Dat Gallia Bertham.
Annuis, Ethelberte? Vicem (*e*) Batilda reponet.
Et modò, quò spectet Pietas, componere litem
Difficile est. + ~~Studiosa~~ suas dum consulit aras,
Nescio quid mussant blandùm. Aldiberga revixit.

(a) *Hermenegildus.*
(b) *Leovigildum Arianum.*
(c) *Per Arianismum sc.*
(d) *Ethelberti modò dicti.*
(e) *Uti pòst dicetur suo loco in Batilde Anglica.*
+ Catharina

S. *Aldiberga, (sic eam nominat* S. *Gregorius) aliàs Bertha, Regina, Chariberti unius e Franciæ Regibus, et Ingobergæ filia, Ethelberti uxor. Pro-amitam habuit S. Clotildem et ipsa Christiana, et pietate celeberrima. Sub Augustini in Angliam adventum subsidii Aldiberga plurimum attulit ad Ethelberti, et Gentis Anglicanæ conversionem. Gregorius l.* 9, *Ep.* 59 *ad eandem sic scribit.* Omnipotentem Deum benediximus, qui conversionem Gentis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reservare. *Venit in Angliam comitata Lethardo Episcopo, prudente admodum, et pio. Capgravius illum appellat* S. *Augustini Præcursorem, qui januam Fidei Christianæ primam aperuit.*

Atque hìc advertere operæpretium erit hac ipsa ætate adhibitum a Deo fuisse imbellem hunc Sexum *ad Fidem aliis etiam Regnis invehendam.* Sic 4 *annis antè, quàm hæc in Anglia gererentur, Longobardi, qui vel Ethnici, vel Ariani fuere, in Ecclesiæ gremium reducti sunt operâ Theodelindæ Reginæ. Atque ante hoc ipsum anni vix* 20 *intercesserant, cùm Ingundis, Sigeberti Francorum Regis filia, Aldibergæ modò dictæ Amita, seu matertera, singulariter quoque efficax esset ad* S. *Hermenegildum, Hispanum Principem, Virum suum ab Arianismo convertendum. De Clotilde anno* 499 *circa Clodovæum suum non*

est

est ignotum; neque ignotum est de Batilde Anglicâ circa Clodovæum alterum, Francorum Regem. Verum de hac post suo loco.

Edwynus.

In illo Providentia divina enituit: etiam antè, quàm converteretur ad Fidem. A Penda Merciorum Rege tandem occiditur.

Verte aciem. Generosæ oculis se gratia formæ
Commendat; neque factorum se gloria famæ
Commendat minùs. Heroum si provida curas
In memores, cerasque suas incidere fatum
Astra solent, fatum in memores, Edwyne, tabellas
Altiùs incidêre tuum, quàm marmoris esse,
Aut æris solet esse fides. Cœlestibus armis
Pugnabas: castris præerat, (a) tua signa præibat,
Dextram prendebatque tuam, perrumpere suetus
Et vectes ferri, & portarum robur ahenum,
E cœlo Ductor. Patuit via; prævius Autor
Te latuit. Præit, & nescis; sequerisque, fugisque
Quem sequeris. Nosti tandem: emeritumque priori
Militiæ, (b) Duce sub noto modò, nomen, & ipsam
Totius Imperii zonam, pectusque libebat
Militiæ addixisse novæ. Nova bella Ducique
Militiæque sacramentum dixisse probabant.
Fatorum incertos vultus, rerumque licebit,
Hinc quoque prospexisse (c) vices, Edwyne, tuarum.
Ærumnarum orbis stadium est. At nulla catenam
Non Ærumna trahit; dextræque inserta supremi
Numinis effrænem cursum domitura catena est.
O Superûm mite ingenium, indulgentia Cœli
Plurima, Curisque humanis affabile Numen!
Nosse Boni pretium ut possim, Clementia prudens
Attexit quandoque Malum. Ne fortè fatiscat
Attritu mens continuo labefacta, suusque
Virtuti sensim obsoleat color, otia curis
Tempestiva subire jubet Prudentia clemens.
Quam terræ Nox infudit, Sol dimovet umbram;
Quem ruri decussit Hyems glacialis honorem,
Restituit Ver indulgens; Ubi nubibus æther
Ingemuit, nimbisque Aquilonis inhorruit æquor,

(a) *Allusum ad illud de Cyro, Isai. 45,* Cujus apprehendi dextram, &c. Ego ante te ibo, &c. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, &c. Et non cognovisti me.

(b) *Christo sc. cui nomen tandem dedit.*

(c) *Varias expertus erat.*

Ecce

Ecce quies utrique redit; silet æquor, & æther.
Edwynum sua tempestas exercuit. O te
Crudelem, (d) Ethelfride! (e) Suo te devovet Orco
Et Furiis feritas. Pugilem natalibus oris
Restituit Titulisque suum, solioque redonat
Exilii miseri ærumnis exercita Virtus. (cujus
Carole, quem (f) speculeris, habes. Northumbria
Imperium coluit, priscisque e Regibus ipsum
Subjectum Christi imperio Northumbria primum
Quem vidit coluitque, vides. Cui gloria primas
Tanta dedit, meruit palmam. Nec defuit. illam
Penda, Fidesque dedit. Vicisti, Penda. Triumphat
Edwynus.

(d) *Cognita illius perfidia, exulare cogitur, et miserias incredibiles pati.*

(e) *Nam interfectus post Ethelfridus.*

(f) *Nam Edwyni casus, et Caroli in multis non erant absimiles: hujus a Cromocllo, illius ab Ethelfrido. Insuper ab Edwyno repetendam putant nonnulli seriem Regum usque ad Edvardum Confessorem, et deinceps. Verùm hac de re pòst enucleatiùs.*

S. *Edwynus, Rex Christianus primus e Northumbris. Filius erat Allæ Northumbrorum Regis: atque ad cujus nomen allusit D. Gregorius, cùm diceret, Fore brevi,* cùm Alleluja in ejus Regno decantetur. *Alla mortuo an. D.* 589, *& relicto unico filio Edwyno, trienni puello, irrupit in solium Ethelfridus, cognomento* Crudelis; *imperiumque obtinuit* 24 *annis. Ingenio demum Tyranni probè perspecto, capiti suo metuens fugit Edwynus ad Redwaldum Anglorum Orientalium Regem. Quæ discrimina deinde subierit, quàm ab Angelo recreatus fuerit,* &c. *pete ab Huntindon. l.* 2. *Floril, Vigorn. et Pol. Virg. l.* 4. *Post exilium, et angustias plurimas, Tyranno interfecto, traductus demum est ad regale solium. Deo, ut divinitus antè prædictum erat, singularem in modum ipsum protegente, cùm nec dum etiam superstitionem Ethnicam exuisset, et bella plurima suscepit, et plurimas terras adjecit imperio suo, ut Monarchia Gentis Anglicæ Titulis demum ejus accesserit, excepto Cantio. Post susceptam Fidem, eam ostendebat profectò ex operibus. Atqui tantus erat ejus splendor, inquit Beda l.* 2, *c.* 16, *ut, quocunque per Angliam pergeret, Insigne Monarchicum (apud Romanos* Tufa *nominatum) præferretur. Erat autem* Tufa, *ut meminit Lipsius, Globus quidam, quo Augustus*

gustus uti solebat, tanquam Monarchiæ Insigni. Christiani pòst adjecerunt Crucem: quam Edwynus etiam gestandam curavit acceptas Christo referens victorias suas. Sic refert Suidas Justinianum Imperatorem, quò testaretur, cujus præsidio imperium orbis obtineret, sinistrâ Globum cum Cruce supèr imposita gestasse solitum. Quæ cùm observaret Seldenus nostras, in mentem illi venit, quemadmodum in Majorum nostrorum more positum olim apud Anglos fuerit, ut Instrumenta publica sacris istiusmodi notis obsignarentur. Neque verò id inconsultò factum, inquit: quandoquidem et Principes supremi Globulos cum Cruce solerent gestare (globulos stavrophoros) *suæ potestatis indices. Exempla insignia pietatis etiam hujusmodi apud Scotos habes apud Holinsheadum nostratem. At circa Crucem S. Andreæ Scotorum propriam Boethus, l.* 10 *de Scotis, narrat eos, post victoriam quandam (ab Athelstano fortè Danorum Duce, quemadmodum refert Buchananus) reportatam, voto se obstrinxisse, in præliis semper in vexillo se prægestaturos Crucem* S. *Andreæ.*

Miraculosam *Edwyni conversionem, quæ ab adventu Augustini contigit annis circiter 26, refert idem Foxius suprà commemoratus. Neque verò dubitat eandem inserere in Catalogum verorum Miraculorum Tab. Alphab. Act. et Mon. ad verbum* Miraculum. *In bello pòst ad Fidem tuendam suscepto occisus est a Cadwallino, aliàs Cedwalla Britonum, et Penda Merciorum Regibus, qui armis Regnum ejus oppugnabant, an. D. 633. Sepultus magnificè in Æde D. Petri Streneshalliæ, modò* Whitby *dictæ. Westmon. An. 617. Beda l.2 Hist. c: 16, 17, & 20. item l. 3, c. 9.*

Ethelburga.

Regina Viro, non degener Uxor,
Assidet Ethelburga: nec ultrà sperat amores,
Quos Pendæ ferrum violet. Quàm cernimus illi

Ethelberti filia: Edwyni Uxor. Viro interfecto mœstissima, recedit ad Fratrem in Cantium natale: fitque ibi Sanctimonialis è Saxonicis prima.

Non

Non Ethelburgæ similem, quæ flebile Funus,
Supremáque Animam fugientem ad ſydera fruſtra
Voce vocans, abſentem oculis lachrymoſa ciebat,
Quæque armis nequiit, lachrymis ſolvebat adempto
Juſta Viro! Rapto qualis conſorte palumbes
Et viduas queritur noctes, carmenque doloris
Integrat in lucem, chari poſt fata Mariti
Talis ſola domo, vacuis & ſola ſedebat
In thalamis, miſeræ ſolita inter tædia vitæ
Et flendo ſoles, & flendo condere lunas.
Quid faceret? Ponit Dominam: reliquoque remiſſo
Nomine, natali profugam ſe limite condit
Germano contenta Soror. Tonuiſſe videbat
In ſuprema. fugit, valles aditura, novoſque
Induturam animos, generoſam, & quæ neque pallet
Fulmina, Pauperiem. Et patriæ modò finibus oræ
Ægra pedem vix intulerat, cùm protinus (oris
Nympha peregrini) ſeſe tulit obvia (*a*) Virgo.
Veſtis erat, qualem exilii de ſtamine mœror
Priſtinus induerat, veteris bene conſcia telæ;
Et vultus triſti propior: tamen ut cui rugam
Depulit interfuſa ſpei melioris imago.
Pectus erat ſubductum oculis, at quale venuſto
Innocui teſtabantur cum lumine vultus,
Virgineum, maculæque expers, qualique tumebat
Ubere, cui laticem nec dum reſperſerat Anguis
Vipereum, Elyſii Domina & brevis incola primi.
Subſtitit. Ethelburga, venis e turbine belli:
Cladis & indignæ vultus veſtigia ſervat.
Terge oculos. Lacryma in pretio eſt. Hanc damna me-
Fortunæ nulla. Et necdum rupere rudentem, (rentur
Te bene ſi norim, quales hæ cunque procellæ.
Spes dudum cœlo quam jecerit, anchora ſalva eſt.
Aulæ dulce ſuum eſt, fateor; Dulcique venenum
Sæpe ſuum. Nec te fugiunt non una malorum,
Quæ verſant Aulam, diſcrimina. Sufficit una,
Centum alias quæ circumagat, rota. Carmine Siren

(a) *Vita ſc. Monaſtica; à Saxonum adventu ex Anglia dudum exul.*

Perniciosa tuam nullo si luserit aurem,
At cecinit non rarò aliis. Dum lene Fluenti
Murmur, & insidias undæ, mollemque querelam
Acclinis ripæ facili bibit aure Viator,
Palpebris sensim incautis illabitur auris,
Et suadet somnos. Intervenit atra sopori
Interea nox, & lymphæ ludibria prodit.
Cùm Noctem dixi, Mortis meminisse libebat,
Occiduæ manet illa novissima meta diei.
O certè Momentum ingens! cui Secula cursum
Advertunt, humilesque advolvit Signifer Annos.
Sed quid ego hæc? Casu superes sublimior omni,
Et Monitis major. Dominum mutantia gressu
Quàm stabili Regna insistant, didicisse fateris.
Amissas nec, opinor, opes (fruitura carendo)
Ipsa doles. Ratis ut placido se libera portu
Conderet, irato cecidit Merx hostia ponto.
Bella fugis? Limen profugæ Pax læta recludet:
Hospes ego. Me jam nati rumoris ad aures
Si qua tuas nuper tulit aura, *Monastica* dicor:
Sola vocor; Non sola tamen. Quot regia Virtus
Delicias habet, hac totidem sub cannabe regnant.
Ut foris hic sedeat vultûs in limine mœror,
Si cor lætitiæ fontem fovet intùs, abunde est.
Mœsta quidem videor, priscis quia sedibus exul
Exanimem addixi tenebris ingloria vitam,
Dudum sola nimis. Sedem *Brittannia* (*b*) primam
Obtulit. Exuitur titulis Britannia. (*c*) Saxo
Imperat. Inde querar? Lachrymam Aldiberga querelæ
Tersit, Ethelbertusque meæ. Subit una Parentum
Tantorum, & stirpis tantæ dignissima Proles.
Te duce, noctem abigit menti, ducitque diem Spes,
Afflictæ Fidei redivivo e rudere nata.
(*d*) Te duce, prima mihi limen tua Cantia pandet,
Virginibusque meis sedem *Limingia* (*e*) primam.
Spes hinc affulgent quantæ mihi! Quin age, pennas
Indue, (*f*) pulcher Ephebe, meæ modò rore liquentes

(b) *Vide quæ suprà dicta ex Broughtono de Monasterio Arimathiensi Glastoniæ, primum quod erat post Christum natum in orbe terrarum.*

(c) *Inde omnia spectabant ad ruinam usque ad tempora Ethelberti.*

(d) *Nam Ethelburga post Saxonum ingressum, Monialis ipsa, Monasterium pro Feminis primum instituit.*

(e) *Idque Limingiæ in ora Cantiana.*

(f) *Alluditur ad Angelum in Apocal. c.* 21. Habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur, &c. Et mensus de arundine aurea, &c.

Tristi-

Tristitiæ, exiliique mei fortasse refusâ
Nube graves. Deterge. Jugis insiste Notorum,
Quàque ruunt omni volucres e cardine venti,
Flecte aciem. Fluvium Vitæ prætexit *Arundo*
Aurea. Sume. Soli fines metire Britanni;
Et (g) Fines procul illa meos metitur arundo.
Hæc effata manum, linguæ fideique ministram,
Porrigit. Ethelburga subit. Comitemque, Ducemque
Hospitio Terra Excepit: *Limingia* nomen;
Grata situ: taciturna; & sola murmur ab aura.
Hic ubi consedere, salutatæque rependit
Vota Duci Regina, novi fundamina Regni
Continuò ponenda videt. Fundamina signat
Prima *Fides.* Operi accingunt utrinque Sorores
Virgineæ, famulosque armant in pensa lacertos.
Ingreditur, primumque loci sortita laborem,
Et falcem, & marram, & durum *Metanœa* ligonem
Arripit. Extemplo rigidum in sola scrupea dentem,
Horrentesque situ, & sentis hastilibus umbras,
In dumosque, rubosque, & multa cuspide crudos
In tribulos molitur agens. Ubi sylva recessit
Hispida, liberiorque diem mox area fovit,
Nec mora, cum florum sertis accurrere visæ
Mille (h) *Voluptates*; sudore liquentia tergit
Virginis ora Quies, seque alto pectore dulcis
Lætitiæ illapsu tacito, suaque otia condit.
Obnubit (i) Velum crines, quo nupta Pudori
Virginitas Cellæ stabiles despondet amores.
E collo Torques triplex in candida pendet
Pectora. Divellas (k) triplicem quo robore Nodum?
Ilicèt (l) ingeminant festæ modulamina voces.
Alternoque Dies, & Nox operosa resultat
Carmine. Cœlestes & *amant alterna Camœnæ.*
Plura parabantur. Cupidos Regina Magistræ
Amplexus ambit. Satis est. Hoc (m) limite curas,
Quod reliquum est, ait illa, meas, & gaudia figam.
Semita Virtutum illa fuit, stadiumque tuarum.

Cura-

(g) *Vide Monasticon Anglicanum, & fortè miraberis.*

(h) *Lætitiæ conscientiæ post pœnitentiæ labores.*

(i) *De hoc Velo vide Hieron. Ep. 48: Tertull. de Velan. Virg. c. 14: Ambros. cont. Symmac. ep. 12.*

(k) *Votorum nempe trium emitti solitorum: Paup. Cast. & Obed.*

(l) *Refertur ad Chorum Monasticum.*

(m) *Hæc requies mea, &c. hic habitabo, quoniam elegi eam. Psal. 131.*

(n) *Cœlestis sc. quò modò pervenerat.*
(o) *Plurimæ sc. jam in cœlo Virgines & Viduæ, quæ exemplo ejus motæ eandem simul secutæ sunt solitudinem Monasticam.*
(p) *Allusum ad ea, quæ habentur Isaiæ c. 49. & 54. & ad Galat. 4.*

Curarum limes nusquam est. Suprema manebat
Hæc Votis (*n*) meta : hæc curas ad limina ponis.
Prima (vides) *abiere*. Manent suprema. Malorum
Lætitiæ nitor æternus rubigine nullâ
Inficitur, nullo rursus quem funere mœror
Commaculet, nullos afflet cui Penda timores.
Et modò Virgineo fœtu viden' ut (*o*) nova cingat
Turba latus, Matri æternùm assessura propago,
Atque suos e fonte tuo tibi libet honores,
Te referens, genus? (*p*) *Et dices* fortasse, *Quis istos
Quis genuit mihi?* Tanta mihi venit unde marito
Absque toro soboles, & seminis inscia messis?
Erumpe, & clama, quæ non paris. Amplior olim
Desertæ venit, injussa, & sine conjuge, proles,
Quàm quibus Hic Vir, Hic est. Exempli candida messis
Est hæc, Ethelburga, tui. Fœcunda præibant
Exempla : & proles sequitur te tanta parentem.

S. Ethelburga, aliàs Tata, Regina, Ethelberti filia, Eadbaldi tum in Cantio regnantis soror, Edwyni Regis Uxor. Edwyni mortem Reginæ & Regni totius mæror incredibilis consecutus. Post viri necem fugit cum S. Paulino e Northumbriâ calamitosâ ad Eadbaldum Fratrem Cantianorum Regem. Monasterium in Cantio sibi extruxit in loco Lyming *nuncupato, suscepto habitu ab Honorio Archiepiscopo Cantuariensi. Et Feminarum hoc Monasterium ab adventu Saxonum in Angliam primum erat. Extitit inde Mater multarum Virginum & Viduarum, quæ vestigiis continuò sanctissimæ Feminæ institere. Obiit an. D. circiter 647. Sepulta ibidem. Bar. fol. 122: & in vita S. Edwyni Regis. Rob. Bucklandus, & alii.*

Erpenwaldus.

Filius o similis Patri, Natusque Parenti
Dissimilis! Rutilat pulchrùm beryllus in auro;
Pulchriùs in roseæ Pietas sedet ore juventæ.
Filius Edwyni, Redwaldi Natus, utroque
(Diversam in lucem, cœli nec in unius auras)
Editus,

Redwaldo quidem Apostatâ na-

Editus, Erpenwaldus adest: jamque assidet uni
Edwyno, Fidei Virtutumque integer hæres.
Acceptum Edwyno Confessus hujus honorem,
Erpenwalde, refers. Palmas admovit *aratro*
Redwaldus: sed *respexit*. Contentus aratro
Inde manum nusquam Natus, nusquam ora removit.
Paruit Edwyni monitis: Succrescere sulco
Inde novam segetem meritorum, assurgere lauros
Victricis Fidei, capitique adrepere tandem,
Poscereque crinem sensit. Genuisse Parentum est,
Erudiisse Patrum. Vultu retulisse Parentem
Natorum est. Retulisse Patrem qui Pectore novit,
Patremque Edwyno similem, hic (germana propago)
Filius est, idemque simillimus Erpenwaldo.
Patre tuo, Erpenwalde, Parens tuus heu quibus, (isto
Consessu procul) & quantis disjungitur oris!

natus, at potiore jure dicendus Edwyni filius; quippe qui ab eo editus in lucem Fidei, ob quam pariter occubuit.

S. Erpenwaldus, Anglorum Orientalium Rex, Redwaldo Rege Apostata natus, Edwynum patrem meliorem sortitus. Nam illo autore ad Fidem Christianam conversus est; In partem item imperii sui ab eodem surrogatus, titulis & insignibus illi concessis, Orientalium Anglorum Regnum & solium adeptus. At non ita multò pòst a Ricberto Ethnico, instigante Pendâ, in Fidei susceptæ odium interfectus est an. D. circiter 633. Beda l. 2. Malmesb. de Regib. l. 1, c. 5. Huntindon. & alii. Erat autem Redwaldus semi-Christianus, & semi-Ethnicus. Neque verò pænituisse illum apostasiæ credibile est, extructo nempe in eodem templo Altari Ethnico simul cum Altari Christiano: quod ad suam usque ætatem remansisse testatur Athelwolfus, qui Regno illi præerat temporibus Bedæ.

Edwyno par, nec Cœlo minùs auspice (vultu
Quàm nec adhuc bellum eximio, campusve recessit!)

Oswaldus. Christianæ militiæ Pugil meritò nuncupandus. Occiditur demum a Penda ethnico.

Bellator

Bellator ſubit. O pulchri ſudoris arenam,
Militiamque ſub Oſwaldo ductore merentem
(*a*) *In cœli campo!* Palmis (*b*) *Halydonia* campum
Conſternit pugili Edwardo: *Boſüorthia* campum
Richmondo, & Regnum parat: *Agencurtius* armat
Henrico, & Famæ pandit tentoria campus.
Oſwaldum *Cœli campus*, luſtrataque cœlo
Prælia bellatorem addunt annalibus ævi
Alterius. Te (*c*) *Pictorum* tremuere Gradivi,
Anglorum ſeptus thyrſis exhorruit Evan,
Omnigenique *Caledonia* ſub caſſide Manes
Confeſſos *Umbras* faſtus, & numen inermum
Axibus advolvére tuis. Tibi Tartara faſces
Submiſere: tuas eadem ſenſere ſecures.
Inſcribis facto Superos. (*d*) Victricia Petrus
Signa tulit. Prior Edwynus fundamina ponit,
Et Fidei attollit muros. Oſwalde, corona es.
Pendæ ſuccubuit Pugil. Occubuiſſe feretur
Ille quidem. Qui ſuccubuit, qui tela peremptus
Exiit, & cumulis telorum inſiſtere Martyr
Impavidus Cœli inde gradum ad faſtigia fecit?
Muneris in partem numerabit Gloria mortem.
Gloria (*e*) funereo in curru ſedet ipſa; nec ullis
Nominis immortale ſacri decus occubat umbris.
O fortes ad bella manus! (*f*) De Morte triumphat
Illa tamen, quæ palmam inopi protendit amicam.

S. Oſwaldus Northumbrorum Rex: bellicoſus admodum Princeps, & pietate inſignis. Poſt Edwyni cædem revolvebantur in Northumbria retro demum omnia. De ſucceſſione deinde vide Bedam l. 3, c. 2. Nam ſuccedebant e Scotia exules, Oſricus & Eanfridus, Ethelfridi ſuprà commemorati filii, iidemque pòſt Apoſtata.

(a) *Alluditur ad pugnæ celebris locum,* Cœli campum, *ſic dictum.* (b) *Nomina quædam locorum illuſtrium ob victorias recentiores Anglicanas:* Halydonia *circa Scotiam,* Bosüorthia *in Anglia,* Agencurtum *in Gallia.* (c) *De his, &c. infrà in proſa.* (d) *Quod cœpit Edwynus circa Fidem Apoſtolicam Regnis ſuis inducendam, abſolvit penitiùs Oſwaldus. Et alluſum eſt ad Templum D. Petri Eboracenſe ab Edwyno cœptum, cui demum coronidem impoſuit Oſwaldus, ſicuti infrà.* (e) *De columna lucis e rheda ſurgente in tranſlatione Reliquiarum infrà.* (f) Manus ſuas miſit ad fortia. *At illa manſit incorrupta, quæ* palmam extendit ad pauperem. *de qua re pariter infrà.*

Cæsis illis a Cedwalla Britonum Rege, qui Northumbriam armis occupabat, succedit Oswaldus Eanfridi frater, Ethelfridi filius, Edwyni ex sorore ipsius Acca nepos, qui & ipse, Ethelfrido patre mortuo, exulabat in Scotia: ubi Christianam pariter Fidem amplexus est. Piissimus princeps, & in pauperes eximiè liberalis. Vide Bedam de dextra ejus incorrupta post mortem; de qua sic antè pronunciabat S. Aidanus, Dextera tam liberalis in pulverem solvatur nunquam.

Bella plurima suscepit adversus hostes. Præter varias alias Provincias, quas imperio subjecerat, subegit Scotos & Pictos, & Regnum Anglorum *dictum, &, superstitione Deorum inanium abacta, perduxit ad Fidem Christianam. Cathedrali D. Petri Templo Eboracensi, cœpto antè ab Edwyno Rege, manum supremam apposuit. Trucidatus a Penda Merciorum Rege Ethnico Oswestriæ in Com. Salopiensi an. D. 642. De illo Molan. Beda in Hist. l. 3, c. 6. Mart. Rom. Corpus primò sepultum Bardneyæ in Com. Lincolniensi. Inde translatum Glocestriam. In persecutione demum Danica* Reliquiæ *avectæ in Flandriam, & Bergis repositæ in Monasterio S. Winoci. Seculum quoque Principis hujus erat ab Augustini disciplina recens; ac proinde vide, quæ Beda, qui etiam ipse non ita multò post consecutus est, de hoc Principe narret. Memorabile est, quod affert Hist. l. 3, c. 2 de victoria ab innumeris Cedwallæ, seu Britonum copiis reportata, & erecta Cruce in loco pugnæ, cujus fretus præsidio prælium Oswaldus aggressus est. Pugnæ locus* Cœli campus *appellabatur, miraculis illustris. Certè nemini dubium esse poterat de Columna illa Lucis, cujus meminit idem Venerabilis Autor l. 3, c. 11, quæ in* Reliquiarum *translatione ex theca, in qua illæ gestabantur, inde ad cœlum porrecta, conspicua erat toti propemodum Provinciæ.*

Te quoque Regnatorem habuit Northumbria, Tellus *Oswynus.*
Heroum dives; Te vindice nec minùs usa *Prin-*

Princeps integerrimus, dum suis in bello consulit, a perfido amico, mercede seu minis victo, proditus occiditur.

Claruit e tenebris Pietas, & sanguine tandem
Consignata tuo Indigetem te debuit Astris
Defensorem, Oswyne, suum. (*a*) Quàm non tibi notæ
Regnantûm metæ, Ambitio sibi quas vaga ponit!
Aut fines nullos habet, aut, quibus incubat, agros
Confines raro absque tuba mercata libido est.
Ambiguo semper ferri solet alea talo,
Quam jacit in belli campo Fortuna. (*b*) Malignum
Extimuit jactum Oswynus, cui sola timorem
Nempe salus aliena, suique incuria fecit,
Par animis, impar numero. Temeraria virtus,
Et Sanguis præceps Laudis non imbuit aram.
Tutiùs at quò confugeret, (*c*) quàm quò sua quondam
Dona fugæ facerent aditum, invitaret amorum
Fœdus, amicitiæque fides, obsesque futuræ
Tutelæ Donum, ipsa Domus? Patuere Penates
Tantorum impulsi meritorum, & juris aviti
Non modico sonitu. At festino prævia gressu
Turpis Avaritia, & Fidei teterrima pestis
Hospitis interius limen præcepit, & imi
Pectoris insidians alta ad præcordia sedit.
Ite leves Fidei tricæ, ventosa facessant
Fœdera. Pondus, habet pondus venerabilis Auri
Dulce lucrum. Ethelwinus adest: & tinniit aurum.
Huic tamen, huic (*d*) *ærugo* sua est, Hunwalde. Medullas
Perfidiæ illa tuæ, & fibrarum viscera carpet.
Finibus interea patriis excussus, in oras,
Oswyne, imperii stabilis, concedis in oras
Æthereas. Terrarum orbis quos limite signat
Angusto, *Fines* solis tibi terminat astris
Militiæ alterius sudans in pulvere Virtus.
Virtutis pugilem eximium Northumbria cœlo,
Quem genuit, non invidit. Se Principis orbam
Præsidio gemuit: * tanto non Principe dignam
Fassa tamen. Doni poterat fortasse videri
Hæres non indigna sui Gens illa. Poposcit
Dignior. At, *Partem* veritis celare Latebris

(a) *Lis erat Oswyo cum Oswyno de finibus terrarum, seu imperii: eaque belli causa.*

(b) *Declinat pugnam, suorum saluti consulens.*

(c) *Confugit ad Hunwaldi domum, quam eidem ipse antè dederat.*

(d) *Aurum vestrum æruginavit, & ærugo manducabit carnes vestras,* &c. *Jac. ep. c.* 5.

* *De hac re vide infrà.*

Exami

Exanimem, exequias *Tinemouthia* ducit: & Ædis
Virgineæ Funus supplex effertur ad aras.
Nec sua Virtuti, Sceleri nec certa latebra est;
Sanguine nec sopita madent (*e*) Altaria muto.
At fidei te constantem *(f) Tondere!* Pudebat
Oswyno superesse suum potioris Achatem
Et fidei, & famæ. *Hunwaldos* fuge, Carole. nec te
Tonderorum usquam pigeat meminisse tuorum.

S. Oswynus, filius Osrici, (qui filius erat Ethelfridi, de quo antè) Northumbrorum apud Deiros Rex, Christianæ Fidei propugnator acerrimus. Inter Oswynum tandem, & Oswyum Berniciorum Regem circa imperiorum fines orta lis est. Erat autem hic Oswyus (de quo luculentiùs pòst suo loco) Oswaldi frater, Ethelfridi quoque filius, at natus e concubinatu, ut fertur. Cùm pacificari cum Oswyo Oswynus nequibat, ad arma ventum, seu potiùs ad armorum locum. Venit Oswyus cum amplissimo exercitu: at Oswynus copiis impar, (Christiani quippe sanguinis memor magis, quàm salutis suæ) & deprecaturus prælium potiùs, quàm certaturus. Itaque tempori & hostium numero cedens, suosque cædi nolens exponere, dimissis copiis, quà spes utcunque ostendebatur, saluti suæ consuluit. Contulit inde se ad Comitis Hunwaldi tutelam, Viri illius, quem plurimis antè beneficiis sibi obstrinxerat, & cui Domum ipsam donaverat, quò confugit. Aderat interim Ethelwinus, Oswyi unus e proceribus primis: urget omnes minis, promissis, & muneribus, ut Oswynum dedant. Inde effectum est, ut Depositum Hunwaldus falleret, proderetque Regem suum, in se olim munificentissimum, et modò hospitem. Proditus itaque, et a milite immisso nefariè trucidatus est unà cum Tondero Regi fidelissimo. cui ut parceretur, cùm Oswynus obnixiùs oraret, maluit ille Regis fatum subire, quàm Regi extincto superstes esse. Quo tempore, cùm S. Aidanus, Episcopus Lindisfarniensis, ad populum sermonem haberet, patefactam divinitus morte sanctissimi Regis, pronunciabat pa-

(e) *Apoc. 6. Vidi subtus Altare Animas interfectorum,* &c. *Et clamabant voce magna, Usquequò non vindicas,* &c.

(f) *Erat ille Oswyno fidelissimus de quo infrà.*

lam, Non est digna Gens nostra, quæ Moderatorem habeat tam bonum.

Longè abest, fateor, ab operis hujus proposito historiam contexere Virtutum, quæ in Regibus nostris eluxere. At quoniam videbatur sanctus Præsul mortem Oswyni etiam antè præsagiisse, causam subjicere e Beda opportunum erit. Inter cæteras, *inquit*, virtutes, & (ut ita dicam) specialis benedictionis glorias etiam maxima fuisse fertur Humilitas, ut uno probare sat erit exemplo. Donaverat equum optimum Antistiti Aidano, in quo ille, quamvis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel, si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset; cui cùm brevi interjecto tempore Pauper quidam occurreret eleemosynam petens, desiliens ille præcepit equum, ita ut erat stratus regaliter, pauperi dari. Erat enim multùm misericors, & cultor pauperum, ac veluti pater miserorum. Hoc cùm Regi esset relatum, dicebat Episcopo, cùm fortè ingressuri essent ad prandium, Quid voluisti, Domine Antistes, equum regium, quem te conveniebat proprium habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos viliores plurimos, & alias species, quæ ad pauperum dona sufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi specialiter possidendum elegi? Cui statim Episcopus: Quid loqueris, inquit, Rex? Num tibi charior est ille filius equi, quàm ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum; & Episcopus quidem residebat in suo loco. Porrò Rex, ut venerat de venatu, consistebat paulisper ad focum cum ministris. Et repentè inter calefaciendum, recordans verbi, quod dixerat illi Antistes, discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro: festinusque accedens ante pedes Episcopi corruit, postulans ut sibi placatus esset, Quia nunquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut judicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. quod videns Episcopus multùm pertimuit,

muit, & statim exurgens levavit eum, promittens se multùm illi fore placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumque Rex, jubente ac postulante Episcopo, lætitiam reciperet, cœpit contrà Episcopus tristis usque ad lacrymarum profusionem effici. Quem dum Presbyter suus lingua patria, quam Rex ac domestici ejus non noverant, quare lacrymaretur, interrogasset, Scio, inquit, quòd non multò tempore victurus est Rex. Nunquam enim vidi antehac humilem Regem. Unde animadverto citiùs illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est hæc gens talem habere rectorem. *Quæ autem suprà dicta sunt de Sermone Aidani ad populum, habentur in Martyrologio Anglicano.*

Cùm corpus ejus in locum obscurum conjiceretur, indicio cœlesti fiebat, ut Tinemuthiam inde efferretur, atque ibidem in Æde D. Virgini sacra reponeretur magna cum populi veneratione. Miraculis claruit. Oswyum ipsum facti pòst pœnituit. Idemque est, de quo pleniùs pòst. Mort. an. D. circiter 651. De illo Beda in Epit. & Hist. l. 3, c. 14. Westmon. Molan. in Addit. ad Usuardum.

Regem illum! at serto pariter quem duplice donat Sigebertus, *Princeps doctus, et cognomento* Pius.
Doctrina, & Pietas. *Pietas indocta* salebras
Errorum subit; *expertem pietatis* (ut astris
Communem cœli delibet simplicis auram)
Doctrinam, spumæ similem, tumor inflat. Abibit,
Quod tumet, in ventos. Pietatis ab ubere pendet
Doctrina in Sophiæ gremio, Sophiæque mamillam
Alternis petit. * Hæc illam sub luminis oras
Edidit. At non sufficit nox una labori,
Nec denos tantùm numerant fastidia menses.
At Vos, (an Gentis Florem, an magis, ansa querelæ
Nequa sit, appellent Florum mea carmina Gentem?)

Plurimum illi debet Cantabrigia tanquam suo Fundatori. Primus e Regibus monasticam vitam amplexus. A Penda Merciorum Rege occiditur.

* *Sophia, Doctrinæ genitrix.*

Et

Et modò qui Patriæ in laudes adolescitis, & quos
Progenuit, Sophiæque olim commisit alendos
Alma (a) *Parens* (b) *Cantabrigia*, & risisse Parenti
Fama probat, quibus & pariter risisse Parentem,
Plaudite. Virgineam (c) Regum qui primus in Urbem
Traduxit veteres, * Academus vester, Athenas,
Sigebertus adest. (d) Facili qui prænatat alveo,
Moenibus alludens vitreâ pulcherrimus undâ,
Urbi *Cama* dedit * nomen, *Ponsque* additus Undæ
Pontem non indignanti. Cùm sævus Athenis
Prædo excussisset Musas, & barbarus undam
Foedasset sonipes, quam doctior Ungula fudit,
Hanc petiisse, per hunc *Pontem* transisse Sorores,
Et, *Cama* duce, Athenæi potioris in Ædem
Hàc duxisse pedem fama est. Despexit in undam
Una, videbatur limum tractura; silensque
Ingemuit. Sigeberto cum fascibus *Aula*
Imperium, titulum *Pietas* dedit. *Exiit aulâ*,
Et voluit Pius esse. Pius, quàm distet ab *Aulâ*
Cœnobium, neque nescivit. Sub * vertice mundi
Intervallum ingens gemino patet. arduus orbi
Desuper hic nostro procul imminet: at * *videt illum*
Cum Stygiâ lethæa palus, *Manesque profundi*.
Et me fortè capis. Spatii non disparis æquor
Transmisit Sigebertus: transmittere norat
Et Regum primus. Secedere posse potentûm est.
Secedit Sigebertus. Locupletius illo
Et verò quid censuerim, qui cuncta * reliquit,
Se solo se sustentans? Qui cuncta reliquit,
Et nihili in numero posuit, quid dixeris illo
Grandius? In censu humano numerabile si quid
Nonnihil est, pretium certè, numerumque fatemur
Regnis esse suum. Regni, quò prodigus orbis
Congerit Omne suum, solium sublime premebat,
Unde frui licuit, quicquid libuisse Potestas
Et potuisse dabat. Solio descendit. Egenam,
Nulla pari gressu quò flexerat hactenus ætas,

Con-

(a) *Hæc, et notæ literales sequentes circa Cantabrigiam comparandæ sunt cum notis similibus in Prosa.*

* *Inde Academiarum nomen ab Academo viro Atheniensi.*

* *Cambridge, a Cama fluvio, et Ponte, qui* Bridge *Anglicè dicitur.*

* *Arctico, et Antarctico.*

* *Ita Virg. in Georg.* 1.

* Ecce nos reliquimus, omnia, &c. quid ergo erit nobis? *Matth.* 16.

Confugere ad Cellam forsan piguisse licebat;
Ad cellam, quò sola comes ducebat Egestas:
Ad cellam, cui sola dapem curabat Egestas:
Ad cellam, cui sola togam texebat Egestas:
Ad cellam, cui sola torum sternebat Egestas.
Nec tamen huc tenuisse viam piget. O tibi Regum
Primitiæ dulces! Insignibus additur exors
Fama tuis, *Benedicte.* Cliens augustus Olympi
Cùm premeret limen, quàm lætos obvius ibas
Hospitis in tanti amplexus! Ades, inquis, & Aulæ
Alterius portis gressum regalibus infer.
Cuncta reliquisti. Quid erit tibi? Trajice limen.
Experiere, quid Astra parent, quantumque *Futurum.*
Cuncta relinquebat. Spartam dabat avia menti
Cella suam. At sicco Manes componere letho
Privatos, humilesque, reos & nullius aulæ
Quis vetet? Improbitas Pendæ vetat; immaduitque
Exutus Regem Monachus, ceciditque coronæ
Expers, & nullo redimitus crimine vertex.

S. Sigebertus, cognomento Pius, *et quem Beda* Doctissimum *appellat, Anglorum Orientalium Rex, Erpenwaldi Redwaldo nati, frater uterinus. Exulabat in Gallia. Baptizatur a Felice, sacerdote Burgundo, pòst Anglorum Orientalium Apostolo. Erpenwaldo successit demum in imperio. At pòst divino amore flagrans Edrico, aliàs Egrico, consanguineo regnum administrandum reliquit, secedens ipse ad Monasterium, quod paulò antè ædificaverat, ap ellatum modò* Burge-Castle *in Com. Suffolciensi, e regiis Monachis primus. A Penda Merciæ Ethnico Rege Regnum invadente, dum coactus a suis ad bellum suscipiendum, solis precibus ipse & virga armatus, administratione & consilio prælio interesset, occisus unà cum Edrico est an D. 652. De illo Polyd. l. 4 Hist. Wion l. 4 Lign. Vitæ. Westmon. an. 636, & 652. Beda l. 3, c. 18: & alii. Ejus commemoratio in Gallicano Martyrolog. Aug. 7. Academiam Cantabrigiensem a nonnullis primus fundasse perhibetur.*

Sequuntur Annotationes ad Carmen similibus literis signatum.

(a) *Academia Cantabrigiensis sua ipsa laus est. Extant ex Archivis Vigorniensibus Annales pervetusti, qui* & Magni Annales *vocantur, in quibus Cantabrigia* Mater peritorum *nuncupatur. Nicasius Cadnæus eandem appellat* Studiorum Matrem, *ex qua processerunt Doctores olim, & Poetæ totius Europæ. Certè Britanniæ plurimùm debuisse nationes exteras exploratissimum est. Neque verò silent ætates perantiquæ memoriæ. Julius Cæsar in Comment. Belli Gallici lib. 6 Gallos e Britannia Disciplinas dicit hausisse. Ravisius demum Britanniam ait appellatam fuisse* Musarum regnum *propter antiquissimas & ditissimas Academias. Revertor Cantabrigiam. Edoardus Senior in Privilegiis Academiæ Cantabrigiensi concessis* Matrem Philosophiæ, & Fontem Clerimoniæ *illam nominat. Joffridus Croylandensis (cujus historiæ extremam partem Petro Blesensi ascribunt nonnulli) sic de Cantabrigia scribit;* Jam magnam videmus, jam lætificatam Civitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam per plurimos Magistros, Doctoresque Cantabrigia exeuntes ad similitudinem sanctissimi Paradisi. *Erasmus, qui gloriatur etiam Cantabrigiæ studuisse, lib. Epist. 2, in Epist. ad Bovillum, Sic Græcis Latinisque literis, sic Mathematicis Theologicisque disciplinis floruisse asserit Academiam Cantabrigiensem, ut cum primis hujus seculi Scholis certare posset. Infinitus sim, si Matris hujus fœcundissimæ fœtus seu doctrina seu numero præstantes enumerem.*

(b) *De Urbe ipsa Cantabrigiensi. Numerabatur inter celeberrimas temporibus etiam priscorum Britonum. Erat, inquit Huntudonensis, Britannia quondam Civitatibus viginti octo nobilissimis insignita, præter Castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, & portis erant instructa firmissimis. Civitatum autem nomina, ut* Caer-branc, *id est,* Eboracum, Caer-chent, *id est,* Cantuariam, Caer-gorangon, *id est,* Vigorniam, Caer-Briston, *id est,* Bristol-

Bristolliam, & sic de cæteris, reperies apud eundem Huntudonensem. Usserum pariter inspice de Primord. Eccl. Brit. fol. 59. Inter has Oxoniam non videbam. Facilè erat labi in tantâ peregrinitate vocabulorum. Cæterùm Cantabrigia luculentiùs se offerebat, quæ Caergrant nuncupabatur. Nicasius Cadnæus suprà commemoratus Cantabrigiam dicit extructam fuisse anno Mundi 4415 à Cantabro Regis Hispaniæ filio, Gurguntii Britonum Regis tempore.

(c) Commemoratur hoc quidem. Atqui Autores non desunt, (inter quos Lydgatus, Galfridi Chauceri Discipulus) qui asserant Cantabrum Ducem, Partholimi Hiberniæ Regis fratrem, eundemque Athenis edoctum, viros inde eruditos Cantabrigiam advocasse. Nec pigeat oculos reflectere ad Annales Magnos suprà dictos ex Archivis Vigorniensibus, in quibus pariter legimus Cantabrigiam et à Cantabro Duce ædificatam, et philosophis frequentem ante Christ. Incarn. annis 394. Extare præterea dicitur a quibusdam, (quorum hac in re fidem tueri non erit meum) quo testatior fiat Antiquitas Academiæ hujus, Diploma Magni Regis Arthuri, necnon Honorii primi Pont. Rom. ad Cantabrigienses Indultum, in quo et se ait Cantabrigiæ studuisse, eandemque Eleutherii Papæ tempore Academiam fuisse. Huc afferri posset etiam in medium Cadwalladeri testimonium Britonum Principis.

Dixi modò, Commemoratur hoc quidem. Ut concordia proinde ineatur inter Scriptores, et carmini meo autoritatis robur accedat, quæ sequuntur, e Joanne Spedo, Historico nostrate, in suâ Comitat. Cantab. descriptione subjicio: Cantabrigiam nimirum injuriâ temporum Athenis suis spoliatam fuisse; Pictorum nempe, Scotorum, Hunnorum, et denique Saxonum incursionibus rediisse omnia in solitudinem. Vastitati demum Sigebertus modum statuit, reductisque Musis in Regnum suum, advocatisque Artium variarum Magistris, Musarum domicilium præcipuum fixit Cantabrigiæ. Hinc fundator Athenæi celeberrimi

vulgò habitus. Fertur etiam eodem pòst accessisse Bedæ studiorum causâ. Et profectò in tam munificum Principem Posterorum memoriam decebat gratam esse.

(d) *Postea, quemadmodum ex eodem Spedo accipio,* Studentium *numero identidem crescente, querela cœpta de loci angustiis. Inde, ulteriùs extenta sede ad partem septentrionalem, pontem accolebant. A* Cama *proinde fluvio, &* Ponte, *qui* Bridge *Anglicè dicitur, Urbi a causa recentiore nomen inditum. Eximi oportebat latrociniis bellorum Musas tam celebres: sicuti eandem ob causam Athenis parcitum olim a Sylla fuit. At Dani obsurduere. Pòst, regnante Henrico primo, convenientibus eò Gisleberto primùm, Odone, Terrico, & Gulielmo Monachis, Academiæ splendor emicuit denuo; Atque* hoc e fonte, *inquit Petrus Blesensis, (id enim Spedo placuisse potiùs visum est ob rationem suprà memoratam)* Fluvius ingens ortus est, unde Anglia tota frugifera facta per plurimos Magistros, Doctoresque e Cantabrigia exeuntes in similitudinem sanctissimi Paradisi. *Collegium inde primum reditibus amplis instructum* Peterhowse *fuit, sic nempe nominatum, ab Hugone Balshamo Episcopo Eleyensi excitatum an. D. 1284. Vestigiis hujus Episcopi insistere mox alii. Et modò (inquit Spedus) apparent 16. magnificentissima Collegia, & Aulæ, ejusmodi scilicet, ut ob fabricæ pulchritudinem, dotationes eximias, & numerum Studentium, si Oxoniam Sororem exceperis, in tota Europa paria non reperiantur. Cæterùm circa Oxoniæ Collegia, Aulas, & Ecclesias Collegiales ad eundem Autorem in descript. Comitat. Oxonien. remittendus Lector est. Cæterùm quæ pòst accesserint, ut celeberrimum illud Theatrum Seldonianum, &c. è recentioribus petat.*

Sigebertus. Sigebertus adest alter. Viden'? ipse nec idem
Sigebertus adest. Sontes resipiscere, quanti est!
Et potuisse pium docuit peccare, mereri

Occiditur a suis & crimen erat, quòd ad condonandas injurias facilis esset.

(*a*) Et veniam potuisse. Genu qui supplice, vultu
Demisso, lachrymaque reorum vindice crimen
Non abolet, non peccavit. peccasse feretur
Peccato pejus. Sed quo se crimine tangi
Sigebertus ait, rigidique satellitis iras
Commeritum? Regem blandum indulsisse nocentûm
Offensis, oleoque nimis maduisse Coronam
Crimen erat. Certè insimulem nec Aromata culpæ
Alterius: quæ vindictam contusa refundunt
Non aliam, quàm quæ pretiosi ruris odoras
Spiret opes. Neque tondentem secùs impigra falcem
Ulcisci Vineta solent. hac Vinitor acer
Persequitur virides foetus, & dente feroci
Pampineæ teneros umbræ distringit honores,
Duroque imperio sævit: nec Vinea donis
Inde Putatorem cumulat minùs; ipsaque læsæ
Munificos Uvæ latices injuria preli
Haud minuit. Facilis veniæ indulgentia sontem
Arguerit? Culpam Superis aspergimus? Hæc est.
Mortales miseros nimis, hanc nisi Numina peccent.
O (*b*) *Vitis vera!* o Vitis patientia læsæ!
Mortales simili referant in *Palmite Vitem.*

(a) *At quo peccato deliquerit, vide infrà in prosa.*

(b) *Ego sum vitis, vos palmites. Joan.* 15.

S. Sigebertus Saxonum Orientalium Rex. Peccavit: & Ceddæ Episcopi prostravit se ad pedes peccati veniam implorans. Neque peccatum ejus silentio prætereundum est. Accipe a Beda l. 3, *c.* 22; *cujus verba profero.* Habuerat Comes quidam (*& idem erat qui Regem post occidit*) illicitum conjugium; quod cùm Episcopus (*Cedda*) prohibere non poterat, excommunicavit eum. Nihilominus rogatus Rex a Comite intravit epulaturus domum ejus; qui cùm abiisset, obviavit ei Antistes. At Rex intuens eum, mox tremefactus desilivit de equo, ceciditque ante pedes ejus veniam reatus sui postulans. Iratus ille tetigit Regem jacentem virgâ, quam tenebat manu, & Pontificali autoritate protestans: Dico tibi, inquit, quia noluisti

te continere à domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. *Atqui mors illa & culpam diluit, & meritum auxit. Nam pòst, cùm Fides Christiana in Provincia illa propagaretur, trucidatus est à duobus Consanguineis, (quorum unus erat Comes modò dictus) & illam præcipuè ob causam, quòd, præceptis nimirum Evangelicis morem gerens, ad condonandas inimicis injurias proclivis esset. Vide Bedam lib. & cap. uti suprà. Mort. an. D. circiter 661.*

Batildes.

Clodovæo viro mortuo, ingreditur Monasterium.

Anglia Batildem cernit; Clodovëida cernit
Gallia: Saxonidem colit utraque. Nupta, Marito
(Regali neque enim illa prior suffecit amori)
Admovit tedam (*a*) propiorem. Admota medullas
Continuò subiit: Fideique a luce calores
Concepti, & flamma illapsu lustralis ab undæ
Emicuit nova. Christiadûm quòd maxima regnat
Gallia, (Christiadûm si Gallia maxima regnat,)
Clotildæ (*b*) agnoscit donum. quòd Magna perennet,
Batildes Britanna, tuum est. Pede Mors solet æquo
Et turres Regum, atque inopum calcare tabernas.
Calcantem sensit Clodovæus, & ardua colla
Submisit Dominæ. Regi Regina superstes,
Hìc jacet, inquit:——— & amplexu divulsa caduci
Conjugis ad Cellæ tendit Calensis asylum,
Amplexus *Sponsi* alterius subitura, ferendo
Qui vinci Mortem docuit, victamque fateri
Se sepelisse quidem, tamen (*c*) *Hìc non esse* sepultum.
Nupturam & nobis, Lutetia, suffice Nympham.
Redde vicem, Fiat Batildes altera. Fiet
Hinc alter Clodovæus,

(a) *Adjecit Clodovæo nimirum ad tedam nuptialem Fidei lucem.*

(b) *Nam Clotildæ Uxoris operâ Clodovæus primus ad Fidem Christianam conversus est.*

(c) *Surrexit, Non est hìc.*

S. Batildes Regina. In Anglia nata, & e regia Saxonum stirpe. Nuptum data Clodovæo secundo Francorum Regi, Dagoberti filio; cujus etiam opera Clodovæus Christianam Fidem amplexus est. Ex ea filios tres suscepit, Clotharium, Childericum, & Theodoricum. Post viri

viri obitum inclusit se in Monasterium Calense prope Parisios ab ipsa ædificatum, & locupletatum munificentissime. Extructum ab ea pariter fuit Monasterium celebre Corbeyense in Picardia cum aliis multis. Fatendum est, Clodovæo mortuo, antequam in Monasterium secederet, ætate filiorum id exigente, administrasse Regnum aliquandiu. Neque abs re fuerit referre breviter, quod commemoratur a S. Audoeno Episcopo Rothomagensi apud Sur. Decemb. 7. Licèt esset a superbia alienissima, censebat tamen, dum Regno interim præesset, ad regale munus pertinere, ut cultu elegantiore, gemmisque ornata in publicum procederet. S. Eligius, qui recens jam e vita cesserat, cuidam ex Aulicorum numero apparuit, eidemque præcepit, ut Batildem reprehenderet, quòd, Vidua cùm esset, tali cultu uteretur. Ter admonitus, non tamen paruit ob verecundiam. Accessit tandem febris violenta, quæ hominem sui muneris acriùs admonuit. Batildi tum demum rem totam aperuit; & continuò febris abscessit. Ornatum inde omnem abjecit Regina: quem in pauperum usum, atque in opera pietatis universum mox distribuit. De grato demum Reginæ animo erga S. Eligium vide Baronium. Vitam ejus & Mortem sanctissimam habes apud Surium modò dictum 26 Jan. & Decemb. 7, & apud Haræum. Mort. an. Dom. 669. Sepulta in Monasterio Shellensi, seu Calensi: ubi & Miraculis claruit. Sur. Usuard. Baron. Tom. 8. an. 665. Breviarium Sarum, & alii.

An & Calensis ab Anglis *Hereswyda.*
Altera? Ethelheri conjux? Orientis an illa
Hereswyda tui Moderatrix, Anglia? Consors *Viro interfecto,*
Imperii & thalami cecidit. Se, conjuge rapto, *Monasterium*
Quò ferret? Chari solis lux unica sævæ *ingreditur.*
Occidit occursu nubis, medioque recessit
Intercepta die. Pullam concessit & ipsa
In noctem; & (a) mediæ divortia protinus undæ
Prætervecta, suis oblivíscenda, suique
Oblita,

(a) *In Galliam solvit.*

Oblita, in Cellæ tenues se condidit umbras.
Quam video, lux hinc orta est.

S. Heresuyda, filia Hererici Nepotis S. Edwyni, Ethelberi Anglorum Orientalium Regis Uxor: e qua suscepit tres filios, qui omnes Reges post fuere, Aldulphum, Elwoldum, & Beorunam. Post Viri necem, aulæ renuncians commercium omne, in Galliam transmisso mari, Monasterium Calense, seu Chellense, ingressa est; ibique sanctimoniâ omni celeberrima in contemplatione rerum cœlestium quod reliquum erat vitæ transegit. Obiit an. D. circiter 690. Ibidem sepulta. De illa Wion. l. 4 Lign. Vit. Beda lib. 4 Hist. c. 23. Martyrol. Gallic. 20 Sept.

Audrya.

Pulcherrima, & castissima. bis nupta, & semper virgo. Monasterium tandem ingreditur.

Viden'? Assidet Uxor,
Et Virgo. Tedam admisit pia Nupta, nec arsit.
Audrya pulchra verecundo candore, pudoris
Dicta rubere nives, rubicunda & candida tota es.
Ardoris Siculi fœdus stupet, innocuâque
Cum nive fama fidem. Sua nec minùs Ætna jugali
Sæpe toro est: nimiamque cubilibus ingerit ardor
Sæpe facem. Torus ille, tuis innoxius ignis
Ille fidem nivibus tenuit: nec & ipse pudorem
Flammeolis invidit Hymen. Rarissima Formæ
Nubilis, & nuptæ, & tenera nubentis in aula
Integritas; adamas esto, melioris & idem
Scilicet exortisque notæ, quem sanguinis ardor
(*a*) Cinyphii nec & ipse domet. Cùm lucis ad oras
Materni e gremii thalamo successerat hospes,
Pulchrior haud aliàs unquam occurrisse *Venustas*
Dicitur, ingenuamque sinu complexa puellam
Informasse artus teneros, Infantis & ori
Infudisse suos repetita per oscula vultus.
Os in lacteolum properant se ferre Figuræ
Ilicet innumeræ, & Charitum lectissima dona:
Limiteque angusto concludi singula mallent,
Quàm vultu excludi, quo dulciùs ipsa niterent.

(a) Hircus, libidinosum animal: cujus sanguine recente & calido rumpi fertur adamas.

Con-

Continuò didicere loqui, linguamque morantem
Increpuere oculi; radios ostensa nec unquam
Sidera surreptæ lucis repetisse feruntur.
Compositi cunis artus ut prima soporis
Otia captavere, fores ingressa silentes
Admovit roseo vestigia lenta cubili
Virginitas. Candens illi per lactea membra
Descendit cyclas; vultuque in Virginis hæsit
Virgineo sese in vultu mirata *Venustas.*
Substitit. Et, Pupam intuita, O suavissima rerum
Nympha, mea es. (*b*) Litem tamen, inquit, & ore sub
Cerno meam. Te connubiis ambire frequentes (illo
Ardebunt thalami: flammisque jugalibus ignem
Illius accendet vultûs e fomite Forma.
Veris at has ineuntis opes, cœlique benigni
Primitias non abnuerim. Tamen anguis in herba
Sibilat; & crescente Bonum breve carpitur ævo.
Dona fero. (*c*) *Vittam* tenuem ne sperne, Coronæ
Cui certent nullæ. *Zonam* cape. (*d*) Circulus annum
Qui ligat, haud æquè dulces tibi destinat annos.
Nec mora. *Vitta* caput cingit, præcordia cingit
Zona. Nova æterno coeunt in foedera nodo
Virginitas pulchra, & maculæ secura *Venustas.*
 Nupta bis, & Virgo semper. *Vittamne* tenacem,
An *Zonam* mirere magis; quam nulla resolvant
Connubia, & *torrere* queant incendia nulla?
Mundi (*e*) Etheldredam tædet. Secedere tandem,
Seque frui totâ visum est. Et protinus Aulâ
Res sibi habere suas jussâ, sponsalibus Aris
Munificam dotem, & memores addixit amores,
Hæredesque sui dixit. Monumenta Tyrannis
Quæ rapuit, famam delere superstitis ævi
Non potuit.

(b) *Lis est cum forma magna pudicitiæ. Propert.*

(c) *Vitta, & Zona insignia Virginitatis.*

(d) *Zodiacus.*

(e) *Audrya & Etheldreda eadem.*

S. Audrya, sic vulgò nominata, aliàs Etheldreda, seu Ediltrudis, Regina, filia Annasii seu Annæ Regis Anglorum Orientalium, filii Eni, qui Titulli filius fuit, & *Redwaldi*

Redwaldi frater. Et verò fuit hic Anna prole felix. Illo natus Erconwaldus, Episcopus pòst Londinensis, Audrya, de qua modò, Sexburga, de qua mox, Ethelburga Virgo, Abbatissa Barkingiensis, Edilburga Virgo, Abbatissa Briguensis, & denique Withburga Virgo: in Martyrologio omnes ob sanctitatem celebres. Atqui de Audrya modò. Erat Tomberti primò, Gerviorum Principis, postremùm Egfridi, qui Oswyi filius erat, Northumbrorum Regis Uxor; feminarum pulcherrima, bis Vidua, semper Virgo, Deo castimoniam ejus nunquam non protegente. Cum viro Egfrido vixit annis 12, pudore, ut dictum modò, nusquam læso. Viro demum assentiente, Sanctimonialis habitum assumpsit. Monasterium Elyense fundavit in Comitatu Cantabrigiensi amplissima dote in honorem D. Petri Apostoli: ubi & miraculis clara sanctissimè obiit ann. D. 680. De itinere autem ejus, quod suscepit ad dictam plagam Elyensem, de Baculo in Arborem crescente Etheldreds-Rest, seu Etheldredæ pausam pòst dictam, &c. vide Historiam Elyensem in Monastico fol. 89. Templum pòst ibidem extructum S. Audryæ sacrum. Corpus a Sexburga sorore humo sublatum, atque ab obitu annis 16 incorruptum inventum, ad Templum mox translatum est ejus nomini dicatum. De illa Beda l. 4, c. 19, & 20. Tritem. de Viris illust. Flores SS. Angl. Molan. Mart. Rom. De corpore Virginis hujus incorrupto quæ refert Beda l. 4, cap. 19, sunt admodum eximia. Et vide Testimonia, quæ affert. Testis & ipsemet potuisset esse. Cùm enim ista fierent, ætatis annum agebat ipse vigesimum tertium. Et Carmen lege, si lubet, seu Hymnum, quem ipse, cùm adolescens esset, ad Virginis hujus laudes celebrandas composuerat. Extat in ejusdem Bedæ Hist. l. 4, c. 20. De ultione Divina circa militem Danum, qui ferire bipenni ausus est marmoreum tumulum, vide Malmesbur. de Pont. l. 4, fol. 293. At quanta gloria, &, quemadmodum opinatur ipse, præ cæteris gentibus singularis, a Corporum incorruptorum multitudine Angliæ accesserit, consule eundem Malmesbur.

mesbur. de Reg. l. 2, c. 13: ubi de quinque (viz. hac eadem Etheldreda, Withburga, Edmundo Rege, Archiepiscopo Elphego, & Cuthberto) argumentum affert e sua notitia, quorum omnium, inquit, corpora etiamnum manent non absque calore veluti quodam vitali, dormientium speciem quandam referentia. Non abs re pariter fuerit (etsi præter institutum istiusmodi) meminisse, quod refert Beda dicto l. 4, c. 19 ante obitum scilicet doloribus circa collum vehementibus afflictatam Audryam fuisse: quæ res Virgini maximæ voluptati fuit; solitamque dicere, supplicium istud (idque se habere pro certo) sibi meritò contigisse, quòd, adolescentula cùm esset, monilia magni pretii circa collum gestasset. Hinc Harpesfeldius Sec. 7, c. 24 rectè colligit inde pòst in Anglia abiisse in morem apud feminas, ut Monilia gestarent e serico tenui: eamque ob causam Monile istiusmodi Taudrey-Lace *dictum, id est,* Monile S. Audryæ. *Exemplum, quod utinam non veniat in oblivionem.*

Castam sequitur Sexburga sororem. *Sexburga.*
Compegit Cellam Pietas duo Regna sub unam.
Exempli virtus ingens. Regina Magistram *Ercomberto*
Agnovit, Matremque Soror. Quàm sanguis & æquus, *viro mortuo,*
Et concors! Ambæ Annasides, regalibus æquæ *sororem Au-*
Imperiis, animis æquæ concordibus ambæ, *dryam secuta*
Hæc Ercomberti conjux: Egfridus in illa *secedit pariter*
Uxorisque fidem, & thalami socialis amores *in idem Mo-*
Repperit: Uxori thalamum, Uxoremque remisit. *nasterium.*
Quam vovere, Deoque sacram pepigere sorores,
Exolvére fidem: Votorumque utraque metam
Attigit. (*a*) Inferri cineres Mors cæca sepulchro (a) *Incorrup-*
Crediderat. Jus elusit fatale sepulta *tæ ambæ post*
Integritas. Initum fœdus cum Morte (*b*) Parentes *mortem.*
Quod subiere, soror subit utraque. Terra poposcit (b) *Primi sc.*
Pulveream Legem. Rea pulveris Audrya nulla est, *in Paradiso.*
Sexburgæ nullæ. Imperio sic cedere brumæ
Planta solet. Summam vitæ ne turbida totam

Vastet hyems, Vitæ Radix integra sepultæ
Asservat vitam.

S. Sexburga Regina, Annasii, seu Annæ suprà dicti filia, Audryæ soror, Ercomberti Cantianorum Regis Uxor. In tractu Cantiano locum quendam singularem delegit, quem ab ipsa locupletissimè fundatum habitationi assignavit Religiosarum Virginum. Erat autem locus ille in Insula Shepeyensi, ab Ovibus *sic dicta, quibus abundabat. Post Viri obitum Mundi curis se subducens Statui religioso se addixit, tradiditque in disciplinam S. Audryæ sororis suæ in Monasterio Elyensi. Mortuâ sorore, cooptata in regimen ejusdem Monasterii sanctissimè ibidem & vixit, & obiit an. D. circiter 699. De corpore Audryæ sororis incorrupto dictum suprà. Corpus item Sexburgæ ab obitu annis 7 sublatum e sepulchro integrum simul cum vestibus atque incorruptum inventum, non secùs, ac si paucis antè diebus obiisset. De illa Molan. in Addit. ad Usuard. Vincent. in Spec. l. 15, c. 32. Westmon. an. D. 640. Beda l. 4, c. 19.*

Ermenilda. Tenero quàm lumine signat
Natam Ermenildam Mater, Matertera Neptim!
Felix Ermenilda, sinu Sexburga pudico
Quam peperit, tantoque sinu, seque Audrya dignam
Agnovit. Tantam, felix Sexburga, Sorori
Quæ Neptim peperit, Natam sibi. Suspicit (*a*) illam,
Suspicit (*b*) hanc (*c*) Nata & Neptis: nec utrique visa
Suspicienda minùs. Terris excedere jussit (cissim
Hora Virum, Regemque novissima. Filia Matrem,
Reginam, posito imperio, Regina secuta est.
Nam quò se ferret? (*d*) Sæpe illam flectere molli
Alloquio tentant Proceres, & sæpe severi
Consilii Suadam telis gravioribus armant.

Post Ulferi, Viri sui, Merciæ Regis mortem Monasterium ingreditur.

(a) *Matrem Sexburgam.*
(b) *Audryam Materteram.*
(c) *Ermenilda, alterius Filia, alterius Neptis.*
(d) *Avertere eam ab instituto conantur Proceres.*

(*e*) Fortè

(c) Fortè nemus, (nam sic memini) cùm duceret (umbras
Inclinata dies, extremæ finibus aulæ
Contiguum petiit. Lateri, quâ gratior unâ
Nulla fuit, mentisque sinum cui sueverat uni
Credere, suspenso gressu comes ibat Amoesbe,
Jam senior: curisque recentibus ægrior ætas
Mentis in afflictæ vultu interiore sedebat.
Ut ventum in virides latebras, penetrale salutant
Umbrosum, elatoque artus in cespite ponunt.
Sic demum Ermenilda. Tuis mea, dulcis Amoesbe,
E monitis certè poterant sperare medelam
Vulnera: at ore nimis, nimis ore probantur ab illo
Tristitiæ argumenta meæ; Dextrâque prehensâ,
Ulferi me funus, ait, me tangit, Amoesbe.
Quid moeres moerore meo? Natura dolere
Nos sinit; at nimium prohibet Natura dolorem
Naturæ de lege queri. Silet illa; gravemque
Interea nubem lacrymis suspiria laxant.
Tandem ait: Ulferus moritur tibi. mortua vivet
Ermenilda mihi? Longè fugit, heu, æternas
Luce mihi dilecta magis fugitura sub umbras.
Ire paras? Quid præsagis? (ignosce dolori)
Quò properas? Gressus subit infortunia præceps.
Fortunæ ille solet nunquam comes ire secundæ;
Adversam raro antevolat. Te moesta sequetur
Regia, te vidui Proceres, te squalida luctu
Mercia, te gemitus rerum exequiæque sequentur.
Auspiciis ah te decuit melioribus uti.
Ver ætatis adest, & responsura juventæ
Forma----.Verecundo licuit parsisse rubori,
Ermenilda, nec incautam erubuisse juventæ
Dona. Suum formæ pretium est. gratare juventæ.
Non has incassum dotes Natura, suasque
Nec temere prodegit opes. Hæc munera coeli,
Qualia non aliunde fluunt, (absiste moveri)
Non hæc in medium veniunt. Nec divitis aulæ
Fortunam, cui si nutum tamen annuat ætas

(c) *Et præcipuè una e feminis illustrioribus, atque illi charissima, & modò ob recessum Ermenildæ ab aula jam imminentem tristissima. At tristitiam illam opinatur hic Ermenilda ortam ex obitu Regis Wulferi.*

Indulgens, venia est; nec blandimenta FavonI,
Cui sociâ communis *(f)* amor respondet ab aurâ,
Puppi allabentis memoro. quis provida damnet
Vela tamen, Zephyroque pedem factura vocanti?
Hæc ego prætercam, virtutis conscia dudum,
Ermenilda, tuæ. Mentis fastigia tantæ
Suspicio. Et Regum diademata vertice toto,
Et res humanas supra es. Mens ardua lustrat
Orbem alium, sphæræ alterius Spes insidet arcem,
Inde suo terram in puncto visura, suumque
In puncto nihil. At Mentes tamen esse fatemur
Æthereas, quæ sublimem ad commercia nostra
Demittunt alam. Partem quid subtrahis Aulæ
Dotalem, Regina, tuæ? Quam Mercia dotem
Vendicat, Ermenilda sua est. *(g)* Hesterna recepit
Nos in Ovile dies: furias hodierna luporum,
Et Pendæ revocat Manes. hesterna vocavit
In portum: in medios æstus hodierna resorbet.
Tuta Fides? esto. Vitiis patet Aula. ruinas
Virtutum supplere tuum est. quæ fulciat Aulam
Præcipitem, tua præbebunt exempla columnam.
Hìc interpellans, reliquaque ambage remota,
Suscipit Ermenilda; Docet me dulcis Amœsbe,
Quid timeam, docet: & tantam quæ femina molem
Non timet, hoc ipsum timeat. *(h)* Sexburga, parentem
Te sequitur: Natamque foves, Sexburga, sequentem.
Nata nec invidit quos Matri *(i)* cederet annos.
Nata sui partem vixit. pars addita Matri
Cætera. Tandem annos pars utraque cessit in æquos
Totius Æterni.

(f) *Subditorum sc. qui mirificè illi studebant.*

(g) *Nam non ita multò antè Mercia ad Fidem convertebatur sub Oswyo, Penda occiso: de quo tamen infrà.*

(h) *Inde continuò institutum persequitur.*

(i) *Nam ante Matrem obiit.*

S. Ermenilda Regina, Ercomberti & Sexburgæ Cantii Regum filia, Neptis Audryæ, Wulferi, qui Pendæ Tyranni filius fuit, Merciæ Regis Uxor. Post obitum Wulferi, relictis Aulæ deliciis, & in Monasterio Elyensi habitu religioso assumpto sub tutela Matris suæ S. Sexburgæ, & piissimè vixit, & ante Matrem obiit an. D. cir-

D. circiter 685. Sepulta ibidem. De illa Pet. in Catal. Molan. in Addit. ad Vſuardum. Weſtmon. & alii.

Subit Ermenburga; Ducemque
Virgineus ſtipat chorus, agnoſcitque Patronæ
Præſidium numeroſa cliens. Colit Eyſtria Neptim,
Ercomberte, tuam, Fundatricemque ſalutat
Grata ſuam. Nec munificam minùs inclyta (*a*) Fratres
Prædicat in geminos pietas; ſociæque Sororis
Purpureo cum Fratre canit præconia Frater
Concolor. Ethelberte, tuas quo carmine laudes
Proſequar, Ethelrede, tuas? Suſpiria neſcit
Hic locus. Et novit ſolus laudare, dolere
Qui novit. Citharam video tamen, ((*b*) Alitis illam
Ætherei) nulli miſcent cui fila Dolores,
Lætitiæ accinuere cui ſua carmina ſolæ;
Laudes, Ethelberte, tuas canat, Ethelrede,
Illa tuas. (*c*) Sedem petiit, qua prodiit, atrox
Thimuri ſcelus. Æthereas tranſmiſit in arces
Egregios Pugiles, Aſtrorum filia, Virtus.
Ermenburga duces ſequitur: ſed tramite pergit
Diverſo. Callem pergenti Cantia pandit;
Sternit iter Doni memor Eyſtria.

Ermenburga.

Relictâ aulâ, Monaſterium Eyſtrienſe, quod antè fundaverat, ingreditur.

(a) *Templum enim & Cœnobium extruxit in honorem Fratrum ſuorum, Ethelberti & Ethelredi a Thimuro interfectorum.*

(b) *Nam & Angeli confeſſui huic regio interſunt: de quibus mentio ſuprà.*

(c) *Sicuti poſt in proſa.*

S. Ermenburga Regina, Ermenredi filia, Ercomberti Cantianorum Regis Neptis, Merwaldi Merciæ Regis Uxor, (e quâ ſuſcepti Mereſinus filius, filiæ, Milburga, Mildreda, & Milgitha, inſignes omnes ſanctitate vitæ) virtutum & ipſa omni genere celeberrima. Domneva nomine alio appellabatur. Merwaldus hic Pendæ filius fuit, frater illius Peodæ, ſub quo primùm Mercia ad Fidem acceſſit. Nam licèt ad ditionem Oſwyi (de quo infrà) poſt Pendam occiſum acceſſiſſet Mercia, Peodæ tamen, (cui Alcfledam filiam nuptum collocavit) permiſit eam gubernandam: quemadmodum & Edelwaldo Ethelberi fratri adminiſtrandum Regnum Anglorum Orientalium. In honorem Fratrum ſuorum, Ethelberti & Ethelredi.

redi, Templum Ermenburga Eystriæ speciosum prope Sandovicum in Cantiâ, & Cœnobium extruxit.

De Fratribus his, quoniam successio illis in Regnum Cantianum debebatur, hæc pauca. Ermenredo ante patrem Eadbaldum mortuo, relictis duobus infantibus Ethelredo & Ethelberto, Ercombertus, Ermenredi frater natu minor, imperio potitur; quod & pacificum fuit, & diuturnum. Ercombertus jam morti proximus Nepotes suos, Ethelredum & Ethelbertum, committit tutelæ Egberti filii & successoris sui. Cùm jam adolescerent, præter cæteros Thimurus, aliàs Thunerus, qui Regni Consiliis præerat, apud Egbertum identidem vehementiùs institit, ut ne foveret ulteriùs periculum suum. Restitit diu consiliis impiis: at, cæteroqui Princeps eximius, tandem siluit. Arrepto illo veluti quodam annuentis indicio, Ethelredum & Ethelbertum sua ipse manu Thimurus clam confodit; &, ne res patesceret, sub sella regia interfectorum corpora, injectâ terrâ, clanculum pariter operuit. Interim, dum sellâ facti Rex ignarus insideret, flammâ mox erumpente, facinus sceleratum in lucem prodiit. Inde dum honos debitus integerrimis & sanctissimis Juvenibus instauraretur, Thimurus supplicii meriti jam immunis, (facinoris noxam in se totam Rege tranferente) pietatem Regis irridens, terra dehiscente absorptus est; ad Inferosque descendit, sicuti habetur in Malmesb. de Pontif. lib. 4. Miraculis inde crebris SS. innocentia testata est.

Ad Ermenburgam redeo. Ad Monasterium Eystriæ suprà dictum Viro ipsa consentiente secessit, congregatis eodèm 70 aliis piissimis feminis. Mortua ibidem sanctissimè an. D. circiter 680. De illa Polyd. l. 4 Hist. Angl. Matth. Westmon. an. 654, & 676.

Eanfleda.

Oswyo Viro mortuo ad Monasterium Strene-

Femina prodit
Nata sub algidiore polo. Tamen ætheris algor
Nescio quos animos generoso sidere fibris
Inspirare solet. Friget Northumbria? fervet;
Et plaga quâ non incaluit magis altera. Virtus

Zona

Zona sua est. Natam Edwyno propiora recepit
Connubialis Eanfledam in commercia tedæ
Oswyus. (*a*) Illam ætas aluit, communis & æquo
Fomite fovit amor, pietasque indulsit amori.
Irrupere toris fata, & jam parcere tandem
Nescia restinxere facem, thalamoque supremi
Funeris accendere (*b*) novam. Funebrius arsit
Illa: viam sed curriculi melioris ituræ
Præluxit, Regina, tibi. Strenshallia, limen
Pande, seram sepone. Tuos Regina Penates
Ingreditur supplex, & Natæ filia Mater.
Nata Genitrici norma est: docilesque magistræ
Submittit Titulos Ætas grandæva Juventæ.
Prima fuit, quam lustralis Northumbria tinxit.
Lustrandâ certè (*c*) Satanas e Virgine cessit:
Et cujus nihil in Domina, seu Matre repertum est.

Strenesballiense secedit sub moderamine Filiæ suæ.

(a) *Tedam connubialem sc.*

(b) *Teda tam pertinet ad funera, quàm ad nuptias.*

(c) *Satanas superbiæ princeps. Et allusum ad verba illa, Baptismatis inter ritus usurpari solita,* Exi ab ea, &c. Et exiit ita, *ut ne minimum quidem superbiæ vestigium seu vel etiam in Dominæ seu Matris titulo pòst apparuerit.*

S. Eanfleda *Regina,* Edwyni *filia,* Oswyi *Northumbrorum Regis uxor. Prima in Provincia illa Baptizata. Eâdem autore Monasterium extruxit Oswyus,* Gilling *modò nuncupatum in expiationem cædis S. Oswyni. Post Viri obitum ad Monasterium D. Petri Strenesballiense in Northumbria se contulit: ubi etiam ad Sanctimonialium cœtum se adjunxit sub moderamine filiæ suæ S. Elfledæ Abbatissæ, de qua pòst in Oswyo. Mort. sanctissima Femina an. D. circiter 690. De illa Wion l. 4 Lig. Vitæ. Beda l. 4 Hist. Angl. c. 20. & alii.*

Penda Kyneburgam genuit pater. Ecce Columba,
Cygneâ nive candidior, quâ Lilia candent
Et fragrant minùs, Astrorum cui semita certet
(Lactea ut illa fluat) nulla: intemerata Columba,
Vulture, qui (*a*) Regum sacro Busiridis aras
Sanguine quinorum tinxit, quo fœdior ales
Caucason incoluit nullus, Stymphalide nato
Vulture progenita. Argento non detrahit alæ
Nidus hic, O Kymburga, tuæ. Te regia nido

Kyneburga.

Pendæ Tyranni filia. Aula relicta, vitam monasticam amplectitur.

(a) *Oswaldi,*

Ex- Ed-

Edwyni, Annæ seu Annasii, Sigeberti, & Edrici seu Egrici.

(b) *Sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.* Cant. c. 5.

(c) *Pennæ Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Psal. 67.

(d) *Quasi columba seducta non habens cor.* Ose. 7.

Extulit implumem Pietas: quàque agmine (*b*) *Rivus*
Arguto sonat, & *pleno* fugit unda *fluento*,
Hìc fidei *residere* suæ decrevit alumnam.
Hìc ubi jam teneris species succreverat annis
Integrior, *lactis* niveo te nectare *lavit*:
(c) *Dorsum auro, argento pennas* perduxit; & artus
Composita variæ nituerunt lucis ab aura.
His adolescebas donis; has patria sensit
Mercia, sponsalis coluit Northumbria dotes.
Dives eras; nec egebat Inops, te Principe, dives.
Sancta; nec Aula minùs nituit, te Præside, sancta.
At pavidam ille tuo signat te *pallor* in auro.
Et quia, quæ non in bivio sit, rara Juventa est,
Rara præest Virtus, cui se non allinat Aula,
Et quia nec menti exciderat (*d*) *seducta Columba*,
Vecors illa, fugæ queritans dispendia seræ,
Quid faceres? Alas timor addidit. Avia Cellæ
(Fraudibus occultis procul, & procul unguibus uncis)
Speluncam, Kymburga, subis. Madet ala veneno
Nullius illecebræ. Cœlo se credere tentat,
Tentat, inoffensæ subsidunt nubila pennæ.

S. Kyneburga, aliàs Kymburga, Regina, Alfridi Northumbrorum Regis Uxor, Pendæ Ethnici, Merciorum Regis impiissimi, filia. Etiam necdum Christiana innocentiæ singularis specimen fuit. Fidem Christianam, quæ post Patris mortem per regnum Mercianum disseminabatur, amplexa est, atque, ut Capgravii verbis utar, Speculum extitit omnis sanctitatis. Ad conversionem Infidelium, atque in pauperum sustentationem intentissima. Pietatis ejus exemplum tantùm valebat apud Alfridum, ut Harpesfeldius Sec. 7., c. 23 pronunciaret Regis aulam in quoddam veluti Monasterium, & Christianæ discicipline Scholam fuisse brevì conversam. Eo annuente Monasterium ingressa an. circiter 696. SS. Kyneburgæ, & Kinneswidæ sororis translata corpora Peterburio, seu Petri-burgo Dormuncastrium, seu Dor-mundicastrum à

S. Ethel-

S. Ethelwoldo Ep. Wintoniensi; ubi & Monasterium insigne in earundem honorem ædificavit an. D. circiter 980. De illa Polyd. l. 4. Ran. Cicest. l. 5 Hist. Westm. an. 705.

Siste. quid inviti peccavimus? Astra supersunt
Sola, voluptates mutæ. Non improba, (Cœlo
Improbitas nulla est) non insidiosa, (quis ausit
Insidias Superis affingere?) candida nubes
Illa quidem est; in Nube tamen, si dicere detur,
Esse negem invidiæ nihil? An seclusa redibunt
Gaudia? an excubias etiam hac mutare Voluptas
Et Dolor in statione solent? Sic dulcia quondam
Hospitis & Cœli pariter commercia sensit
Intercepta Thabor. (*a*) Nubem strinxisse nec illam
Visa querela minùs. Cœlum libasse juvabat
Vel sic, & modicè. Sic divitis ora Sabææ
Cùm legitur, noto Arabiam spirantis ab auræ
Indicio mox felicis vicinia terræ
Se prodit. Superûm dulci quàm spirat ab ora
Gratus odor! Steriles, & veri Dulcis egenæ
Quam terræ sordent! Hæc Regibus otia Cœlum,
Et cœlum Virtus peperit. Nec regia Cellas
Erubuit tenues, Divûm sata sanguine, Virtus.
Inscia nec Virtus oti fuit. Et sua Cellæ
(Et solio quàm non similes!) regalibus olim
Virtutum hospitiis pepererunt otia Cellæ.

Nubis inopinato interventu intercipitur Regum conspectus. De nube simili suprà: cujus etiam ibidem ratio affertur.

(a) *Et facta est nubes obumbrans, &c. Marc. 9.*

O Animæ fortunatæ nimis! Et bona norunt
Fortunatæ Animæ, seu quæ dimissa pudicæ
Spreverunt olim, seu quæ possessa beatæ,
Et modò salva tenent. Quæ dimisere rependit
Pax animi. Nec dimissis caruere: potitæ
Hòc mage, quò cupiere minùs. Jaculamur in ævum
Multa; sed intentæ mentis, jaculique cupido,
Quòque acies votum collineat, una Quies est.
Una quies, quam longinquas & Gangis & Indi
Nautarum spes velivolæ petiere per undas:

Hic (occasione viz. sumpta a proximè præcedentibus Monasteria ingressis) de pace & quiete sancta Vitæ monasticæ.

Una quies, quam Marmarica sub rupe latentem
Eruere in lucem Fossor contendit avarus:
Una quies, quam Sarrano mulcere sub ostro
Cygnea cupiunt fulti lanugine Somni:
Una quies, quam visa Rhodos promittit, & aurei
Ad Solis Mensam Famæ conviva Viator:.
Quam signant Aulæ, castris quam tessera pugnax
Edicit, clangorque tubæ sonat, una Quies est.
Ecce nihil non irrequies. Reperere Quietem
Nec Bellum fidens armis, nec fraudibus Aula,
Quæsitæ nec Odysseis erroribus Urbes,
Nec thalamos auri qui perrupere Ligones,
Nec Remi celeres, nec inertis Somnia plumæ.
Omnigenos suscepit, & addidit ipsa Quirites
Roma Deos. Reperere Joves, & Vejovis aram
Repperit. Ipsa rotis recubans Axungia pinguis
Olfecitque, oluitque Arabæ suffimen acerræ.
Naris nulla querebatur. Sine numine (b) sola,
Nusquam culta, vaporum expers, inodora manebat
Sola Quies, inhonora Quies, Quia nulla reperta est,
   Novit habere cupido, frui non novit. (c) Ad algam
Littoream spes angustas qui navigat, illi
Algâ Quies. Animi in gremio latet aurea, Divûm
Gaza, Quies. Dormit teges inculpata, Quietem
Et fovet. Edicunt pacem, quæ pectoris æstus
Bella domant. Aulis profugæ imperiale Quieti
Hospitium Cella est. Quam promisere sequaci
Visa Viatori Vulpes nigra, candida Cornix,
Densque Libys, quàm macra Quies! Miracula fumum
Ad patrium potiora videt, cui Mens sua campum
Explicuit, Mentis qui septa domesticus ambit.
   Felices (d) Animæ ter & ampliùs! His sua voto
Æqua (secuturi fugiens alimenta doloris,
Intemerata, Bono nec personata fugaci)
Parta Quies. O felices, quæ, gurgite Mundi
Emenso, fluctus ausæ tranare tumentes,
Optatum Cellæ germen retulere, Columbæ!

(b) *Diis innumeris aræ olim extruebantur Romæ, nulla Quieti. Sic nimirum Scriptores antiqui notant: atque ob rationem hìc allatam.*

(c) *Comparationes breves reflexæ ad dicta suprà de Nautis, &c.*

(d) *Monachales sc. modò visæ.*

In pelago nos interea jactamur. (e) Oliva
Non rediit. Redit, & rodit qui viscera, Corvus.
Offensum certè, offensum est. * At conscia noxæ
Et noxæ vindex Nubes ut in æthera purget
Et scindat se, nonne vides? Rediere, reducto
Sipario, erepti nobis spectacula Cœli.
O rerum quæ lætitiæ! Et spem fenoris offert,
Tristitiæ pulsâ nebulâ, reditura voluptas.
Sebbus in occursum primus venit. Oswyus ora
Affini cupidè intendit. Ceadwalla sequestram
Sermoni arcano medius non abnuit aurem.
Nescio quid dubium in vultu est. Nec pectora curæ
Nostra minùs dubiæ versant. Spes inde subortæ,
Inde metus.
Orientis adest lux inclyta Sebbus,
Saxo, tui: pascente regens in Principe Pastor.
Parca manus gemitus inopum ferit, orbis amores
Larga manus. Dextram vultu comitante benignam,
Sebbus adest, Pupillorum solamen: & idem,
Quo Pastore fuit Paupertas absque querela,
Londinum quo Rege superbiit. Attamen Urbem
Sæviit in tantam læsi quæ Numinis ira,
Et Sebbo (a) regnante? Minatur, & induit hostem,
E Nemesisque adytis prodit quandoque, severus
Ultor, Amor. Pestem excepit feralior Ignis,
(Brucho avido Rubigo hæres, Eruca locustæ)
Et Carolo (b) regnante. (c) Liquescet Cera. Lutosam
Durities Urbem quæ dixerit? Et sua Sebbo
Ter denos post imperii quod gesserat annos
Parta quies in secessu est. Sacraria Paulus
Obtulit augusto cineri. Sepelire sepultum
Nec modò Londino libeat.

(e) Arca nimirum nostra omnino dissimilis.

** Reducta nube apparent denuo Reges.*

Sebbus.

In pauperes munificus. Monachalem vitam amplectitur. Sepelitur Londini in Æde D. Pauli.

(a) *Nam ejus tempore contigit Pestis atrocissima.*

(b) *De Peste nupera, & Incendio suprà.*

(c) *Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit uno eodemque igni, &c. Virg. Eclog. 8.*

S. Sebbus, Sewardi Regis filius, (non Edilredi quemadmodum ait Harpesfeldius) Saxonum Orientalium Rex. Regis hujus tempore pestis illa extitit, qua, teste Westm. & Hunting. l. 3, nulla unquam calamitosior. Hinc fiebat,

ut Sigkerus Rex, Sebbi frater, & Regni Collega, ad superstitionem pristinam rediret, sperans inde ab Idolis suis subsidium; quem tamen Apostasiæ pòst pœnituit, reductum ad saniorem mentem operâ S. Sebbi. Postquam annos 30 Sebbus piissimè regnasset, Cœnobium SS. Petri & Pauli ingreditur Londini. In pauperes munificentissimus. Distributis ad eos sustentandos bonis universis mortem sanctissimam obiit an. D. circiter 675. Sepultus Londini in Templo D. Pauli. Vide quæ memorabilia scribit Beda l. 4, c. 11 de sepultura ejus. Monumentum hodieque visitur parieti contiguum ad partem Templi septentrionalem. De illo Stous, & Spedus de Reg. Saxonum Oriental. Beda l. 4, c. 11. Martyrol. Rom.

Ceadwalla.

Ambitiosus primò & ferox juvenis. Pòst edoctus Evangelicam legem mirificè mutatur. Inde Romam profectus baptizatur a Sergio Papa: & paulò pòst moritur ibidem, Albâ *necdum positâ.*

Ceadwalla feroces
Aspicis ut torva posuit cum casside vultus,
Elatos cum vultu animos? Quà volvitur ingens
Euphrates, vertexque ferit (*a*) Babylonius astra,
Planities immensa, atque in pomœria campi
Vasta patent. Hìc ætheriæ memor ille repulsæ
Militiæ dux infandæ, imperiique retentans
Ferale auspicium, furiis in bella refectis,
Castrorum elegit sedem. Proh! Mænades inflant
Classica quàm tumido fastu! Sub signa Nerones
Continuò—Quid plura? Etiam Ceadwalla subibat
Accitus longè auxilio, & Stygis æra merebat.
Hinc procul adversis positam in convallibus Urbem
Insignes famâ despectant vertice montes
E gemino, lætamque situ, formaque decoram:
Dixerunt Solyma indigenæ. Quâ dulcior usquam
Hortis nulla Sioneis illabitur unda,
Decurrit vitreo (*b*) Siloe prope mœnia rivo.
Hìc vallis modicæ in gremio tentoria ponit
Militiæ alterius Ductor, stridentia ferri
Illa quidem sonitu nullo, sed qualia Bethles

(a) *Babylon & Jerusalem Civitates duæ mysticæ: hæc Christi, illa Luciferi.*

(b) *E radice montis Sion in* Natatoriam *delabitur: inde in hortos vicinos. Baptismi figura fuit. Ita Ambrosius.*

Ar-

Armigeræ quondam in campo Clementia fixit.
Explorator adest Ceadwalla. Resedit ad oram
Extremam *cælestis Aquæ* purissima formæ
Ingeniæ, & cultu niveo suavissima (*c*) Virgo;
Et Pugilem blandè aspectans, Quis prælia suasit,
Tam nobis adversa, furor? Da jungere dextram,
Quisquis es, inquit, & hospitio succede pudicæ
Virginis. Hæc effata, jubet discedere lymphas.
Discessere sinu lato, mediumque liquentes
Hospitis in thalamos juvenem misere. Renident
Crystallo, & liquido laquearia pumice pendent.
Nec mora, (sic Divæ placuit) regalia (*d*) tingit
Ora latex. Riguos oculis aspergine molli
Ut primùm affudit rores argenteus imber,
En (*e*) video, Ceadwalla infit. Color ut modò rebus,
Pulsa nocte, suus rediit! Venalia sumptu
Non nisi sudorum tanto quàm Gaudia livent!
Quàm conserta Corona rubis! Quàm decolor Aurum!
Cui studiis nuper tantis operosa palæstræ
Incubuit mens, heu, tetro quàm pulvere sordet!
Hospitis hìc niveæ mirans humentia regna,
Et modò diverso natos e pumice Fontes
Conspicit, & patriis ortos modò fontibus Amnes:
Inde caput, Lycus unde, Tagusque, fluentaque Nili
Prima ruunt: unde irriguum Pactolus in aurum,
Purpureas tumet in gemmas Nabathæus Hydaspes:
Unde suo gemini Thamisis formosior alveo
Oceani despondet opes. Hìc optima Virgo
Ceadwallam intuita: & placido mox lumine signans
Ausonium Tybrim, Fluvium hunc ex omnibus unum
Delige, quem mireris, ait: quo pulchrior, & quo
Ditior ambrosio tinget te flumine nullus.
Nec certè *amisit verum vetus* (f) *Albula nomen.*
Agnovit vocem Juvenis. (*g*) Ceadwalla Quirinum,
Sive (*h*) abjurati septenas Numinis arces
Non petiit; *Petrum* agnovit. (*i*) Mutare colores
Purpura sæpe solet. Mutavit Sergius albo

(c) *Innocentia sc. baptismalis.*

(d) *Præludium Baptismi futuri.*

(e) *Alluditur ad illud Cæci missi ad Siloen Joan. c. 9,* Lavi, & vidi.

(f) *Sic primò dictus ab albo colore.*

(g) *Romam adit, ibi baptizandus.*

(h) *Martis sc. quem, licèt bellicosissimus, abjuraverat, Christi insignia modò induturus.*

(i) *Est dictum quasi proverbiale de Regum fato non admodum raro.*

Pur-

Purpureum. Felix *Alba*, & cui murice nulla
Sidonio certent usquam conchylia! felix,
Expertem maculæ Pietas quam candida nevit,
Divini lateris candens e sanguine Palla!
Albam hanc invexit cœlo Ceadwalla, colores
Non mutaturam.

S. Ceadwalla, Kentwini successor, e regia ipse stirpe, a Ceaulo descendens, Saxonum Occidentalium Rex. Ambitiosus juvenis primo supra modum, & furias anhelans: at post Evangelii in formam mirifice mutatus. Tantam apud eum venerationem habuere Episcopi Christiani, ut, cùm necdum ipse Christianus fieret, Provinciam Vectensem S. Wilfrido demandaret, in qua disseminaret Fidem Christianam. Post, imperio relicto, Romam profectus comitante S. Aldelmo Monasterii Malmesburiensis Abbate, atque in Italiæ ingressu a Cuniberto Longobardorum Rege magnificentissime exceptus, Romæ deinde sacrum Baptismum suscepit a Sergio Papa: cui & Petri nomen impositum. Paucorum inde dierum intervallo, cùm necdum Albam exuisset, mortalem & fugacem vitam cum æterna commutavit an. D. 689. Sepultus in aditu veteris Templi D. Petri. Extat Epitaphium ejus. Vide Bedam l. 2, c. 7. Westmon. ab anno 686 ad an. 689: & Bedam eundem l. 4 Hist. c. 12, 15, & 16: & in Epit.

Oswyus.

Pendam ethnicum Merciorum Regem debellavit; & Fidem Christianam in Merciam invexit.

Nec adhuc Northumbria vultum
Detersit. Videone Ducem, cui Mercia tandem
Subdidit arbitrium campi, qui Tartara templis
Exegit, Pendam solio, nec forte Tyranno
Tartareo absimilem Furiam. Convivia tingi
Sanguine (a) Lex olim vetuit. Quàm sanguine solo
Expleri Pendæ interea sitis effera novit!
Virga fuit, quam Vindictæ Nemesisque ministram
Divinæ admovit dextræ (sic pristina gentis

(a) *Cave, ne sanguinem comedas*, Deut. 12.

Fata

Fata poposcerunt, & (*b*) læsi Numinis iræ)
Justitia. Et Virgam appelles; & ferrea certè
Virga fuit. Multo mox ebria sanguine, Dextræ
Oblita est, cui servibat. Quo pulchrior ora
Perfudit belli nunquam, manet alter arenæ
Northumbræ sudor. (*c*) Bellum sine Mænade rarum est.
Virtutes castris profugas in castra reduxit
Oswyus. Integritas illo Duce sana, Pudorque
Illæsus (Martis socia sine (*d*) Virgine bellax)
Jam dociles inflare tubam, castosque furores
Induere; albentique assueta Modestia vittæ
Efferre in solem vultus, & cingere lauro
Bellatrice comam didicit. Nec (*e*) victima bello
Prævia, victrici deerat nec Tessera pugnæ,
Voto assensuræ patrio fiducia Natæ.
Quàm signis tamen imparibus procedere cerno
Instructas acies! Media inter millia sævit
Penda, ferox armis: summo cui vertice *Famam*
Expandentem alas, & plausus ære cientem
Sustinet ardentis galeæ, flammamque vomentis
Sanguineam sublimis apex. Umbonis in auro
Cælantur (*f*) Regum effigies, quos dextera ferro
Sustulit. Ultoresque geri Victoria nescit
Sæva suos. Hæc sunt, inquit, queis Gloria pasci
Nostra velit. Sol Hebræi dum prælia campi
Despiceret, famulasque (*g*) Duci permitteret Horas,
Cunctantes hæsisse rotas, properamque Diei
Suspendisse fugam pressas Æthonis habenas
Nescio quæ fama est. Properet, per me licet, Æthon
Mobiliore rota; lorum citus audiat Æthon,
Phœbe, tuum: Oceanoque refer, mundoque remoto,
Quid possit Penda. Ex Horis mihi destinet unam
Cynthius, & satis est. Campi si fervere Martem
Hoste aliquo, similique tui, Pellæe, viderem,
Nomine quo attonitæ gentes, alaque timoris
Avectæ Delphos peterent, foret Hercule dignus
Ille, manuque mea. Quòd si tamen Oswyus hostem

(b) *Ita intelligendos fortè Autores censuerim: licèt eum nominent Flagellum bonorum.*

(c) *Allusum ad Oswyni cædem, uti suprà, ab Oswyo, &c.*

(d) *Venere sc. Et allusum pariter ad Patris bellicosi concubinatum, uti fertur, de quo suprà pauci.*

(e) *Oswyi filia infans, de qua in prosa infrà; quam Statui Virginali ante prælium devoverat sub conditione victoriæ obtinendæ.*

(f) *Edwyni sc. Oswaldi, Annæ seu Annasii, Sigeberti, & Edrici seu Egrici: de quibus etiam suprà.*

(g) *Josue uz. Jos. c. 10.*

Ex-

Exuerit, novit qui debellare superbos,
Parcere subjectis didicit quoque Penda. Saluti
Sic ubi cauta timet Vento indignante, caputque
Pacem oraturum supplex inclinat arundo,
Transfert ille minas aliò, veniamque petenti
Dat miseræ veniam. Quid, pulvere nate superbo,
Vana tumes? Et jam telis obtexere cœlum,
Missilibusque diem parat hostis: & Oswyus umbra
Pugnat in hostili. Fremit arduus æquore toto
Penda: lacessit atrox pugnam, damnatque Deorum
Socordes animos. Quos tela Typhoëa terrent,
Oswyus exanimat magis, integritasque (h) Puellæ
Votivæ modò, lactentisque infantia Cellæ.
Terga Jovis video, Tegeæum deficit Harpe,
Clava jacet, jacet Ægis, Apollineæque pharetræ.
Penda furit. Vento similes, qui fata repellunt,
Cum fremitu venti spirant: & flamma revixit.
Occumbit Nemesi Penda, expiratque ferocem
Cum gemitu indignans animam. Sub Tartara tendunt
Turgentes fastu Manes: & lumine torvo
Angustas, laxasque minùs, quàm fama ferebat,
Fastidisse fores trabeata Superbia fertur.
E bello interea profugæ stant montibus altis
Numinum abactorum turbæ, & sua funera longè
Despectant. Cædes infrà, & dolor: & patet omnis
Ad Manes campus. Telum sepone, minasque
Ultrices, Oswi. (i) Viden'? Æthere desilit aureo
Læta Fides, (pennâ tenebris quà nubila findit
Obsita, purpureis signat vestigia candor)
Candida, sanguineoque suorum e murice rubra,
Luce umbrata comas, & fulgida Lucis ab umbra,
Pulchra Fides. Læto quam portat ab æthere palmam
Sume, Pugil Fidei pulcherrime, sume rubentis
Mercedem teli palmam. Se Mercia vinci
Si doluit, non erubuit. Se miscuit Aris,
Hæredesque sui scripsit Victoria Divos.

(h) *De qua suprà.*

(i) *Nam Fidem pòst in Merciam invexit. Fides candida ob puritatem; purpurea ob Martyrum necem; Lucida & obscura: quippe* Argumentum non apparentium.

S. Oswyus,

S. Oswyus, Ethelfridi, de quo suprà, filius, Oswaldi Frater, Northumbrorum Rex. Bellator eximius. At idem hic est, qui S. Oswynum antè interfecit, ut suprà meminimus in Oswyno, quem facti pòst admodum pœnituit. Subegit bello Pendam Ethnicum Merciorum Regem, & Fidem Christianam in Merciam invexit. De hoc Penda obiter hæc pauca. Wibbæ Merciorum Regis filius fuit; & successit in imperio fratri suo Ceorlo an. Dom. 626. Bellicosus, audax, & arrogans ultra omnem modum. Huc accessit, quòd superstitioni atque impietati Ethnicæ addictissimus esset. Ut primùm itaque solio potitus est, quietis impatiens, neque de Causæ æquitate solicitus, adoritur bello civitates finitimas, involat in fines longinquiores, & Provincias undequaque replet tumultu & terrore. Vide Malmesbur. l. 1 de Reg. c. 4. Erat omnium potentissimus.

Cùm igitur Northumbros Penda variis incursionibus vexasset, atque obstinasset animo pacem nullis conditionibus admittere, prodiit in aciem Oswyus, at cum exercitu Pendæ copiis tricies minore. Ante pugnam se voto obstrinxit, si victoria potiretur, filiam suam Elfledam, infantem adhuc, quippe quæ vixdum ætatis primum annum expleverat, consecraturum se Deo in Statu perpetuæ Virginitatis. Dimicatum atrociter. Tandem, cum auxiliaribus copiis propè universis, in fugam versæ Legiones Pendæ triginta, cæsique totidem præfecti cum ipso Rege. Pugnabatur in regione Loidensi (Leeds modò nuncupata) in Com. Eboracensi, ubi 30 circiter annis antè Edwynus Cadwallinum Britonem profligaverat. Voti paterni memor filia piissima Monasterium deinde ingressa est, Heortesig nominatum, sub Hildæ Abbatissæ sanctissimæ tutela. Fundavit Oswyus Ecclesiam Cathedralem Lichefeildiæ, & Cœnobia multa extruxit in Regno proprio. Et verò Lichfeildiæ mentio hìc opportuna. Civitas est in Com. Warvicensi: quo loco (vide Camdenum in Cornav.) annis antè circiter 287 trucidabantur ob Fidem Christianam mille Christiani illi, quos S. Amphibalus

Martyr paulò antè converterat. Civitas inde Lichfeildia *fertur nuncupata, hoc est* Cadaverum campus; *quibus etiam* Insignibus *utitur Civitas ad hunc usque diem. Locus certè non indignus, qui, Merciâ modò ad Fidem reductâ, Merciano in Regno Basilicâ, modò dictâ, tam celebri decoraretur. Mortuus Oswyus an. D. 670. Sepultus Strenshalliæ. De illo Beda l. 3, c. 24: & l. 4, c. 5. Spedus in Reg. & Monarch. Anglo. Sax.*

Alfridus.

In aula vitam piissimam instituit, & quodammodo monasticam. Tandem imperii anno 21 Cœnobium Melrosanum ingreditur.

Et Paci bellum, & Paci suus est quoque Pæan.
Hac certaturis oti pacalis in umbra
Nec sudor, solesve sui, nec præmia desunt.
Huic sedem Paci Pietas si deligit Aulam,
Indue thoracem Pietas; bellare necesse est.
Pacificæ Pietas in castris militat Aulæ,
Alfrido duce. Pæanem cecinere secutæ
Pacis deliciæ, & meritorum conscia Virtus.
Nec verò latuit Pugilem certaminis anceps
Alea, multiplicique recens e vulnere sanguis.
Tutiùs ut tali possit se credere bello,
Bellatricem Aulam (*a*) Monachales erudit artes,
Castraque *Cœnobii* in speciem locat. Et quia *Divos*
Accire auxilio visum fuit, additæ castris
Porta duplex, (*b*) hæc Eoo cognominis Astro,
Hæc Vespertino: & geminæ custodia portæ
Creditur *Euchitæ* gemino. Quæ cætera belli
Militia? *Invidiæ* dicent, odiisque frementes
Occultis *Inimicitiæ*, quas emovet armis
Innocuis pia *Simplicitas*, emissus & arcu
Ipse suo prosternit *Amor*: malè candida dicet,
Quam Meritis expugnat *Honos*, & *Gloria* laudi
Concolor, *Ambitio*: dicet circundata luxu
Immodico vesana *Licentia*, compede legum
Quam domat, & fræno parere *Modestia* cogit.
Hinc tuba contiguas (*c*) Floralis personat auras,

(a) *Nam Regis hujus Aula in quoddam veluti Monasterium videbatur conversa, ut suprà in Kyneburga ex Harpesfeldio.*

(b) *Alluditur ad preces matutinas, & vespertinas. Euchitæ etiam vocabulum usurpatur a sacris Scriptoribus.*

(c) *Allusum ad illud Juven.* Dignissima prorsus Florali Matrona tuba: *quoniam per tubam evocabantur Meretrices ad Floralia.*

Et

Et risus oculis jaculatur mille *Voluptas*,
Sæviat ut magis : & laxant hinc *Otia* nervum,
Ut feriant magis : & turres educere cœlo
Aëreas, nubesque habitare *Superbia* tentat,
Ut sternat magis. At Pugiles quibus impigra telis
Instruat *Integritas*, castus *Labor*, accolaque imis
Sobrietas, animis spoliata *Superbia* dicet,
Dicent exuta insidiis, excussaque castris
Otia, septisque ingenuis inclusa *Voluptas*.
At *Curas* Aulâ quis depulit ? Omnibus hostes
Involitant illæ stationibus. Ergo age castris
Utere Cœnobii alterius, latebræque recessu
Te Melrosanæ sepi ; discesque, Coronæ
Quàm porrò distet Curis, Alfride, Cucullus,
Et Monachos alios inter commune Beatum.

Beatus Alfridus, Northumbrorum Rex duodecimus, pius imprimis. Hic vigesimo primo Regni anno (citiùs opinantur nonnulli) regni muneribus renuncians ad Cænobii Melrosani Monachos se contulit ; ubi vitam duxit sanctissimam, observantissimus instituti & disciplinæ Monasticæ. Mortuus an. D. circiter 710. Sepultus ibidem. Beda. l. 5, c. 13. Wion l. 4 Lig. Vit. c. 6.

Ex iis, quæ de hoc Alfrido dicta sunt in hac Annotatione, sunt, quæ subeant non modicam controversiam. Non tamen censui omittendum. Nam, quæ commemorata sunt, reperio in Martyrologio Anglicano Edit. 3, ad 14 Martii. At Testimonio Bedæ, quod affert, & quod ipse consului, fateor rem non evinci.

Sed nec Ethelredo sapuit magis Aula. Modestæ
Delicias Aulæ, Regnique tragemata prandit
Ille quidem : at fastidivit ; Monachique, relicto
Imperio, cœnavit olus. Commendet Alumnos
Ægypti Thabenna suos, queis ditior olim
Nilus erant oculi, Metanœæ tesqua rigantes ;
Laudem habeant Syriæ nemora, hirsutusque pilosæ

Ethelredus. Merciæ Rex. Tenuit regnum annis 30. Inde vitæ monasticæ ad-

addixit se: a demissione animi singulari notissimus.

Thebaidis rigor; Insomnes Soracte latebras,
Et crudo memoret profugas a Cæsare noctes.
Mercia Ethelredi *Nihilum* miretur. Et ingens
Mentis demissæ Nihilum est. Mens cæterà grandis
Grandior in tenui. Natale Superbia cœlum
Nacta, pyroporum circundata fulgure pectus,
Fulminis aggressa imperium excussisse Tonanti,
Sæpe tamen pannos inter, stramentaque serpit
Exilis tuguri. (*a*) Labentis ab æthere Tedæ
Nec Cellam afflavit Fulgur, nec contigit Aulam,
Ethelrede, tuam. Mens sola ingentis Olympi
Sola capax modica est.

(*a*) *Vidi Satanam tanquam fulgur*, &c.

S. Ethelredus, Wulferi frater, variorum Monasteriorum fundator, Merciæ Rex. Regnum administravit annis 30 *summa cum integritate. Reliquit demum Coënredo Nepoti. Monachus inde factus in Cœnobio Bardneyensi Com. Lincoln. præluxit cæteris virtutum omni genere, summa præsertim animi demissione admirabilis. Mort. an. D. circiter* 716. *Ibidem sepultus. De illo Westm. an.* 705: *Beda l.*5 *Hist. c.* 20: & *in Epit. an.* 704.

Inas.

Bellicosus, & pius. Post varia tam Romæ, quàm in Anglia munificentiæ relicta vestigia Romæ moritur. Sepultus ibid.

Inas succedit. at idem,
(Huc geminas huc flecte acies) quem sola subegit
Christiadûm Regina Fides, Pietasque sequentem
Inde suos vidit Petri ad Capitolia currus,
Et vectigalem coluit (venerata Clientem)
Supplicis Imperii delibans oscula Roma,
Hic Inas ille est. Sepelivit Roma: (*a*) fidemque
Dudum intermissam queritur, Cinerumque sacrorum
Detinet obstrictum pignus, dum provida nexu
Expediat litem, condictumque Anglia nomen.
Non abolenda solo vestigia Principis hærent,
Hospita Roma, tuo, (*b*) Quo *Fundatore*, palæstram
E patria tellure migrans Britanna juventus
Artibus ingenuis exercuit, Ausonioque
Ingenii nervos habiles perfudit olivo:

(a) *Constantiam viz. designati æris.*

(b) *Gymnasium Anglicanum ædificavit Romæ.*

Quo

(c) Quo *Sponsore*, sui Britones amplexa peculi
In partem, obsequiique fidem stipulata futuri,
Ad Tybrim Ausonium, testes & fœderis undas,
Incoluit Templum sponsale Puerpera Virgo.
Inæ Roma memor. Suus Anglis excidet Inas?
Saxonici sectas inter Moderaminis oras
Limite in Occiduo media est, ditissima glebæ,
Somerseta. Dies animo non eximat Inam,
Somerseta, tuum. Resonis quem plurima cœlo
Fama tubis æquat, meritis quemque altiùs egit
Astra super Virtus, nulli virtute secundâ
Seu meritis celebrem venerare, suique merendo
Qui te tam fecit memorem. (*d*) Monumenta revise,
Seu quæ marmoreis Wellenses molibus Ædes,
Tectæ auro seu quæ celebrant Glastonides Aræ,
Munificæ monumenta manus, quæ prisca prioris
Retulit in fastos ævi, quæ postera, seri
Quam referent orbi soles, mirabitur ætas.
Miratura fuisset. At obstitit Unus; & idem
Sceptro usus, (*e*) scuticâ ceu demessura papaver
Dextra salax, crudo Stygius quàm Navita conto
Non aliter. Monumenta rotis mala subruit ævi
Cuncta dies: Hic ante diem. Se vertit in aras
Luxuriæ furor. At Crœsus tamen ille Neronis
In solio (*f*) pauper. Spoliare *Regentibus* olim
Cœnobia & Cellæ Solium regale solebant.
Hic ultùs satis & supèr est. At pondere Manes
Infesto quàm dudum urgent immanè ruinæ!
Vivere post cineres famæ est. At vivere famam,
Qualem (*g*) Ephesi tribuunt cineres, det (*h*) lamina
Alitis hi cineres utinā (prô, quæ mora?) fiant, (candens,
Quæ cineres doceat plumescere, vivere mortem.

(c) *Item B.V. Ædem sacram prope Tyberim.*

(d) *In Anglia Basilicam Wellensem, atque Ædem Glastoniensem, in Com. Somersetano.*

(e) *De Tarquinio illo notum.*

(f) *Vide suprà Par. 3. p. 103 e Joanne Stoo.*

(g) *De Erostrati fama notum, qui templum Dianæ Ephesinæ combussit.*

(h) *Quid sit lamina candens, dicet Propertius:* candescat lamina vernæ, &c.

S. Inas, Saxonum Occidentalium Rex. Hunc e regio sanguine Principem, cui proavus erat Cuthbaldus Kenegilis Regis frater, elegit in Successorem Ceadwalla suprà dictus e Procerum consensu. De Legibus Inæ numero

ro 75, *quas Malmesburiensis de Reg. l.* 1, *c.* 2 *mirificè laudat, & quæ remanserunt usque ad Conquestorem, vide Spelman de Synod. fol.* 182. *Sunt dignissimæ, quæ legantur. Vir erat inprimis pius & bellicosus; cujus bella varia & insignia memorantur a Scriptoribus. Primus Denarium, nuncupatum vulgò* Rome-Scot, *seu* Peter-pence, *imperavit singulis familiis in suo Regno pendendum quotannis Ecclesiæ Romanæ in honorem D. Petri Apost. Cœnobium Wellense in Comitatu Somersetano fundavit cum Basilica ibidem Cathedrali. Ex integro denuo ædificavit celebratissimum illud Monasterium Glastoniense in eodem Comitatu: ubi & Sacellum extruxit insignitum undique auro & argento e lamina solida. Incredibile est, quid in Sacelli hujus cæterum ornatum impenderit Rex piissimus. Atqui hæc omnia sub Hen.* 8. *diruta. Pòst Romam petiit. Gymnasium ibidem extruxit Genti Anglicanæ: Templum quoque insigne in honorem B. Virginis ad Tybrim fluvium prope Nosocomium S. Spiritus in suburbiis D. Petri, eoque in loco, ut creditur, qui* Saxia *olim appellabatur a Colonia Saxonica. Absumptum pòst utrumque incendio. Monachi habitu suscepto sanctissimè obiit ibidem an. D.* 727. *Sepultus in aditu veteris Basilicæ D. Petri. De illo Polyd. Virg. l.* 4 *Hist. c.* 5. *Malmesbur. de Reg. Angl. in Ina. Flores SS. Ord. D. Bened. Tabulæ Eccl. D. Petri Romæ.*

Edilburga Inæ uxor.

Amor utriusq; mutuus insignis. In Monasterium *illa secedit in Anglia, Inas* Romæ.

Ad latus Edilburga sedet. Sibi repperit illam
Adjutricem Inas similem. *(a)* Dormitis Adami
Non rarò, vestras vobis cùm ducitis Evas.
Virgas sæpe soporiferas qui dixerit ipsas,
Dixerit ille fidem propiùs. Tibi ducitur, Ina,
Edilburga, (*b*) tuos eadem excussura sopores.
Quæ vestris præluxit amoribus, arbore tedam
Non aliâ natam esse rear, quàm Conjugis ignes

(a) *Alluditur ad illud Gen.* 2. *Cùmque obdormisset, &c.*

(b) *Nam illâ maximè excitante, viam iniit perfectiorem: sicuti infrà ex Malmesburiensi.*

Quæ,

Quæ, (c) Zacharæe, tuæ fovit, quæ Conjugis ignes
Fovit, Elizabetha, tui. Cùm litoris oram
Ambigui nuper legerem, concordibus undis
Confluerent gremium geminus quà rivus in unum,
Fœdera transmitti lymphas in mutua vidi,
Alteram in alterius commercia læta fluentem.
Et se amiserunt, & se reperere, repertæ
Et duæ & una. Tuos, Ina, referebat amores
Ambarum indiscreta monas, referebat amores,
Edilburga, tuos. Vocum discrimina septem
Esse ferunt: & concentum miramur in unum
Interfusa. Tuos, Ina, canit illud amores
Vocum connubiale melos, canit illud amores,
(*Multiplici* vocum symphonia dulcis in *Uno*)
Edilburga, tuos. Mentes commercia miscent
Æthereas, usu quàm sejunctissima nostri
Illa *Mei*, nostrique *Tui*. penetrabile pectus
Cuique patet, sociamque in pectora mutua pectus
Transmittit, recipitque aciem. Communis in omnes
Gaza fluit, cunctasque beat quod cuique beatum est.
Cœlum hoc in terras, Ina, Pietatis amores
Transcripsisse tuæ norunt, Pietatis amores
Norunt, Edilburga, tuæ. Dignissimus alter
Alterius. Mitem illa suo se vidit in Ina,
Ille sua Fortem se vidit in Edilburga.
Æqua Viro Conjux, Regi Regina. Potentes
Imperiis ambo. Imperio, quod gessit uterque,
Insignes, Regno insignes, quod uterque reliquit.
Roma Viro dedit, Uxori dedit Anglia Cellam.
In cœlo, prudens quos Cella diremit, Amores
Integriùs nubunt. Nec amorum meta sepulchrum est.

(c) *De Zacharia & Elizabetha sic Luc.* 1. Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.

S Edilburga Regina, Inæ Uxor. Postquam annos 30 ad Regni gubernacula cum Viro sedisset, ad Statum cænobialem se contulit. At quam demum inierit antè rationem, ut Virum eodèm etiam impulerit, vide memorabilem Historiam in Malmesb. de Reg. l. 1. *c.* 2. *Hac paucis. Regem hortabatur Edilburga sæpe, ut ætate saltem*

tem ingravescente Mundo renunciaret. In re propositâ cùm moras ille necteret in diem, tempusque in longum duceret, hoc astu tandem usa est. Discesserat Rex *e palatio cultu omni magnificentissimè instructo, aliò digressurus. Ubi aliquantum viæ confecisset, institit* Regina, *nescio quid obtendens, ut regrederetur.* Regressus *cum toto comitatu parietes nudos reperit, stercore omnia deformata, atque in ipso thalami regii lecto cum porculis suem volutantem. Occasione hac arreptâ, differere* Regina *cœpit de Vanitate mundi. Rex subodoratus quod erat, cœlesti motus instinctu, & quodam veluti e somno expergefactus non ultrà distulit Reginæ Votum. De utroque idem Author sic.* Dum viverent, ambo mutua charitate connexi: & post mortem miraculis utrumque Deus illustravit. *Mortua an. D. circiter* 740 *in Monasterio Barkingiensi in Essexia. De illa Wion in Mar. Pol. l.* 4. *Spedus in Ina Rege.*

Cuthburga.

Osredum virum amoribus fœdis deditum reliquit: inclusit que se in Monasterium.

Inæ casta subit soror; & quò fœdiùs arsit
Osredi thalamus peregrinæ fomite flammæ,
Pulchriùs emicuit Cuthburgæ teda, torumque
Fumantem exosus pudor. Inviolabile fœdus
Polluit hostis Amoris Amor, Stygiamque cubili
Injecere facem Furiæ. Percepit odorem
Sulphureum Pudor: & Zonam pia Nupta, Marito
Inde recingendam nulli, vitamque resumpsit.
O amor! Et, cùm degenerat, mortalia turpis
Pectora quid non cogit amor? Sic pectora mulcent,
Ardoresque animorum alacres in viscera spargunt
Lenæi latices. At quando Numine fervent
Orgia per fibras nimio, & Rationis in arcem
Invadunt furiæ audaces, Mens exulat omni
E regno procul: imperitant & non nisi (*a*) *Rhætus*,
Et *Pholus*, & magno *Hylæi* cratere minaces.
An cœli servat (*b*) portas Amor? Ad Styga cœli
Per portas reperisse viam quis credat Amorem?
Curriculi metas agnoscunt cætera, parco

(a) *Allusum ad simile in Virg. Georg.* 2.
(b) Ουρανῦ θυρωρὸς.

Limite

Limite circumscripta, sui. Definit Amorem
Non nisi, qui nescit fines, immensus Olympi
Ambitus. O immensus amor! Turpisne Suburræ
Compingi in vicum velit, & sub fornice condi?
Qui vagus est, varioque anceps indulget amori,
Non amat. I, (Cellæ thalamis, Cuthburga, manebit
Tuta fides) Unamque habeat, quam diligat Unus.

S. Cuthburga Regina, Inæ Regis soror, Osredi (sicuti e Chronologia constat) Northumbrorum Regis Uxor. Divortio intercedente secessit a Viro (ob improbitatem ejus, & insanas libidines) in Monasterium ab ipsa, & sorore Quemburga ædificatum an. D. 713 Wimborniæ in Comit. Dorcestrensi. Mortua ibidem sanctissimè an. D. circiter 727. De illa Calend. Sarum. Westmon. an. 710, & 727, & 901: & Molanus. In Missali & Brev. Sarum Officium ejus præscribitur de Virgine. *Atqui de Osredi nefaria vita & infelice morte vide S. Bonifacium Ep. ad Ethelbaldum Regem: qui tamen, circa Regni sui initia cæteroqui pius, in fœda crimina lapsus & ipse postmodum est, at resipuit. Vide pariter Hunting. l. 4.*

Ecce Viatores geminos. Natalia linquit
Arva Coënredus: natalibus exulat arvis
Offa comes. Penetrandæ Alpes, & Roma petenda est.
Obsedere viam pectus discincta *Voluptas*,
Regalique superba tumens *Opulentia* censu,
Et veris primi lanugine læta *Juventus*.
Excipiunt cursu in medio, &, Quò tenditis? aiunt.
Anglia delicias, & opes habet Anglia. Vobis
Anglia quas non delicias, quas Anglia vobis
Non exponit opes? Meritò spes inchoat amplas,
Hisque fidem donis addit generosa Juventus.
Dotibus at quæ munificis vos instruit ætas,
Ætatem monet utendam. Quæ ruga senectam
Sera manet, curis sulcum parat illa ferendis.
Roma peti poterat. Regnum abjecisse cupido

Coënredus, (aliàs Kenredus,) & Offa.

Hic Saxonum Orientalium Rex, ille Merciæ.

Ambo, relicto imperio, perrexerunt Romam, suscepto pòst ibidem habitu monastico.

Quæ vos incessit tanta? Immortale cupido
Quæsiturá. Sibi cudunt quas Regna coronas
E terra, nutant. Petitur, quæ non fugit, Ætas,
Deliciæ absque dolo dulces, Opulentia dives (num
Absque metu. Regnum dedit Anglia? & Anglia, Reg-
Qui sprevere, dedit. Cellæ migrare Coronas
Nuper in angustæ latebram tuas, Offa, docebat
(a) Sebbus, (b) Ethelredusque tuus, Kenrede, docebat.
Nota recens non obduxit vestigia trames.
(c) Pendarum quoque fortassis meminisse libebat,
Et Sewardorum. Sua viscera nevit Arachne;
Et muscam cepit. Curis intexere curas
Mentis hic humanæ sudor. Sperantque timores,
Spesque timent. Filis Aulæ sua splendida tela
Texitur his. Aulæ præludit Aranea textu
Et non dissimili. Stamen subtile remittunt
Viscera: pesque opifex operoso in munere fervet.
Fila remiscentur filis, ars implicat artem;
Fitque opus (d) ipsa suum. Laqueari tela sub alto
Panditur, eximiæque operæ tentoria pendent.
Solvitur extemplo (e) Diis non imitabile textum,
Diruiturque vago virgæ petulantis ab ictu
Prolixus labor. In teretes Rota spargitur ignes,
(Altera & hæc Aulæ sua sæpe recursat imago)
Arcturisque hinc inde novis accenditur æther.
Expirant ignes laceri, Pavone caduco.
Quod rutilo superest e syrmate, fumida charta est.
Quò Sewardorum molimina? Gloria tanta
Et quò Pendarum? Ad Nihili molimina metas
Subsedere: suos & sensit Gloria fumos.
Kenredus lucem, in tenebras quæ desinit, odit.
Prætulerit lucem parituras Offa tenebras.

(a) *Sebbus Ang. Orient. Rex, Offæ patruus.*
(b) *Ethelredus Merciæ Rex, Coënredi patruus.*
(c) *Penda Rex Merciæ, Coënredi avus: Sewardus Ang. Orient. Rex, Offæ avus. Ambo ex Aula sua infelices: quorum & postremus, Christianæ Fidei proditor, a Saxonum Occident. Rege interfectus, sicuti ab Oswyo Penda.*
(d) *Aranea sc.*
(e) *Allusum ad Minervæ historiam.*

Autor fuit, quem unice semper colui, T. V. è ven. fam. Ben. ut Offam & Coënredum ad Regum hunc consessum *adjungerem. Monenti parui.*

Offa, Saxonum Orientalium Rex piissimus, Sigberi filius

filius. Juvenis eximia venustate, ingenio alacri, gratissimus subditis. Ita Malmesb. de Pont. l. 4. Cùm annis 8 integerrimè regnasset, secessit Romæ in Monasterium.

Coënredus, aliàs Kenredus, Merciæ Rex sanctissimus, Wulferi filius: & Monasteriorum variorum fundator. Cùm annis 5 circiter, ut inquit Beda l. 5, c. 20 multa cum dignitate imperasset, Imperio illustriùs renunciato, supplex accessit ad sepulchra Apost. D. Petri, & D. Pauli.

Peregrinationem ambo susceperunt Romam, comitante S. Egwino Episcopo Vigorniensi, & an. D. circiter 711 Romam pervenerunt, Constantino Pontifice. Ubi locis sanctis invisendis pietatis officia publica executi essent, Tonsuram Monasticam *susceperunt ambo cum animi singulari demissione. Ad disciplinæ religiosæ normam vitâ integerrimè actâ, & morte sanctissimè obitâ, documentum posteris insigne tradiderunt, apud* relinquentes omnia *quanto esset in pretio* Centuplum *illud accipiendum, &* Vita æterna *possidenda.*

Aula Ceolnulpho pariter (qui considet Inæ
Ad lævam exterior) patuit. Fortuna sereno
Accurrit vultu, famulantûmque agmine læto
Vestibulum regale, foresque, atque atria sepsit,
Pollicita excubias stabiles. At regia (pennæ
Mobilis, & frontis variæ haud ignara) fefellit
Postico incautam Pietas. Spes inde foventem
Regem alias sua Paupertas sub tecta recepit.
Vernabat flos ætatis, floremque sinistrum
Afflabat nihil: ancipiti res nulla sedebat
In bivio: Annorum veri succrevit adultæ
Et regalis honos & forma decora juventæ.
Secessit tamen. Ut florentibus hæserit annis
Nulla e vicino labes, at tutior illi
Spes e longinquo affulsit. Connivet ad Aulæ
Splendorem Mens exilis: quam fortè petitam
Dixeris e populi trivio. At quæ lumine lucem

Ceolnulphus, aliàs Ceolulfus.

Fortuna usus, dum regnaret, admodum prospera, tamen Aulæ pericula cùm observasset, subduxit se in Monasterium.

Impavido, radiosque acies illæsa refellit,
Vendicat hanc animi, fateor, sublimis origo,
Hanc acuere Aquilæ nidi. Sed (*a*) penna Columbæ,
Quamque fugax & amans latebræ Timor induit alam,
Quæ me semoveat longè, quæ devia tecum
Lucis in expertes ducat, Ceolulfe, recessus,
In mea vota volet. Portent ad sidera Manes
(*b*) Cæsareos Aquilæ. Me tutiùs invehet astris
Imbellis (non usqueadeo tamen ætheris hospes,
Exploratricis licèt inscia Lampadis) (*c*) Ales.
Sæpe rapax aquilinam aciem comitabitur unguis.
Heu quàm difficile est cæca inter divitis Aulæ
Limina securas damni, immunesque rapinæ
Præstari Pietatis opes, Ubi mille nocendi
Artibus instructa *Ambitio*, *Luxusque* protervi,
Armansque Insidias *Livor* sacer, *Otiaque* ipsa
Indulgent latrociniis: Ubi lubrica furta
Insidians nocti exercet, raptoque *Libido*
Vivit, habendi Ubi dirus *Amor*, sed egenus habendo,
Æternùm prædis inhiat, Pietatis & ipsas
Simones aulâ freti grassantur ad Aras.
Cellam intret Pietas. Hæc furibus obdita porta est.
Portam obdunt parco *Paupertas* læta, *Laborque*
Jucundus, *Probitas* simplex, & mille *Pudores*.

(a) *Qui Aulæ splendorem ferre valent, sunt aquilino de genere. Nihilominus* quis dabit mihi pennas sicut columbæ? &c. Ecce elongavi fugiens, &c. *Psal.* 54

(b) *Id quod in Cæsarum apotheosi credebatur fieri.*

(c) *Columba, timida scil. ut suprà.* Quis dabit mihi, &c.

S. Ceolnulphus, aliàs Ceolulfus, Northumbrorum Rex 16. Eruditissimus, & idem, cui Beda Historiam suam dedicavit. Gessit imperium breve eximia cum laude. Verùm ad altiora continuò, & tutiora contendens, perpensis periculis, quæ Pietatem obsidere in Aulis solent, & quorum documenta non pauca hausisse eum credibile est e Bedæ Historia, in summa prosperitate Aulæ, & commoditate rerum omnium, ætate integerrima florens, abdicatis omnibus, severioris vitæ Institutum amplexus est in Monasterio Lindisfarnensi, suscepto habitu D. Benedicti: dolens summopere, quemadmodum ait Huntindonius l. 4, se vel tantillum versatum fuisse inter Aulæ vanitates.

-vanitates. Inter dona munifica, quæ S. Cuthberto ante abdicationem largitus est, Hovedenus ad an. D. 882 hæc loca enumerat, Udecester, Wittingam, Edulfingam, *&* Cewlingam. *Sanctissimè obiit in dicto Monasterio Lindisfarnensi an. D. circiter 760. Sepultus prope corpus S. Cuthberti. Reliquiæ pòst translatæ Northamium, atque ibidem, quemadmodum refert Hoveden. l.c, in Templo collocatæ, quod annis ab ejus obitu circiter 70 pòst extruxit Egredus Episcopus Lindisfarnensis in honorem S. Petri, S. Cuthberti, & S. Ceolulfi. Miraculis claruit. De illo Matth. Westmon. Flores Ord. D. Bened. & alii.*

Egbertus Ceolulfi nepos.

At modò Lindisfarnensi munita recessu
Otia dum Ceolulfus agit, Northumbria *major*
Non erat interea, *quam* (*a*) *cui Fortuna noceret.*
En subit, agnoscique potest formosus in illo
Ore Nepos. At Virtutum magis ore referri,
Ingenuæque animæ Ceolulfus imagine gaudet.
(*b*) Scyrones tamen illum Aulæ sensisse? Quis ausit
Intentasse tuo crimen, Ceolulfe, Nepoti?
Egbertus sensit tamen. (*c*) Impegisse Potestas
Regia sese Aris potuit; (*d*) tetigisse Potestas
Et potuit supplex. Lacrymis regalibus Ara
Condonat crimen. (*e*) *Pietas* & vertere prædas
Ipsa quoque in sua castra solet, nec parcere parto.
Hinc spoliis, Egberte, tuis incedit onusta.
Et grege de magno præda es. Diademate vertex
Nudatus, Trabeâ spoliatum corpus, abacta
Majestas, Tituli abducti, Rex ipse retrusus
Limitem in augustum Cellæ brevis, ampla rapina est.
Egberto *Pietas* Regem eripit. Astra redonant.

Aulæ prædatores expertus semel & ipse nimiùm est. At resipuit. Abdicans se imperio secedit in solitudinem Monasticam.

(a) *Variis enim tumultibus agitari pòst cœpit.* (b) *Latrones sc. de quibus proximè suprà. Erat autem Scyron in Attica famosus Latro.* (c) *De hoc crimine vide infrà.* (d) *Quid sit supplicem* Aras tangere, *notum opinor.* (e) *Nam spoliat suos voluptatibus, dignitatibus, &c.*

S. Eg-

S. Egbertus, aliàs Eadbertus, Northumbrorum Rex, Ceolulfi nepos. Inter hunc, ut Capgravius refert in vita S. Cuthberti, & Pipinum Francorum Regem *amicitiæ singulares intercedebant. Variis interim tumultibus Northumbria modò agitabatur; & partes explebat Egbertus eximii Principis. Tamen ex Epistola Pauli primi Pont. Rom. ad ipsum missa, quæ Fordredi Abbatis hac super re querelam continet, invasisse illum intelligimus in Fordredi Abbatis modò dicti tria Monasteria, atque, ærario nimirum jam bellis exhausto, Fratri suo Principi Molloni concessisse in obsequiorum mercedem. Atqui, lectis Pontificis literis, tria illa Monasteria continuò restituit, abdiditque se eodem anno in Monasterium Lindisfarnense, ascitus in Ordinem D. Benedicti, ubi & sanctissimè vixit, & sanctissimè obiit an. D. circiter 768. Sepultus fertur ibidem. De illo Pol. l. 4. Westmon. an. 757. Continuat. Epit. Bedæ an. 758. Hunting. Sped. in Reg. Northumb. Vixit decem annos circiter in sua solitudine.* Regni *reliquit hæredem Osulphum filium suum, qui brevì pòst impiè occisus est. Edilwaldus, cognomento Mollo, qui Osulpho dicto nepoti suo successit, dicitur in eadem ejusdem conspirasse.*

Richardus.

Relicto regno, post vitæ cursum admodum laboriosum Lucæ tandem in Italia obdormivit in Domino. Sepultus ibidem in Sacello S. Frigidiani.

Richardus baculo subit indice. Signat amictum
Nescio quis servatque viæ vestigia pulvis.
Non aliter tamen, ac fulvæ scobis aurea lamnæ,
Scintillat, teretes gemmæ seu rasilis ignes.
An gemmam dixi? modicum est. Penuria linguæ
Ignoscenda. Sonat saltem, mortalis egestas
Præcipuum quod habet, gemmæ facundia nostræ.
Rege sui magis eximium nihil; & nihil ipso
Contemptore sui insolitum magis. Ut sibi regnum
Se faceret, Regem posuit. posuisse probavit
Se contemnendo. Poscit quem Gloria supplex
Ad regnum, dignus regno est: qui spreverit, ipsâ
Dignior. Ecce novi se Regnatoris in aulam
Insinuant *labor* irrequies, & tristis *Egestas*.

His

His tamen astrictum quæ laxat janua limen?
Quis vectem non opponit? Richarde, penates
Annuis hospitio? placet, inquis; & Exulis ambos
Exceptos mensâ meliùs sperare jubebas.
Spes mensam parat? hac nullus secluditur hospes.
Inde per Olenium frigus, per sideris æstum
Icarii, (geminat Labor æstum, frigus Egestas)
Et per regna Viatorem longinqua secuti
Abstinuere viâ nunquam. Satis at modò terræ,
Emensum pelagi satis est. Ad sidera gressum
Ferre libet. Patuere fores. Ades Hospes; & aureos
Accumbis Satrapas inter speciose Viator.
At non apparent (*a*) Comites. Satis his tibi Cœlum
Reclusisse. Viâ terras petiere remensâ.
Pars melior tenet astra, sinu pars altera (*b*) dormit,
Frigidiane, tuo. (*c*) Naturæ limitis expers
Urget iter labor æternus. cum Tempore confert
Illa gradum: cohibere pedem nec Temporis audet.
Decurrit querulo cum murmure spumeus Amnis:
Pertæsusque viæ per tot vada cæca, per æstus
Oppositos, per tot flexus & saxa volutæ,
Dum quærit portum in pelago, (*d*) revolutus ad oræ
Natalis fontem novus ecce remittitur hospes,
Primæque occurrit repetendus originis error.
Sudores Anni jam detersura colono
Horrea vix reclusit Hyems, cùm *Janua* stridet
Altera, sepositisque *Patulcius* instruit armis
Otia vix incepta. Rotas in tramite lucis
Cynthius assiduo versans, & noctis & oti
Inscius, æterni molitur fræna laboris;
Et siquando Viatori se Tethys amicam
Præbuit, æquoreo fessum dignata cubili,
Parnasso ille suo, & Musis hæc otia debet.
Optatam indulget nobis Mors sola quietem:
Sola torum, somnumque parat mortalibus ægris;
Et secura toro, somnoque silentia præbet.
Tot post exhaustos terræ, pelagique labores

(*a*) *Labor sc. & Egestas.*

(*b*) *Inde Cœmeteriorum nomen.*

(c) *Omnia hic versantur inter perpetuos labores.*

(d) *Ad locum, unde flumina exeunt, revertuntur, ut iterum fluant. Eccles.* I.

Richardi

Richardi pars mobilior petit aſtra: benignæ
Secubat in Mortis thalamo pars multa laborum
Altera. Depoſito terram Mors hoſpita mollem
Subſterni jubet. Extremo cùm murmure clanget
Excuſſura ſepulchrorum tuba regia ſomnos,
Tempus erit, Pignus cœlo cùm *Luca* reſignet.

S. Richardus, *Angliæ* Rex, *Lotharii in Cantio* Regis *filius, SS. Willibaldi, Winibaldi, & Walburgæ Pater.* Regni *& ſui contemptor ſingularis remiſit imperium. Poſt varias peregrinationes, poſt famem, ſitim, frigora, & labores innumeros Lucæ in Italia laborum præmium adeptus eſt. Corpus ibidem repoſitum in ſacello S. Frigidiani. Miraculis multis teſtata ſanctitas ejus. Videri poterit compendium vitæ ejus in Epitaphio, quod Lucæ modò extat: cujus & mentionem amplam habes apud Baron. hìc. Mort. an. D. circiter* 750. *Sur. Tom.* 1 *de Vitis SS. ad Feb. diem* 7. *Martyrol.* Rom. *ubi hæc.* Lucæ in Tuſcia depoſitio S. Richardi Regis Anglorum.

Werburga.

Poſt Ceolredi, conjugis impiiſſimi, mortem ſecedit in Monaſterium, precibus & jejuniis addictiſſima,

Werburgam? O verè Viduam! quam pulla decebit
Nulla tamen. Rugæ vacuam, immunemque ſenectæ
Werburgam, at toto viduatam Conjuge cerno.
Jam lachrymæ dudum aruerant. Epicedia cœlum
Non habet. Ora Ceolredum quàm devia cœlo,
Conjugis amplexuque ſuæ disjuncta coercet!
Immenſum Chaos, & Diris, quas evocat Aris
Afflictis ſævum nomen, penetrabile ſolis.
Triſtiùs & peccant, & fœdiùs aurea ſordent
Crimina; verticibuſque unctis ut balſama fragrent,
Fœtet fama tamen. Jactant Inſignia ſæpe
Reginas volucrum, Reges & ſæpe ferarum,
Mentis cùm regnum teneant & Vultur, & Hircus.
Pœna Ceolredi culpam ſua quamque ſecuta eſt.
Præteriere dapum Euripi, vinoque natantes
Inceſtarum inter Venerum jocularia noctes.
Detumuere animorum æſtus ad littus Averni,

Com-

Compositisque elata minis fastidia sidunt.
Ludor? an & vastâ, lethi cui plurimus horror
Incubat, umbrosæ Noctis sub rupe sedentem
Hinc contemplari videor? (a) Comes assidet atro
Informis vultu, (Eumenidem fortasse Poeta
Dixerit, aut siquid Furiâ funebrius usquam est)
Informi vultu, & noctescere tetriùs ipsas (noctem.
Vel tenebras (b) quo crediderim, & tenebrescere
Stare nemus circùm video, sed fructibus orbum,
Frondis inops, deforme nemus. Mors altera brumas
Siqua suas habet, (c) has prohibet revirescere sylvas.
Et cœlo dudum quamvis e stipite nudo
Brachia sustulerint (miseræ argumenta querelæ)
Marcida, longævæque hyemis testata rigorem,
Nulla preces audit Pomona, Favonius aurem
Obstruit. &, solaturas procul esse volucres
Importuna jubens, exercet Noctua sola
Funerei cantûs inconsolabile carmen.
(d) Vasa jacent: testæ laceræ. (e) Rota nulla ruinas
Sarserit? His omnem Figuli manus abstinet artem.
Verto aciem. Teter situs undique. Lurida campo
(f) Ossa jacent, calvæ turpes, & non nisi lethi
Aggestæ strages. (g) Habiles accrescite *Nervi*.
Juncturæ coeant. (h) Mites succurrite *Venti*.
Torpent ossa. Rigent nervi. Junctura recedit.
Æternus squalor. Silet Eurus, & Auster, & ipsæ
Brumales animæ. Zephyros Spes haud citat ulla.
(i) Ipsa solo interea liventes surrigit artus,
Anguineo chlamydem fuscam circundata limbo,
Consertam chalybe æterno, spinisque rigentem;
Tum piceum caput, & crines e vertice quassans
Os obnubentes, per quos cava lumina flammant
Introrsum, Stygiæque situ rubiginis horrent,

Digressio de Ceolredo ad pœnas æternas damnatc.

(a) *Despera-tio sc.*
(b) *Quo sc. viso, seu appa-rente, &c.*
(c) *Arbores autumnales, bis mortuæ. Ep. Cath. Judæ.*
(d) *Vasa iræ. Rom. 19.*
(e) *Neque hic locum habet (quò alluditur) illud Jer.* 18, Et dissipatum est vas, *&c.* conversusque fecit illud vas alterum, *&c. ibid.*
(f) *Alluditur ad illud Ezech.* 37, Et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, *&c.* (g) *Neque etiam locum hic habet, quod sequitur,* Et prophetavi, *&c.* Et ecce nervi, *&c. ibid.* (h) *Neque illud,* A quatuor ventis veni spiritus, *&c. ibid.* Ad juncturam, *&c.* (i) *Desperatio, de qua suprà.*

Te, Ceolrede, vocat. vocat atri ad Sulphuris amnem,
Ad Stagnum picis, ad Vermem, lugubris ad ævi
Volventem sine fine Rotam, quâ mille dolorum,
Pœnarum mille effigies, & mœror, & angor,
Exanimisque Spei feralia funera pendent.
Cæca Ceolredum impietas huc prævia duxit:
Immodici luxus epularum, incesta libido,
Templorum clades, Divisque superbia bellans.
Quà tendam ad Superos? hæc immortalis ad Aulæ
Gaudia quà tendam? *Jejuna, pudica,* domorum
Incola sacrarum, atque *humilis* Werburga docebit.
Lacteaque ipsa via est, *candore notabilis ipso.*

S. Werburga Regina, Ceolredi impii Merciorum Regis Uxor. Post Viri mortem, quæ contigit an. D. 716, Monasterium ingressa est. Instar Annæ Viduæ & Prophetissæ a Templo Domini nunquam discessit, animique demissione singulari inter preces & jejunia continua transegit annos sexaginta quinque. Mort. an. D. circiter 782. Celebrant illam Annales. Atqui de Ceolredo Winfridus (aliàs Bonifacius) Germanorum Apostolus, & Martyr ad Ethelbaldum Ceolredi in Regno successorem sic scribit: Ceolredum Virginum Deo sacrarum stupratorem, violatorem immunitatum Ecclesiasticarum, dum splendidè cum Proceribus epularetur, apprehensum a Dæmone fuisse, & absque Sacramentorum subsidio vita spoliatum. Videri pariter poterit Epistola ejusdem S. Bonifacii ad S. Eadburgam, Ep. 21: ubi alia recensentur, quæ Ceolredi interitum præsagiebant. Natus erat hic Bonif. e Saxonum stirpe in Devoniæ oppido, modò Kyrton *dicto.*

Alfwoldus. Alfwoldum cerno? Et meritos Insignia crines
Circumeunt. Tibi sub mortem quæ candida crevit
Rex integerrimus. In bello civili, postquam 12. annos regnasset, occiditur a milite suo.
In laurum, Cupressus erat, Rex inclyte, regno
Atra tuo; & viduam cinxit Northumbria mœrens

Illa

Illa fronde comam. Quin & feralia mœror
Portenta induitur. (*a*) Telæ præsaga futuræ
(Sæpe retexendæ) Cruce vestis inhorruit. Illam
Latro dedit. Neque *in hoc vinces*, Britannia, *Signo*.
An (*b*) cœlum tonat? Indicunt cùm funera terris
Fulmina, funus erit. Mundi quàm sæpe bibentes
E fluvio insidiis ambit Crocodilus, & hospes
Incautos violat! Quartæ trieteridis æstas
Regnantem vidit, cæsum trieteride quartâ
Vidit hyems. Adigit Regis per viscera ferrum
Miles, & ille suus.
At te crudelem, (*c*) Sigga, & cui Tigrides uber
Admorunt! & vicisti. Pæana triumpho
Non alium, quàm (*d*) fulmineum plausisse decebat.
Respice sanguineo Dextram Mucrone rubentem.
Mucronem sceleris puduit. Quo sanguine Mucro
Irrubuit, Stygiæ Dextram caliginis umbris
Devovet. (*e*) E Chalybum venis immite fatebor
Indolis importunæ, inquit, me ducere nomen,
Nec ferri quæ dissimulet genus. Inde Camini
Incudisque rudimentis imbuta sonoros
Ad fabri numeros passa est se lamina fingi,
Componique habilem capuli pugnacis ad artes:
Admisique manum; sed quæ præstaret amico,
Tutelæque fidem, arceret quæ cæca latronum
Prælia, quæ, patriam si quando lacesseret hostis,
Justitiæ bellatricis pia castra foveret.
Bello, Sigga, sacramentum non futile dixi.
Miles eram; Causæ vindex & nec minùs esse
Debueram: jus debueram regale tueri,
Perfidiæ præferre focos, arasque furori.
At per me jus Regnorum inviolabile, rerum
Et salvam esse fidem licuit: nec spontè furebam.
Non ego cervicem appetii, qua sospite fultus
Imperii staret vertex, nec ferreus unquam
Imminui patriæ jugulo, nec cæde piorum
Pavi aciem, multòque minùs sitis improba Regum

(a) *Incursionis viz. Danicæ. De his præsagiis infrà. Cruces enim apparuere in vestibus incolarum, &c.*

(b) *Præsagum famis consecuturæ.*

(c) *Sigga (nam id paricidæ nomen) seipsum post interfecit.*

(d) *Uti suprà.*

(e) *Inducitur sc. idem Mucro Siggam incitans, ut se quoque, quo usus erat ad cædem Regis, utatur pariter ad sui necem in tanti ultionem sceleris.*

Purpureique sinûs optavit murice tingi.
Me tamen huc dextræ furor & feritatis adegit,
Sigga, tuæ. Haud alio demum sub pectore condi,
Pœnam expensurus, posco, quàm pectore tanti
Criminis artifice, in Siggæ præcordia mergi,
Mentem ubi Diræ atrocem habitant, & si quid Averno
Funebrius. Merces petitur tamen una, priori
Digna ministerio, ut Dextram quoque rursus in illam
Induar, illam odiis tandem propioribus armem,
Ipse tui sis ut mecum haud inglorius ultor.
Sigga, tui te carnificem! Dextram (f) Anglia nuper
Passa parem est. Cœlum de vertice quàm tonat uncto!
Alfwoldus cecidit? Lucri decurrit arenam
Miles equis, Auriga rotis, & Navita remis.
Martyr idem stadium. Meta est & semita dispar.
Semita, Meta, (g) Lucrumque mori est. Hinc fertur ad
Martyr opes, mercedis & immortale Futurum. (Ævi

(f) *Eadem nempe pariter carnifex sui quodammodò facta, tot vulneribus sibi a se inflictis, post Caroli primi cædem.*

(g) *Mihi vivere, &c. & lucrum mori. Philip. 1.*

S. Alfwoldus, Northumbrorum Rex. Cùm 12 annis egregiè imperasset, per invidiam cujusdam ex Optimatibus ejusdem Provinciæ in bello civili a suis interemptus est an. D. 788. Horrenda inde tonitrua, quæ gentem terruerunt, præsagia fuere futuræ famis. Vide Hovedenum fol. 404. Et Matthæus Westmon. addit in vestibus indigenarum signa Crucis apparuisse; id quod præsagiisse videbatur Danorum adventum. At Sigga, qui Principis sui sanguine se contaminavit, interfecit pòst seipsum, carnifex sui factus. Ut Northumbria ferax Virorum sanctorum, ita seditionum & tumultuum: ut ad solium sequentis via sæpe sterneretur per præcedentis necem. Ad Martyris corpus pòst Hexamiam advectum visum Deo est miraculis multis testari sanctitatem ejus. De illo Simon Dunelmensis in Chron. 788; Malmesbur. l. 1 de Reg. Ang.

Ethelbertus Anglorum orientalium Rex.

Ethelbertus adest. *Oriens* tuus, *Anglia*, cessit
In noctem occiduus. Letho datur integer ævi,
Integrior vitæ Princeps; servantior æqui

Of- Quo

Quo non alter erat. Regi pia quæritur Uxor ;
Sternitur & pactus thalamo torus. at cui plumam
Inseruit moribundus olor, lessique supremi
Funereum modulamen. (*a*) Iter tremit ardua tellus,
Ethelberte, tuum: lucemque aversus eunti
Sol negat. An Regum cædes inducere pullam
Et cœlo solet? An stabilis quoque funera tellus
Hæc tremit? At, posset quem nec pia Terra, nec Æther
Sistere, dignus eras. Confini Mercia regno
Accubat: & coiere animis in fœdera terræ.
Regem Offam Rex invisit. Connubia sertum
Texuerant e flore novo. Risisse Voluptas
Dicitur, & (*b*) comitem pallâ celasse Dolorem.
Perfidiæ ingenium duplex! Quæ tessera sancit
Hospitium, solitam obsignat quæ dextra salutem,
Armat fraude fidem, ad cædes accingit amorem.
Aulam Ethelbertus subit: hospitioque superbo
Excipitur. Pictis aurum laquearibus ardet,
Eoa pictæ fulgent e rupe columnæ,
Marmoreo picti pendent e pariete vultus.
Picta dolis intùs sedet, & fucata venenis
Femina. quàm fraudi vultum prætendere solers!
Femina, (blanda, Tarentinis & mollior agnis,
Dura magis Sipyli Saxo: sine fronte venusta:
Una & multa, genus Protei: Scyllæa propago,
Illecebrâ frontis pellax, dum viscera latrant:
Ætnæa sata gente, vaporibus ignea pectus
Sub vultu niveo: virtutum ad fortia mammæ
Imbellis memor, ad sceleris certamen Amazon)
Sentis, Ethelberte, memor, *quid Femina possit.*
Sceptra scelus fulcire solent. Sint illa columnæ.
(*c*) Mole tamen scelerum nimiâ dant sæpe ruinam.

Offam Merciæ Regem adit, ejus filiam ducturus. A Regina perfidè occiditur.

(a) Sicuti habetur infrà.

(b) Dolorem Voluptatis comitem esse docet Plato in Phædro: ubi differit de Catena illa adamantina, quam ignotam paucis reor esse.

(c) Nam inde non ita multò pòst Merciæ regnum revolvebatur dènuò ad Pendæ posteros.

S. Ethelbertus, Ethelredi & Leofranæ filius, Anglorum Orientalium Rex piissimus. In Merciam proficiscitur. In itinere terra tremuit, & sol caligine insolita obscuratus est. Inde cùm in Merciam venisset Regem Offam

Offam invisum, per summam perfidiam post varias gratulationes a Quendreda Offæ Uxore interemptus est an. D. 793. Causa itineris fuit, ut desponsam sibi Alfredam (Etheldritam ab Ingulpho dictam) Offæ filiam in Regnum suum deduceret. Sedem Aulæ tenebat Offa tunc temporis ad Oppidum dictum modò Sutton-wallis *in Com. Herefordiensi. Suspicio vehemens est Offam ipsum cædis conscium fuisse.*

De Offa nonnulla hic inserere haud abs re fuerit. Illustris erat & potens. Postquam Beornredum Tyrannum Merciâ expulisset, in Regem eligitur Procerum unanimi consensu, regali ipse e stirpe oriundus, filius quippe Wingfredi, qui filius fuit Eanulfi, & hic Osmodi filius, &c. Malmesburiensis de Reg. l. 1, c. 4 dubitat, numerandusne sit inter bonos, an malos Reges, instar Protei cujusdam vultus identidem mutans. Ad hunc Regem dicitur missus esse a Carolo Magno fictitius ille Liber de Imaginibus. *Regnum administravit summa cum magnificentia 39 annis. Profectus Romam quæ ibi gesserit, vide Matth. Paris. Inter cætera Tributum eleemosynarium annuum pro Saxonibus Occidentalibus ab Ina institutum stabilivit pro* Regno *suo, quod 23 Provincias continebat. Gymnasium insuper Anglicanum ab Ina antè conditum reditibus amplis locupletavit: Et hæc tempore Hadriani Papæ. Gymnasium illud, inquit Matth. Paris, cùm peregrinorum eò multitudo ingens conflueret subsidii petendi causâ, in Xenodochium versum est, cui pòst a* Sancto Spiritu *nomen. Hoc modo nihil omittendum Offa censuit, quo Ethelberti cædem expiaret. Hadrianus inde, quò significaret, Offæ pietas quàm grata sibi esset, immunitatem concessit ejus subditis, ut Nulli peccatori publico onus deinde incumberet* Romam *petendi.*

Sepultus Ethelbertus Herefordiæ. Cùm in loco quodam ignobili primò clam sepeliretur, accidit, ut nocte sequente Columna lucis appareret ad sepulchri locum radios emittens. Offa demum ipse sepulchrum illi magnificum excitavit Herefordiæ. Et pòst Milfridus, unus e con-

conſecutis Merciæ Regibus, Templum curavit dedicandum in ejuſdem honorem. Poſt mortem Ethelbertus miraculis frequentibus claruit. De illo Polydorus l. 4: Gir. Cambr. in Hiſt. Molan. Weſtmon. an. D. 703. Atqui miſerum in modum brevi pòſt interiit Quendreda. Filius ipſius Egfredus, Juvenis eximius & pius, cujus præcipuè cauſâ patratum ab ipſa fuit nefarium facinus, poſt paucos imperii menſes immatura morte ſublatus eſt. Atque inde fiebat, ut Merciæ regnum ad Pendæ poſteros denuò transferretur.

Kenelmus Merciorum Rex.

Puer ſeptennis, Parente utroq; orbatus, & Quendredæ ſororis tutelæ commiſſus, ab eadem dominandi avida impiè occiditur.

Femina quid poſſit furiis accenſa, (Kenelmum
Aſpicio, fatumque venit confine) Kenelmus
Et ſenſit Puer: & ſenſit Germanus, eodem
Fuſa ſinu, conſors e ſanguine ſanguis eodem,
Quid poſſit Soror: & ſenſit Pupillus, egena
Conſilii rectis ſub tutelaribus ætas,
Quid poſſit, linguæ infamis perjuria ridens,
Ambitionis alumna Fides. Diadematis aurei
An valet imbelles oculos perſtringere fulgor,
Ut neque vel Fratrem videant? Quàm ſæpe rebelli
Spe modò præceptam capiti gratata coronam eſt!
Menti occurrebat quoties Regnantis imago,
Acclamanſque tuba, & plaudentis murmura ſcenæ,
Et procerum unda ſalutantûm! Sic ſæpe loquaci
In vitro ſeſe Forma, occiduique pudoris,
Et mox ſolvendæ forſan præludia zonæ
Conſulit, illecebriſque ſuis peritura puella
Deperit inſidias ſpeculi. Parere monenti
Et poterat, ſpes quàm fragilis, quàm vitrea cæcam
Luderet. Aereas audet conſcendere nubes
Ambitio; nec terret iter. Quò Femina pergis,
Quò Soror? E cera quam Dædalus inſtruit, alam
Induis. Ultorem ad radium liquefacta reſidet.
Ah puer! ah tenerum funus! Commendat Erinnys
Exanimum dumis corpus. Dumeta ſilebunt
Nomen atrox, inquit, rigidis nec vepribus errat

Fama

(a) *Facinus crudele pòst divinitus patuit.*

(b) *In supplicatione solenni portatur corpus Winchelcombiam.*

(c) *Circa Quendredam oculis pòst orbatam vide historiam infrà.*

Fama loquax. (*a*) Videt e cœlo, quod devia celat
Sylva, sagax oculus, nemorumque silentia damnat.
(*b*) I puer. Extremæ peragunt solennia pompæ,
Agmineque incedunt longo, quàs Mercia fovit,
Spes intercisæ; Vultu languente, solutas,
Quas plausu nuper tanto explicuere per aulam,
Demittunt alas; Feretro, quos serius Annos
Annuerat fatum, præreptaque Gaudia condunt.
I puer. Opperiens lacerum Winchcombia funus
Mœsta dabit lachrymas cineri, quas ora Sororis
Sicca negant. Quendreda time. Nam dextera sceptro
Non habilis fulmen forsan torquere valebit.
(*c*) Orbibus e vacuis oculorum sidera quæris.
Et poteras etiam cœlo ingemuisse reperto.
Pollueras oculis lucem. Modò nocte sepultam
Lucis inops vitam duces invisa Diei.
Te cernes tamen. Et Mentis quàm sæva dies est!
Quendredam, (natam Furiis utramque) Kenelmo
Nomen, Ethelberto nomen fatale! Querelam
Hic abolevit utrique locus. Nec sica timori
Turbat inaccessum limen, nec femina mendax.

S. Kenelmus, Merciæ Rex. Kenulfi Merciorum Regis filius, Parente utroque orbatus. Septennis tantùm cùm esset, & sorori Quendredæ commissus in tutelam, ipsa non ita multò pòst imperii ambitiosa, & dominandi æstuans libidine operâ unius e custodum numero Fratrem clam e medio sustulit. Locus, quò conjectum sacrum corpus erat, sentibus & dumis obsitus, Angelo manifestante, patuit. Sepultus pòst solenni ritu Winchcombiæ (aliàs Winchelcombiæ) in Comitatu Glocestrensi; ubi & per multa miracula elucere voluit Deus sanctitatem ejus, & Sororis perfidiam. Hoc evenit an. D. circiter 820. *Vide quæ de illo narrantur in Brev. Sarum, & Westmon. an.* 821.

Sub mortem Kenelmi memorabile hoc accidit circa Quendredam. Dum Clerici in Supplicatione solenni laudes

laudes Domino in Sancti hujus celebrationem decantantes proximè fenestram incederent, spectabat inde transeuntes Regina non sine invidia multa & indignatione. Eodem tempore habebat in manu librum Psalmorum*, &* Psalmum *legebat centesimum octavum, at, lectione retrograda, incipiens a postremo versu. Inter legendum oculus uterque in librum cecidit, & sparsit sanguine versum ejusdem* Psalmi *illum,* Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam. *Liber ipse Winchelcombiæ servatur cum notis sanguineis, quæ manent. Neque verò (quod penè tamen exciderat) prætereundum est, quod refert Malmesburiensis de Reg. l. 2. Affero verba.* Et mirum dictu, *inquit,* quòd fraus tam celatè in Anglia commissa Romæ divinitus innotuerit. Siquidem membrana super altare S. Petri supernè, Columbâ ferente, delapsa est, necis & sepulchralis loci per ordinem index. *Eadem habet Westmonasteriensis. Post alios cruciatus Quendreda miserè demum interiit. De Kenelmo insuper vide Gerald. Itiner. Camb. l. 1, fol. 124: & Harpesfeld. Sec. 8, c. 14. Sunt tamen, qui opinentur Quendredam piè pòst obiisse in Cœnobio.*

Inas alter? an (& Regni molitus habenam
Occidui, Fideique acer defensor avitæ)
Ethelnulphus? Ad extremas, quà panditur orbis
Ambitus, Oceani terræque habitabilis oras
Jus habet, arbitrio juris nec cedere novit
Alma Fides. In septa Fidem tamen arcta coegit
Hostilis sæpe impietas. Tibi longiùs acta
Imperii, Ethelnulphe, sui pomœria debet.
Egressum patriæ viderunt limine dulci
Externi soles. Calcem pede quæ sola, refert?
Longinquæ cœlo distant non longiùs oræ.
Includi septis renuens, & carcere curto
Regia nempe Domus, quam sol obit, incola Mens est.
Et Soli certè, quà flexerit orbita, lucis

Ethelnulphus. Fidei Christianæ propagator. Adit Romam. *Non minùs ibidem munificus, quàm in Anglia.* Româ *reversus moritur, & sepelitur Wintoniæ.*

Undique ſignanti roſeæ veſtigia læta,
Par Ethelnulphus. Solis ſub (*a*) cardine noſtro
Munifici radium non ſola Britannia ſenſit;
Fœcundæ lucis reditus & Roma recepit,
Cenſu læta peregrino. Tum, lumine verſo,
In patriam demum, & ſphæræ natalis in oram
Circumagens iter occubuit; Partiſque caducæ
Quod ſuper inde fuit, Luciſque analecta (dieî
(*b*) Ortum ſortitura novi) Wintonia ſervat.

(a) *Cardines cœli dicuntur duo cœli vertices, Septentrionalis, & Meridionalis.*
(b) *In Reſur. c. generali.*

S. Ethelnulphus, aliàs Ethelwolfus, Egberti filius, Saxonum Occidentalium, atque Angliæ Rex. Primò *Subdiaconus fuit: at diſpenſationem obtinuit* Pater *a Leone Tertio* Papa. *Quòd Epiſcopus Vintonienſis etiam fuerit, fabula eſt: & fabulam refutat Helmſtanus Sedis illius Epiſcopus. Malmesbur.* de Pontif. *l.* 2 *Ethelnulpho applicat* Platonis *dictum illud,* Tum demum rempublicam beatam fore, cùm Reges philoſophentur.

Antequam ad Proſæ *bujus partem illam accedam, quæ ad Carminis materiam pertinet, interſerere, quæ ſequuntur, viſum eſt. Præter eos, qui (& certè præter* Operis *bujus inſtitutum) veluti aliud agendo identidem commemorantur in his Annotationibus, Reges plurimi erant & Britones & Saxones a rerum geſtarum fama celeberrimi; a quorum tamen mentione, ne parergis chartas refercirem, abſtinui. At quoniam ab Egberto, Ethelnulphi hujus Patre (quem Monarcham Angliæ e Saxonibus primum plerique conſtituunt, & qui primùm in Gentem, etſi aliàs antè uſurpatum, edicto publico* Angliæ *nomen induxit) petitur Regum ſeries enucleatior ad Edwardum Confeſſorem, & deinceps, ut lectori patebit, de illo placuit nonnulla breviter attexere. Poterat fortè referri longiùs hæc ſeries ad Edwynum, Northumbrorum Regem, eumque, ut ſuprà dictum, unicâ exceptâ Cantii ditione, Gentis pariter Monarcham, atque altiùs etiam ad Ethelbertum, Chriſtianum e Saxonibus Regem primum, cujus filiam Ethelburgam Edwynus uxorem ſibi adjunxerat. At videtur*

videtur res ea implicatior. Circa Egbertum itaque erit hæc excursio. Duxit ille originem a Cerdico Regni Saxonici Occidentalis fundatore: at propiorem, ut habetur apud Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 1, ab Inegildo Inæ Regis fratre, Patre nimirum ortus Alcmundo Principe. Britbriço Egbertus succedit, occidentalium Saxonum Regi.

Britbrico mortem (quam tamen minimè destinaverat) accersivit Eadburga ejusdem Uxor, Offæ Merciorum Regis filia, Femina scelesta. Hæc, ut cum Rege, in cujus amorem & consilia se penitùs immerserat, sine rivali arbitro sola dominaretur, e Procerum numero, quos apud Regem valituros plurimùm noverat, alios curavit ejiciendos in exilium, alios veneno sustulit. Paratum hinc alteri a Regina poculum, casu accidit, ut Britbricus ipse ori admoveret; quo libato protinus interiit. Verita inde, quam meritò subierat, Optimatum invidiam fugit Eadburga continuò ad Carolum Imperatorem, avecto secum ingenti thesauro, cujus Imperatorem etiam participem effecit. Erat mulier incredibili pulchritudine; quæ inter cæteras Aulæ illustres feminas quodam die cùm, præsente Imperatore, coràm assisteret, Optio tibi est, *ait ille, Domina mea, Mene, an filium meum, qui ad fenestram est, asciscas in maritum. Nibil cunctata Mulier,* Si optio, *inquit, mibi sit, Filium tuum enimvero mallem, Quia junior est. De libidinoso feminæ ingenio suspicatus Cæsar,* Si me, *inquit, elegisses, Filium meum tibi tradidissem. At quoniam Juventus tibi tam allubescit, neq; Juniorem obtinebis, neque Seniorem. His similia Westmon. Interim in Anglia, ob cædem Regis recentem, Reginæ hujus nomen tam sunt execrati Saxones occidentales, ut consensu unanimi & decreto publico sanxerint, ut e Regum suorum Uxoribus nulla in posterum* Reginæ *seu titulo, seu insignibus decoraretur. Atqui Ethelnulfus, Osburgâ mortuâ, cùm Romà rediisset, accepta Uxore altera, Juditha Caroli Calvi Francorum Regis filia, Regum Uxoribus Reginarum titulos cum Insignibus restituit.*

ſtituit, quemadmodum habetur apud Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 2.

Britbrico mortuo, Egbertus e Gallia, quò ſaluti ſuæ conſulens antea fugerat, in Angliam accerſitur, & ſuffragiorum ſingulari conſenſu in Occidentalis Regni ſolium evehitur: idque ab adventu Saxonum (Hengiſti & Horſæ) in Britanniam an. circiter 350: ab ingreſſu Auguſtini an. 204. Ita Ethelwerdus Hiſt. l. 3, c. 2. Cùm poſt varias victorias, eaſque admodum inſignes, imperium tandem adeptus eſſet totius Angliæ, quod reliquum erat vitæ, (ſpatium id erat annorum novem) ſi Danorum primam incurſionem exceperis, tranquillè admodum & pacatè tranſegit. Res ab eo geſtas ſuprema clauſit, ut refert Malmesbur. l. 20, c. 1, egregia illa demum Victoria a Danis reportata, quos etiam ad naves compulit. Cæterùm Egberto extincto, rediere poſtmodum.

Peccatorum gravitas, quæ & quanta fuerit, quæ vindictam illam horribilem ad an. D. circiter 833 in Gentem acceleraverat, vide Huntindonum in Prologo.

Moritur Egbertus an. D. 837, poſtquam imperaſſet annis 38. Sepultus Wintoniæ in Com. Hamptonienſi propè Regem Kenulfum. Ita Malmesbur. l. 2, c. 1. Mortem præſagiiſſe videbatur Cometa ille mirabilis, qui eodem anno in Virgine apparuit. Referebant illum aliqui ad Ludovicum Imperatorem; at non niſi quarto pòſt anno mortuus ille eſt. Cometa hic, aliter omnino ac cæteri ſolent, curſum egit ab Occidente in Orientem. De iſtis vide Baron. hic. Hæc de Egberto.

Patri ſuccedit Ethelnulfus. At partem imperii communicavit cum Ethelſtano fratre. Sic eum appellat Huntin. l. 4. At filium veriſimiliùs nomines. Fidem Chriſtianam in hac Inſula mirificè propagavit. Partem Decimam Regni ſui a tributis ſibi ſolvendis immunem voluit eſſe: quam & vectigalem reddidit Eccleſiæ Dei. Roma pariter ipſa ejuſdem munificentiæ annuæ plurimùm debuit. & præterea tributum Eleemoſynarium annuum (Peter-pence) *per totam Angliam extendit. Eò pòſt cum Alfredo*

fredo filio natu minimo, de quo infrà, quem Leoni Papæ educandum commisit, suscepit peregrinationem: ubi & Gymnasium Anglicanum ab Ina antè conditum, & igne fortuito absumptum excitavit denuo. Quæ dona S. Petro obtulerit, vide Anastasium Bibliothecarium apud Baron. an. D. 856. Circa Principis hujus ad Urbem adventum fabula illa contigit de Joanna Papissa: quam fabulam præter cæteros refutat etiam Blondellus, Calvinistarum peritissimus, libro, quem compositò scripsit ad fabulam illam refutandam. In Angliam inde reversus non ita multò pòst sanctissimè obiit an. D. circiter 857. Sepultus Wintoniæ. De illo Pol. Virg. l. 5: Malmesbur. de Regib. Ang. Westmon. an. 854, & 857: Baron. Tom. 10, & alii.

Elusit telorum ictus, aciemque refellit
Ositha, & exequiis superest. O pulchra laborum,
Hoste triumphato, merces! Regale reliquit
Et solium, & thalamos, & vitam regia Christi
Victima; pro titulis Ositham, pro conjuge cellæ
Virgineæ famam geniturum nacta Pudorem,
Pro vita eximiæ mortis vitale Quietum.
Danus adest. Inguar sævit. Docet ille, caduco
Quàm res humanæ fallant pede. Vinea botros
Nostra tulit, quà non fœcundior altera. Spumant
Prela secùs. Quantam ducunt (*a*) Peccata malorum
Diluviem! Patrios inter latuisse Triones,
Ursæque amplexus inter sævissimus Inguar
Decubuisse suæ poterat, nisi sidere Culpa
Excierat Nemesim recubantem nostra sub illo.
Os pugnat Cœli fræno? dat Pœna lupatum.
Indocilisne jugi cervix? dat Pœna securim.
Cœli fortunata, soli ditissima tellus
Anglia, temperiemque Anni cui miscuit omnis
(*b*) Cardo suam, cui nec brumis, nec solibus æther
Incumbit nimiis, sedes uberrima sudi
Autumni, Veris rosei lætissima sedes.
Deliciis an fortè suis ut cincta periret
Splen-

Ositha.

Viro assentiente, Monasterium ingreditur. Caput illi amputatur a Danis in odium Fidei.

(a) *De peccatis Angliæ, quæ calamitatem hanc invexere, supra.*

Et hæc est persecutio Danica prima.

(b) *Cardines anni appellat Plinius Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem.*

Splendidius? Pœnam culpis accersit, alitque
Fertilitate sua. Patuit quis limes, edacem
Quò non dira Lupum rabies ingesserit? Anglus
Messem sevit inops; alienum Barbarus annum,
Spemque serentis, opesque omnes, ipsumque serentem
Messuit. At pridem miseri, quæ funera Danus
Ediderit, dixere oculi, quæ lingua recusat.
Et feritas in Amore fuit, quo sæviùs odit.
Sævibatque dies, & nox feralis amabat.
Lactabat pupum Scythicum Britanna mamilla,
Matris inhorrescente sinu. Peperisse juvabat
Fortè fami blanditurum. Nec provida Canos,
Nec Cunas lactens ætas, nec devia Vittas
Texit ab Harpyiis pietas. Feralibus horrent
Prodigiis Aræ, Geticoque sub Inguare Cellæ
Sæva Tudorini Totilæ præludia cernunt.
Ositha sed quò confugeret? Nisi detur ab Aris
Ara mihi, quò confugiam? Vos o mihi tandem
Este bonæ: laceræque spei quæ membra supersunt,
Hac saltem in statione locem. Concentibus Ædes
Hæc aliis nuper mulcebat Numinis aurem:
A fremitu quàm diversis, modò quem (chorus alter)
Ingeminant Furiæ! Peccavimus, Anglia: damnis
Peccatum metire tuis. Si fulminat Ara
Criminibus nostris, lacrymas & misceat iræ
Ultrici nostras: totam & nisi vendicet aurem
Gentis (*c*) culpa meæ, partem exoranda dolori
Impendat nostro. At cujus stetit Ositha culpæ
Victima? Culpa Fides: nequiit quem carpere prædo,
Culpa Pudor. Dano cervices Hostia præbet,
Non Caput. (*d*) Hoc Petro donum, Pauloque reservat.
Petre, tuum ad limen meritò provolvitur Orbis
Omne caput. Nec citrà usquam est, Romane, nec ultrà.

(c) *Vindictam sc. inclamans.*
(d) *Sicuti infrà de Capite ab ipsa gestato ad Templum SS. Petri & Pauli.*

S. Ositha, Regina, Suthredi, Saxonum Orientalium Regis postremi, Uxor. Viro consentiente contulit se primò ad Monasterium Alesburiense in Com. Buckingamiensi; pòst ad aliud, quod ipsa **Chichiæ** *condiderat in Com.*

Com. Essexiensi. A Danis demum Provinciam illam invadentibus in odium Fidei Christianæ capite abscisso migravit ad Sponsum cœlestem. Mentio fit de Danis alias. Causa, quæ prætendebatur adventûs, seu præcipuæ incursionis, habetur in Bromptoni Chron. col. 804. Horribiles Tragœdias, quas pòst edidere, vide in Ingulfo fol. 865. & seq. Eorum duces præcipui Inguar & Hubba; maximè strenui, & maximè crudeles. Memoriæ proditur Ositham sublatum humo caput vexisse ad Templum SS. Petri & Pauli, quod jugerum trium spatio aberat, & pro foribus proprio perfusam sanguine concidisse an. D. circiter 870. Corpus Alesburiâ vocis e cœlo allatæ monitu Chichiam translatum, ab ipsa modò S. Osithæ nuncupatam. De illa Pol. *l. 3 Hist. Rosweydus in Fastis SS. Octob. 7: Sur. Tom. 5: Capgravius in Catal. SS. Angl.*

Vulnerane, an totidem radios, & sidera cerno?
Surgentem Oceano quà respicit Anglia solem,
Regnum hìc Edmundus tenuit. Tria lustra potitus
Imperii, quarto caruit: potioris at ævi
Inde daturus Olympiadas. Labefacta resedit
In sordes Tellus misera; * *incitæque* ruentem
Fortunam excipiunt solæ. Nec distinet Ursam
Purpura. Nutritus tenebris, & discolor Ales
Ominibus diris Regum strepit atria circum.
Lancem appendebat Danus. Librasse pigebat
Tot vulgi exiles animas. Feritatis & ipsæ
Ipso cum capite in lancem venere Coronæ.
I, pete, Dane, caput, capitique avelle coronam.
Induet avulsam Victoria, vulneribusque
Regia in augustis solium Victoria ponet.
Parce minis, quas nec metuit, nec rejicit, Inguar
Crudelis. Crudo pendens e stipite Numen
Qui videt, huic solium palo mutasse decorum est.
Insultare licet victo; duxisse triumphum
Cui tamen haud alium libuit. Nec vincula terrent,
Quæ nequeunt vincire. Manus apprendere palmam
Promp-

Edmundus Anglorum Oriental. Rex.

A Danis alligatus ad palum verberibus cæditur, sagittis configitur, & capite demum truncatur eximius Martyr.

* *De quant. vocabuli hujus proverbialis, ne quis erret, consulat* Pro*sod. Boloniensem.*

Promptiùs hinc novere, premunt vestigia cursum
Liberiùs. Carpenda patet via. Quò via ducit,
Libera quò tendunt cursum vestigia, Cœlum est:
Vertex ille, rotam qui solis, & ætheris axes
Despicit, astrorumque vias; & quas modò Martyr
Suspectat, mox despiciet. Quæ flagra satelles
Concutit, excipient humeri; neque verbera, tergo
Romano interdicta, Fides Romana recusat.
Quæ portam morti extremam, vitæque recludant,
En patet, & properas accersit meta sagittas.
Occurrit lætus *Morti*, dextramque tetendit
Impavidus. *Mortem* urbanam, Manesque benignos
Quis neget? Officii illa memor, Salve, inquit: & ul-
Excipiere meis. Salve; nec (*a*) Terra salutem, (nis
Nec mea jura datam fallent. Venerabitur orbis
Depositum. Te Roma colet, tibi Roma Penates
Instruet: at Fidei *quales decet exulis esse*.
Assurget tibi (*b*) Chrysogonus confinis, & hospes
Martyr; in Edmundoque suum (venerabilis Aulæ
Pulchriùs e vultu elucens) mirabitur (*c*) aurum.
In plagis, Edmunde, tuis si Gloria sedit,
Tela piger damnet jaculator, verbera lictor
Damnet iners. Ergo membris & parcit arundo,
Et virgæ parcunt. ultrix in vulnera sævit
Invidia. O bellatorem! si Vulnera miles
Enumerat, quò te vertes? æquantia stellas
Tam numero, quàm luce vides tua vulnera Miles.
Ecce *homo!* Nil hominis potiùs. Superesse fatetur
Purior illa tamen, nativaque purpura *Regem:*
Quemque, caput ferro dum præsecat Hubba, coro-
Vulneribus feritas infligere vulnera novit, (nat.
Et potuit. Poterat regalis copia venæ
Et rabiem flagri, totamque explesse sagittæ
Fortè sitim. Immanem at dudum regeruntur in hostem
Tela sua. Ultrices hærent sub corde sagittæ,
Flagrorumque ictus subeunt, Edmunde, tuorum
Ferales humeri, & numerum subducere norunt.

(a) *Nam de corpore ejus incorrupto suprà in Audrya ex Malmesburiensi.*

(b) *Ædicula S. Edmundi Romæ prope Templum D. Chrysogoni.*

(c) *Cum allusione scilicet ad* Chrysogoni *nomen.*

O Pugil, excelsi pulcherrime sanguinis Heros,
O cœli bellator, (*d*) *Ubi es?* Si quæritur ingens
Cæsar, adi Statuas, & dicent, Julius *hic est.*
Si Socer, e Phariis tuba rupibus inquiet, *hic est.*
Si Macedo, meus *hic*, orbis sonat urna, Gigas est.
Thuricremos, *ubi sint*, prodent sua busta Nerones.
Edmundum quæro? Lacerum sine corpore nomen
Hic caput *est*, clamant (*e*) Vepres; Sine nomine corpus,
Verberibus sectum, hostili data præda pharetræ, (*est*,
Hic est, dicet (*f*) Hegildunum. At, quem quærimus, *Hic*
Hic situs est Edmundus, & hospitis inter Olympi
Lumina, sidereos Proceres Rex aureus inter
Funeris eximii pompam sine funere ducit.

(d) *Allusum ad ea quæ habentur in prosa circa post inquirentes Edmundi Caput inter dumos projectum, & sibi invicem inclamantes.* Ubi es? *Capite ex improviso respondente,* Hìc.

(e) *Eò caput projectum a Danis.*

(f) *Eo in loco passus.*

S. Edmundus, Alcmundi e stirpe regia Anglorum Orientalium filius, Anglorum Orientalium Rex. Quid Romæ Alcmundo contigerit circa præsagium futuræ Prolis, vide Joan. Anglicum in Edmundo. Postquam annis 15 *laudabiliter in primis imperasset, in prima persecutione Danica sub Inguare & Hubba belli ducibus interemptus est. Quæ acciderunt circa prælium cum Danis, & circa Martyrium ejus, vide memorabilia in Westmon. Hic. Alligatum primò ad arborem verberarunt atrocem in modum: deinde sagittis confixum capite truncarunt. Caput in sylva inter vepres abjectum (ubi & anno integro permansit) post Danorum recessum Christiani cùm postea conquirerent, factum est, ut viarum inter anfractus a se longiùs disjungerentur. De sociis proinde non minùs quàm de se soliciti, & locorum incerti cùm se mutuò alter alterum crebriùs inclamantes contenta voce dicerent,* Ubi es? *respondit identidem ex improviso S. Martyris Caput,* Hìc. *Et Magdeburgenses. Cent.* 9, *c.* 12 *hoc agnoscunt. Vide etiam Camden. Brit. fol.* 414: *& Holinshedum lib.* 6, *c.* 12. *Eo indicio ubi Caput offendissent, intulerunt in tumulum simul cum corpore. Passus circa Hegilsdunum* (Hoxoniam *modò dicimus*) *in Com. Suffolciensi an. D.* 870. *Hoxoniâ post translatum corpus Buriam,*

riam, Bederici-cortem dictam olim, Edmunds-Bury *indè hodieque nominatam. De illo Osbertus de Stoke in ejus vita: Abbas Floriacensis: Martyrol. Rom. & alii. Vide* Statutum *de Festo ejus observando editum an. D.* 1222 *a Stephano Archiep. Cantuar. Post annos* 50 *Corpus incorruptum inventum. Quid acciderit circa tractationem sacri corporis indecoram, vide Malmesb. de Pontif. l.* 2, *fol.* 240. *Item circa Sacrilegium punitum mulieris cujusdam vide Giraldum Cambrensem in Itiner. l.* 1, *c.* 2, *publicatum pariter a Davide Powello. Fatetur quidem in Præfatione subiisse sibi in mentem celare, quæ ad* Partes *adversas illustrandas facerent, at pudore deterritum fuisse tam probrosæ notæ. Ingenuum profectò istud, & laudabile. Lucifuga Noctua est: at Lucem ea nequit non agnoscere. Quæ contigerint ad Sepulchrum ejus tempore Swani Danorum Regis, & quomodo Swanus ipse occisus fuerit ab eodem S. Edmundo dudum mortuo, vide apud Capgrav. in vita S. Edmundi, & apud Joan. Sarisb.* Polycrat. *l.* 8, *c.* 21, *& Baron. hic.*

Edwoldus.

Edmundi frater, regno repudiato, vitam eremiticam amplectitur.

Frater adest. Fratrem non deserit. Attamen Aulæ
Imposuit. Lapsum Edmundi Diadema cruento
Vertice in Edwoldi crines assurgere cœpit.
Prospexere illi canos, inducere fulvo
Quos capiti diadema solet. Tum verticis aurum
Librando tentans abjecit inutile pondus
Indignata manus. Nemorum Spes incola dextræ
Astitit, &, quam tuta Salus insistere posset,
Ostendit præitura viam. Subit ille: monentem
Et spem non mentituræ petit otia sylvæ.
Et Libanum cedris spolient, & marmore montes
Sidonios alii. præbent tibi tesqua Penates
Fortuitos, nullâque tumet spelunca rapinâ.
Incedant alii niveo, (candoris egentes
Alterius,) ferrugineo te celat amictu
Tela rigens, Oculo nec displicitura, venustas
Cui sola interior placet. Acclamantibus Euris

In-

Insideant alii curru, cui Gloria Famæ
Comit equos. humili dumos in tramite plantæ
Metiri novere tuæ, lapsumque timere
Inde minùs. Cellas alii prædentur Etruscas,
Cùm Methymnæis Mareotidas, & sua, torvos
(*a*) Centauros inter, pugnacis & Orgia vini,
Lenæâ tumidi vertigine gaudia librent.
Dant cyathos liquidi fontes tibi: frigida nutrit
Ardoris sacri flammas. Et pocula quamvis
Sylvarum (*b*) Lapithæ tecum communia libent,
Rixa procul tamen. Hìc, dentis securus & unguis,
Tecta Feras inter mites consortia servas.
Peccatum fera, non hominem petit. Una rebelli
Lis illi cum Peccato est. Fera quàm tenet Urbes
Deterior, Dens deterior, funestior Unguis!
Et neque furtiva (*c*) Coluber malus obsidet umbras
Fraude tuas: epulum infelix nec porrigit Arbor
Fatalis, linguæ insidiis medicata trisulcæ.
Sed neque per sylvas (*d*) *vocem spatiantis ad auram,*
Dum ferveret adulta dies, Edwolde, timebas,
Nudus opum. Nudæ timeant virtutibus Aulæ.
Abstulit Edmundi lictor Caput ense, Coronam
Fulmine belligeri Ducis imperiosa Tyrannis.
Dum lustrat nemus & sylvarum devia, Coeli
Contemplatori Edwoldo, quam nullus ademit
Ensis, non adimet fulmen, *Pars optima cessit.*
Elegit partem, quæ nec fugitiva recedet.

(a) *De Centaurorum, seu Lapitharum compotationibus notum: quò hìc alluditur.*

(b) *Feræ sylvestres hìc intelliguntur, cum allusione ad proximè dicta: vocabulum alioqui insolens.*

(c) *Hìc alludi posset ad* Heylum, *de quo suprà in Ethelberto, qui in his Edwoldi sylvis olim colebatur tanquam alter Æsculapius, qui Serpentis etiam speciem olim gerebat. Atqui alluditur ad Serpentem in Paradiso.* (d) *Item ad illud,* Cùm audissent vocem Dei deambulantis ad auram post meridiem, *&c.* Timui, eò quod nudus essem. *Gen.* 3.

S. Edwoldus, Edmundi Regis frater, inter Reges & ipse non prætereundus silentio. Post Fratris interitum oblatum Anglorum Orientalium regnum recusavit. Totum se addixit Contemplationi, vitam solitariam & eremiticam in sylvis degens. Locus, quem elegit, erat in regione Sax-

onum Occidentalium in Com. Dorcestriensi, Cernley, seu Cern appellatus; ubi & S. Augustinus antè Idolum quoddam destruxit Heyl, seu Helith nominatum, de quo suprà in Ethelberto, Æsculapium scilicet alterum, ad morbos sanandos, uti credebatur, potentem; atque ubi ad preces ejusdem Augustini Fons emanavit ad loci illius Saxones, qui convertebantur, Baptizandos, Fons Argenteus nuncupatus. vide Leland. in Monast. p. 250. Mort. an. D. circiter 880. Sepultus ibidem. & magnam semper habuit sanctitas ejus apud incolas venerationem. Herebertus Rosweydus in Fastis. Malmesb. l. de Pont. Angl.

Etheldredus.

Bellator eximius, & virtutum omni genere celeberrimus. A Danis demum oppressus occubuit.

Etheldrede, venis. Et ades, quo sanctiùs alter
Nec pacis, nec militiæ tractaverit artes.
Bellica Etheldredum Pietas ad sidera, Famæ
Laudumque ad summos apices Victoria Nomen
Extulit. At constat tamen infra sidera, Lunæ
Non patiens, nihil. Aligera est Victoria. Signis
Illa diu, Etheldrede, tuis insedit; at alam
Non posuit. Vitam rapuit, raptoque resedit
In solio Danus. Nec seciùs *Optima* Regi
Pars manet, & mansura manet. Pars optima regni,
Etheldrede, tui fuit incola pectoris aurei
Inconcussa Fides, Solio quæ prætulit Aram,
Cui cum sanguineâ caput advolvisse tiarâ
Non piguit: linguæ fuit Indulgentia comis,
Par ori dextræ pietas: fuit igneus Ardor
In Superos, alituræ ignem non degener Auræ:
Morum libra fuit constans, quæ, lancis iniquæ
Momentique ignara bilinguis, in æqua pependit
Pondera: Concentus Legum fuit, & fuit æquus
Justitiæ tenor, accinuit qui Legibus æquis.
Quod subiit litem Scelus, & subsellia, risit?
Quæ meruit Probitas doni solamen, & alsit?
Ingemuit quæ Paupertas, cui surduit Arcæ
Auris avara, feræve tenax & ferrea porta?
Etheldredo hæc usquè manent, stipantque sepulchrum,

Mis-

Miscenturque sacro cineri. Subit ora Tonantis
Præsidiis his securus, per ferrea belli
Claustra, per armorum cuneos praecincta recludit
Hoc Coetu Pacis limen, (a) Temploque Laboris
Egressus, Templum petit Etheldredus Honoris.

(a) *Alluditur ad utriusque Templum contiguum olim apud Romanos.*

S. Etheldredus, alias Ethelredus, Ethelwolfi seu Ethelnulfi filius, Saxonum Occidentalium, & Angliæ Rex, Virtutum omni genere insignis, atque inter maximè magnanimos meritò numerandus. De præliis ejus adversus Danos vide Annales, & Malmesb. de Reg. l. 2, c. 3. De Pietate ejus istud memorabile. Cùm prælium Ashendunense ingrueret, & corpus jam fervuerat, accidit, ut in tentorio suo Missæ sacrificio interesset. Mora hæc negotio jam tractando videbatur importuna. Verùm sanctè obstinabat animo è tentorio non excedere, donec rem divinam Sacerdos peregisset. Inde continuò, vexillo Crucis elato, progrediens neglexit pugnam, & victoriam obtinuit. Vide Asserum hic. Factum hoc Consilio respondebat Nicolai Papæ, qui Ethelredi hujus tempore præerat Ecclesiæ: Consilio, inquam, quod Michaeli Bulgarorum Regi Pontifex dederat. Cùm, inquit, te ad pugnam paras, in nomine Dei non omitte Missarum solemniis interesse. *Vide Bromptonem ad an. D. 861. Whitingamia tandem, uti refert Camdenus in Dorcestriæ oppido pervetusto apud Anglos occidentales, imperia à Danis & vita in odium Fidei Christianæ spoliatus est ann. D. 872. Sepultus Winbornia in Com. Dorcestrensi. De Inscriptione Camdenus idem sic.* Hoc in loco requiescit corpus S. Ethelredi Saxonum Occidentalium Regis, & Martyris, qui Anno 872. Aprilis 23 a Danis Ethnicis occisus est. *Vide Ingulfum, Marian. Scot. in Hist. Annales Anglorum. Ab Egberto usque ad mortem Etheldredi intercesserunt anni 72. Vita Ethelwerdus. l. 4, c. 3.*

Frater Etheldredo superest, & sanguinis ultor
Fraterni, & Fidei vindex. Præludit arenæ *Alfredus.*

Victrici *Prin-*

Victrici ærumnosa quidem, irrequiesque palæstra.
Vim patitur, superesse suis tamen ignibus aurum
Splendidius, superesse suis incudibus audet.
His Virtus pugiles explorat & expolit armis
Pugnæ non ignara suos. Quam subtrahit ictu
Verberis imprudens arcæ custodia vestem,
Oti cæca quies, tineæque silentia carpunt.
Sic & tranquillis recubans sub solibus aër
Tabem deses alit. Vento experrectus amicam
Nimbi sentit opem: morboque medela procella est.
Nec minus interea Pugili sua sæpe Juventa
Bellum intestinum movit, nativaque cæco
Marte Venus, vulnusque intentatura cupido,
Dictum * herbis olim nullis medicabile vulnus.
Exclusit telum Pudor, illæsumque Pudorem
Præstitit ingenuæ nata Integritatis in horto
Herba, *Timor*. Pugili casto vicisse, timere est.
Excussis tandem tenebris * palmata sub auras
Erumpit Pietas: geminoque exercita Martis
Alterius campo terras sub casside lustrat
Diversâ, tumidum bellis & navigat æquor.
Dane, capesse fugam. Alfredi tentoria velox
Advolat, inscribitque auram Victoria pennis
Indigenis, pertæsa Getam. * Si prælia pensem,
Egressus castris nunquam censebere, nunquam
Cœnobio, si virtutem. Fovisse lucernam
Dicêris solam, docti si pectoris Artes,
Foetusque ingenii numerem. Si publica regni
Munera dispicio, si Jura, Forique togatam
Militiam, sacris nullas non Legibus horas
Censuerim addixisse. Memor Shastonia debet
Alfredo, memor Alfredo Wintonia debet:
Alfredo terrarum orbis Te debet in Unâ,
(a) Artium amica domus, (b) Musarum candida sedes,
(c) Exedræ & Sophiæ geminæ pulcherrima Vindex,

Princeps in primis egregius. Malis plurimis exercitus ante quam regnum obtineret. Subegit Danos terrâ, marique. Academiæ Oxoniensis fundator non immeritò dictus.

* *Sic Poeta.* Nullis amor est medicabilis herbis. *At reperta una, de qua obiter in prosa, quæ ictum etiam excludat,* Timor Domini *dicta.*

* *Victores olim induebantur veste palmatâ, id est, palmis intextâ,* palmati *inde dicti. Ita Livius, & Martialis.*

* *Similia de eo Spelm. in Conc.*

(a) *Hæc, & Notæ literales sequentes circa Oxoniam comparandæ sunt cum Notis similibus in Prosâ infrà.*

(d) In-

(*d*) Ingeniorum Hospes, (*e*) numerosæ pubis Alumna,
(*f*) Magna Virûm, Sobolisque Parens, Oxonia, magnæ,
(*g*) Si quid habet, tibi quo certet Lutetia, *verso*
Pollice (Roma vetat) tibi ne Lutetia certet.
(*h*) Cresce, Soror nostra es, millena in millia cresce;
Cantabriges aiunt; Cantabrigiæque Sorori
Expedit amplexus Oxonia: Seculaque annis
Adde tuis, inquit, totidemque in millia cresce.
(*i*) Si vellunt aurem, Alfredos *Isis* audit, & audit
Cama Sigebertos pariter, si vellitur auris.

S. Alfredus, aliàs Aluredus, Saxonum Occidentalium, & Angliæ Rex, Ethelnulfi suprà dicti filius natu minimus, Etheldredi fratris in imperio successor. Vide insignem pietatem ejus in Assero in vita Regis Alfredi: & quid in juventute adhibuerit ad fugandas libidinum illecebras. Non deerat illi certè Herba illa salutaris, Timor Domini, *de qua Orlandinus in Hist. S. J. De miseriis ejus* (*Danis jam dominantibus*) *casuumque variorum interventu, antequam imperium obtineret, vide Asserum, & Annales: & quid demum contigerit circa prælium primum omnino memorabile ad* Edington, *sic modò nominatum. Inde principium sumptum ad maxima, & singularia, quæ consecuta sunt, Hubba jam occiso. Mirum est, in ejus laudibus Autorum omnium conspiratio quanta sit. A Danis, qui Provinciam ejus incursionibus infestam reddebant, victorias plurimas, atque insignes reportavit. Cum iisdem prælia omnino celeberrima terrâ marique commisit quinquaginta sex. Mortuus demum an. D. 899. Sepultus Wintoniæ. Monasteria varia fundavit: inter cætera Shastoniense, & Wintoniense. In tantum restituit in pristinam amplitudinem, seu longè potiùs supra evexit celebrem illam Academiam Oxoniensem, ut Fundator munificentissimus dici meruerit. Certè Appendix ad Joannem Stoum pag. 956, cætera omni missa ambage, Academiam Oxoniensem ab Alfredo Saxone dicit institutam. De illo Marian. Scot. in Hist. Abbas Floriacensis in Chron. Wion, & alii.*

Sequuntur Annotationes ad Carmen similibus Literis signatum circa Oxoniam.

(a) *Pauca e plurimis. De Mathematicis, Perspectivâ, Baconi Tetragonismo, &c. vide Briannum Twynum pag. 352, & seq. Ubi pariter, autore Joanne Gersono* in Concione ad Pisas euntes, *invenies* Mentiri nescire Oxonienses in suis Determinationibus. *De peritia in Linguis Latina, Græca, & Hebraica vide eundem p. 341. De Arte Calculatoria p. 342: Ubi vel de unico Swiceto testimonium affert Julii Scaligeri, (qui & ipse Oxoniæ studuit,) dicentis.* Eum humani ingenii modum pene omnem excessisse: ac veluti Ockamum alterum Oxoniensem omnia Veterum ingenia subvertisse, & nova ob invictas & incomprehensibiles subtilitates fabricasse, & confirmasse, *Exercit.* 324, *Sect.* 1. *Medicinam, & cætera omitto.*

(b) *Inter cæteros testis adducitur Alexander 4. Anagninus, Pont. Rom. in Annalibus Duttonensibus.* Per Dei gratiam, *inquit,* vix reperitur Regnum aliquod in orbe terrarum, quod vel majorem, vel adeo magnam, sicut Regnum Angliæ, habeat virorum copiam peritorum. In hoc enim Regno invenitur Fons amoenissimus Heliconis, de cujus liquore dulcissimo non solùm Incolæ Regni ejusdem, verùm & Alienigenæ sua suavia sumunt & hauriunt pocula, per quæ arida eorum foecundantur corda, & sitibunda reficiuntur pectora copiosè. Hìc liberales Artes, quibus rudia hominum ingenia imbuuntur, resident, *&c. Cæterùm Oxoniam vocat in sua* Charta *Edoardus* 3 Fontem, & Alveum præcipuum Anglici Studii. *Imò non* Fons est, sed ipsum Circularis Eruditionis Mare in plures Facultatum rivulos derivatum, *teste Lelando.*

(c) *Hac de re Edoardus* 3 *videri poterit in suis* Chartis *ad Oxonienses; ubi Oxonium nominat* Sapientiæ culmen, mirabilia toti orbi proponens; *Gulielmus item Rimston in sua concione, quam an.* 1372 *in*

Synodo

Synodo Eboracensi habuit: ubi Oxoniam appellat Cœlum stellatum illuminans mundum, & originalem Fontem Sapientiæ, indesinenter emittentem rivulos Scientiæ septiformis. *De Juris Canonici studio sic habe: Patres Lugdunenses*, ad regulandum Juris Canonici studium, *autore Bonifacio* 8, *ad Academiam Oxoniensem Librum Decretalium sextum (in Templo Fratrum Prædicatorum an.* 1298, *Indict.* 12, *die Mercurii, qui fuit* 19 *Novemb. Oxoniæ publicatum) tractandum, & perlegendum transmisisse. Deinde ob Theologicas, quibus Anglia floruit, disciplinas, erat, quòd Alexander* 4. *Anagninus, Pont. Rom. suprà memoratus, & suprà dicta prosequens, sic ulteriùs scriberet.* Hinc procedit inclyta multorum Doctorum & Sanctorum prosapia, de quorum consortio supremus gaudet exercitus, & coronatur in cœlis acies bonorum; & per quos Christianus illustratur populus, & Fides Catholica roboratur: & de quorum etiam pectoribus alti eruperunt, jam & erumpunt putei Scripturæ, qui documentorum fluentis rigant Provincias convicinas. *Atqui ob easdem disciplinas Matthæus Paris Oxoniam nuncupat* Ecclesiæ Fundamentum. *De Philosophia Aristotelica, cujus Oxonienses fuere acerrimi propugnatores, vide Registrum an.* 1448.

(d) *Oxoniam confluxere primùm Philosophi Græci: atque inde Academiæ ductam originem videbis apud Brianum Twynum p.* 113, *& seq. Sunt, qui referant ad Arviragum regem, & Olenum Calenum, Augurem Hetruscum, à quo primùm* Calena *dicta fertur. Bonifacius, inquit Matth. Paris, Oxoniam adivit, ut ibidem* convocatâ Scholarium universitate, *quæ diversis e mundi partibus illic studuit, &c. Aliquot Parisiensium millia Oxoniam convolarunt, quemadmodum scribit Paulus Æmilius in Ludovico* 9. *Vide D. Antoninum par.* 3, Tit. 9: *Hist. Magdeburg. Cent.* 13, *cap.* 8: *Vincent. in Spec. Hist. l.* 13, *c.* 137. *De recentioribus, ut Julio Scaligero, Ludovico Vives, & cæt. taceo.*

 (e) *Rich-*

(e) *Rickardus Fizrauf Armachanus in* Propositione coram Papa *sic testatur.* In Studio Oxon. meo tempore *(id est temporibus Edoardi 2 & 3)* erant Triginta millia Studentium. *Reginaldus Polus, pòst Cardinalis, qui summum Academicæ dignitatis apicem Oxoniæ post D. Joannem Masonum obtinuit, tuendo atque augendo Studentium numero consuluit, dum inter* Articulos *in Academiæ Oxoniensis* Visitatione *inquirendum statuit, An solitus esset Studentium numerus: &, si diminutus esset, causa diceretur. Hic Cardinalis Collegii Corporis Christi fuit Alumnus.*

(f) *Inter Oxonienses Magistros, & SS. antiquiores, prodeunt S. Germanus, S. Gildas, S. Nennius, S. Melkinus, S. Kentigernus, S. Alcuinus, S. Grymbaldus ab hoc Alfredo Cancellarius Oxoniensis constitutus, & S. Neotus. Inter recentiores verò S. Thomas de Becket in lege civili, S. Richardus Lincolniensis, S. Edmundus de Puntney, S. Richardus de Chichester Magister Artium, S. Joannes de Bridlington, S. Thomas de Herefordia Magister in Artibus, S. Joannes de Beverly Magister Artium: de quo seriùs tamen, quàm par erat, facta hic mentio a Bryano, unde hæc sumpta. Præterea Alexandrum 5 Papam, Scotum illum Scotistarum principem, Neckamum, Ockamum, Alexandrum Halensem, Baconum, Morum, &c. Joannes Erigena inter priscos numerari poterit: quem & conatur a calumniis defendere Autor modò dictus fol. 211. Vir erat ingenii acutissimi, & literaturâ omni excultissimus. Erroribus tamen censebatur obnoxius. At palinodiam cecinit. Certè in Supplemento Martyrologii Gallicani annumeratur Sanctis ad 4 Id. Novemb. Irrepsit pariter in Mart. Rom. At cautiùs inde expunctus a Card. Baronio. Vixit ætate Alfredi, de quo modò.*

(g) *Bryanus idem p. 361 (ut Parisios hinc viam instituam) e Clementina Oxoniense Studium (cujus appellatione generalem intelligit Universitatem, ut ait Glossator) cæteris Provinciarum Studiis generalibus præponi intelligit.*

intelligit. In eodem Autore p. 312 vide Gesta Oxoniensium in Concilio Constantiensi: Ubi, orta in Concilio inter Anglos & Hispanos quaestione de Loci prioritate, *cùm ostenderetur, quantis privilegiis Sedes Apostolica antiquissimum Oxoniense Studium supra Salmanticense insignisset, in Clementinis Constitutionibus, atque alibi praeposuisset, totius Concilii definitione Nationi Anglicae* prioritas *concedebatur. Certè nec minùs memoriae traditur circa an. D.* 1279, *in Urbe* P*arisiensi Nationibus de* Primatu *dissentientibus.* P*raerogativam Anglis solis a Simone Legato* P*ontificio adjudicatam fuisse propter Bedam Anglum, qui primus (administro nimirum usus Alcuino Oxoniensi, discipulo suo) Gallos erudiisse dicitur. Itaque non immeritò Alcuinus idem, ex Anglia accersitus,* P*arisiensis agnoscitur Studii Fundator.*

(h) *De Oxoniae & Cantabrigiae geminis Universitatibus sic demum scribit* P*aulus Jovius.* Vigent, *inquit,* in Anglia duo Gymnasia, *Oxonia, & Cantabrigia.* In haec ingenuorum Adolescentum ingens numerus ad perdiscendas liberales disciplinas concurrit, *&c.* ut non mirum sit inde provenisse Ingenia, quae in Dialectica, Philosophiaque, & in sacris Literis Europam omnem subtilitatis admiratione compleverunt.

(i) *Vellicationes neque modicae, neque ingratae sunt Memoriae veteris Encomia, quibus ad Majorum* Charismata *aemulanda* P*osterorum ingenia excitentur.*

At Alfredi genealogiam, si lubet, vide apud Asserum. Extat enim, quod ibi reperies singulare.

Interim ad Regum consequentium seriem persequendam haec videntur addenda.

Celeberrimo huic Alfredo 5 erant liberi: Ethelfreda, magnanima illa, de qua plurima Annales, Ethelredo Merciorum Comiti nupta: Edwardus senior, ita pòst dictus ad distinctionem Edwardorum, Martyris & Confessoris: Ethelgeda, quae secessit in Monasterium Shaftoniense, quod Alfredus P*ater aedificaverat: Elfrida, Baldwino secundo Flandriae Comiti nupta, ex qua Ma-*

thildem suscepit matrem Gulielmi Conquestoris: Ethelwardum natu minimum, & quem Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 4, appellat Principem doctissimum: at quem mors immatura intercepit.

Alfredo succedit Edwardus Senior. De hoc Rege inter primos insigni vide Malmesbur. de Reg l. 2, c 5. Erant illi tres Uxores. Prima, Edgiva, eximiæ pulchritudinis, at Pastoris cujusdam filia, ac proinde Concubina potiùs, quam Uxor vulgo diu habita. Memorabilia de illa vide in Bromptono fol. 831. Ex ea suscepit Athelstanum, principem egregium: Elfredum, mortuum ante Patrem, & Filiam Editham, alias Eadgitham, Sithrico nuptam, at pòst in Sanctimonialium numerum ascitam. Secunda erat Elfleda. Ex ea geniti 3 Filii, Elswardus atque Edwinus, optimæ spei Principes, sed immaturâ morte sublati, & Gregorius Eremita; Filiæ 6, Edfleda, Sanctimonialis in Monasterio Rumseyensi: Egwina, Carolo Simplici Francorum Regi nupta, ex qua Gislam illam genuit, in conjugem scilicet pòst datam Rolloni (Roberto illi nomen post Baptismum) Normanniæ Duci. ac quo festivum illud a Gemiticensi l. 2, c. 14. memoratur. Francorum Regi cùm nollet ipse per se Homagii *solitum munus præstare, præstitit per unum e Militibus. Ille, cùm demittere se de more oporteret ad pedem Regis osculandum, pedem contrà tam altè sustulit, ut Regem de sella retro dejecerit. Ex eadem Elfleda suscepit Edwardus Ethelhildam, Sanctimonialem pòst factam in Monasterio Wiltoniensi: Item Edhildam, inauditæ pulchritudinis feminam, nuptam deinde Hugoni, magno illi Parisiorum Comiti, e qua genitus Hugo Capetus, e familia regia Capetorum Princeps primus: Item Edgitham, nuptam demum Othoni primùm Regi, pòst Imperatori; Deinde Elgivam natu minimam, quæ Sororem in Germaniam comitata conjugem inde habuit Ducem quendam prope Alpes, cujus nomen Annalibus nostris latet. Tertia Edwardi Uxor erat Edgiva, Sigelini Comitis filia. Filios ex ea duos habuit, Edmundum atque Edredum:*

& duas filias, Eadburgam atque Edgivam: hanc formâ præstantissima præditam Ludovico, e Caroli Magni stirpe, Aquitaniæ Principi in conjugem tradidit Athelstanus frater: illam sua integritas, & pudicitia Christo despondit in Monasterio Wintoniensi.

Edwardus hic fortitudine bellica nemini secundus. Illi subditi Angli, Britones, Scoti, Cumbrii, Gallovidiani, Dani omnes, qui insulam incolebant. Annos 24 regnabat inter bella continua. Quot prælia cum hostibus commisit, tot victorias retulit. Ædificavit varias Urbes, Arces plurimas, multa Monasteria. Mortuus an. D. 924. In Monasterio Wintoniensi sepultus.

Athelstanus Patri succedit, Princeps admodum illustris: & qui Regum Anglorum primus Diademate imperiali coronabatur ab Athelmo Archiepiscopo Cantuariensi. Amicitiam ejus plurimùm ambierunt exteri Reges; inter quos Haroldus Norvegiæ Rex Navem ad ipsum misit rostro aureo, velis purpureis, & scutis aureis insignitam. Quæ insuper ad eum dona miserit Hugo Capetus, vide Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 6. Sub hæc tempora contigit Duellum illud celebre inter Guidonem Varvicensem, & Colbrandum Danum. refertur ab Harpesfeldio Sec. 10, c. 11. Ludovicus, Caroli Simplicis filius, ad Athelstanum avunculum educandus mittitur. Inde illi nomen Ludovici Outre-mer, seu Transmarini. Athelstanus, postquam regnasset 16 annos, moritur Glocestriæ. Res gestas Regis hujus eximias & singulares refero ad Annales. De prælio illo horribili, & victoria (Voto prius edito S. Joanni Beverlacensi) in secula memorabili, reportata uno die a Danis, Norvegis, Scotis, &c. de quinque Regibus occisis, &c. vide Malmesb. Ingulf. Hoveden. &c. Victoriæ hujus fama usqueadeo spargebatur per orbem universum, ut Reges exteri propemodum omnes Athelstani inde amicitiam studiosè ambirent.

Athelstano mortuo absque liberis succedit Edmundus ejus Frater, 18 annos natus. Magnanimus & pius. De eo plurima in Annalibus. Uxorem duxit Elginam, alias

Elf-

Elfgivam, seu Algivam. Ex ea geniti filii duo, Edwynus & Edgarus. Regnabat sex tantùm annos cum dimidio. Sepultus in Monasterio Glastoniensi. De cæde ejus inopinata an. D. 945 vide Westmon. & Hoveden. hìc: Item Stoum, quem sequor, uti pòst patebit in Elgina.

Edmundo extincto, cùm nec Edwyo, nec Edgaro *per ætatem puerilem liceret imperium capessere, succedit* Edredus, *Edmundi Frater, Princeps insignis. De Gestis ejus vide Annales. De ultimo Testamento legendi Annales Vintonienses. De Pietate ejus Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 7. Circa mortem ejus quid S. Dunstano contigerit, vide Hoveden. fol. 425. Mortuus an. D. 955, postquam annos octo regnasset.*

Succedit Edwyus, Edmundi filius, admodum juvenis, & quem Ethelwerdus *l. 4, c. 8, hominum formosissimum appellat, ac proinde cognomento* Pancalus. *De ejus libidine atque improbitate vide Osbernum in vita S. Dunstani, & Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 7. Itaque Proceres, cùm diutiùs ferre non potuerint improbitatem ejus, & tantum Regni opprobrium, inter eum atque* Edgarum *Fratrem consensu unanimi diviserunt imperium. Vide Westmor. hìc.* Exorsus *Regni annum quintum e vita cessit. De resipiscentia tamen ejus, & salute æterna, uti optimè speratur, vide Baron hìc, & S. Dunstano circa mortem ejus quid evenerit: item Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 7. Sepultus est in novo Monasterio Wintoniensi.*

Succedit Edgarus in Regni totius Monarchia, ætatis anno 16: ab adventu Saxonum 510: ab Augustini ingressu 363. Erat Angliæ gloria & deliciæ: Prudens, Mitis, Misericors, Liberalis, Bellicosus, & Legum æquissimarum Institutor, dilectus Deo & Hominibus. In nationes omnes ejus fama spargebatur; & venere in Angliam exteri plurimi ad videndam magnificentiam ejus, & sapientiam audiendam. De his Vigorniensis, Hoveden. Malmesb. & Huntindonus. Excursionis hujus causa Lectori, opinor, non latet.

Suc-

Succumbit morti Alfredus: nomenque ſuperſtes
Marmoris atque ævi tabulis Wintonia mandat.
Ethelwyda Viro ſupereſt. Secedere regno,
Et mundo placet: & thalamum caſtiſſima nubit
In potiorem Uxor. Nexus ingrata priores
Diſſecuit Mors. Connubiis Mors altera fertur,
Mortua quâ mundo cœlum vitalius hauſit,
Indulſiſſe novis. Sponſo parere parata
Inde novo, ſobolemque novam paritura receſſit.
Obducunt caſtam crinali Flammea vittâ
Altera canitiem. Valeat diadema, faceſſat,
Sollicitetque alium pretioſo pondere crinem.
Serta juvant, Violæ Elyſiæ ferrugine ſimplex
Quæ tinxit Pudor; hæc vernent in verticis ævo,
Sponſa, tui, Viduæque caput regalis inumbrent.
Et (*a*) *ſtipant flores latus:* at Solymitides olim
Pollice virgineo quos decerpſere Puellæ.
Et lucent Tedæ: ſed quæ ſine Cypride flagrant,
Veſtaliſque oleæ rapiunt e lampade flammam.
Et formoſus adeſt, ſed qui ſine fraude cubili
Aſſidet, æthereoſque in fœdera miſcet Amores,
Æternorum Hymen & ſponſor & obſes Amorum.
(*b*) *Languet amore.* Juventa quidem defecit. at aureâ
Pallentes anni meruere ab arundine vulnus.
Sponſe veni. propera. Mediis *e* (c) *millibus* unum
Elegit te. (*d*) *Pardorum* ſeu *montibus* erras,
Seu Balantum in valle ſedes, ſeu (*e*) *Vinea* falcem
Detinet *Engaddina, Cypri* ditiſſima *botris*
Illa tuæ, ſeu te mediis in ſolibus (*f*) Auſtri
Ventilat ala *cubantem*, incumbentiſque Diei
Flammifero *Zenith* e vertice tela retundit,
Sponſe veni. (*g*) *Sexaginta* quam *Fortibus* ambit
Militia irrequies, Salomonis eburnea ſponda
Fortè tubas, clypeoſque inter, bellique minaces
Excubias te præ reliquis tenet. At tua Bethle,
Et cannâ ſeptæ modicâ non excidat aulæ
Non ingrata quies. Sic te nec fortè pigebit,

Ethelwyda, aliàs Alſwitha, Uxor Alfredi.

Viro mortuo relinquit Aulam, & Sponſi cœleſtis amplexus ambit in Monaſterio.

(a) *Alluſum ad illa Cant.* 2.

(b) *Ibidem.*

(c) *Cant.* 5.

(d) *Cant.* 4.

(e) *Cant.* 1.

(f) *Ubi cubas in meridie? Cant.* 1.

(g) *Cant.* 3.

Exilis

Exilis quem Cella parat, libare soporis
Otia. Cella tuo patet, innuba cæterà, somnò.
Quin & nec tenuem (solii melioris, opinor,
Assueta imperio) majestas Numinis, *(h)* inquit,
Dedignata (*i*) *rubum* est. Pressit clementia flammam,
Hospitioque rudi, dumum miserata, pepercit.
En ego, si tedam thalamis inferre jugalis
Fertur amor, Sponsi ardentis non deprecor ignem.
Sponse veni. Curas Sponsi præsentia solvet
Sola meas. Gemit æger amor; cursûmque tenebit
Heu malè qui Fontis queritur divortia Rivus.
Sponse veni. Venit tandem: e thalamisque receptam,
Ethelwyda, tuis Thalamo genialis Olympi
Deliciis indulturo succedere jussit.

(h) *Nam modò solùm inducitur ipsa per se loquens.*
(i) *Gen.* 3.

S. Ethelwyda, aliàs Alswitha, Regina, Alfredi Saxonum Occidentalium, & Angliæ Regis Uxor, Edwardi Senioris Regis mater. Viro illa mortuo, Sponsum cœlestem crebrò inclamans, secessit in Monasterium, quod ipsa Wiltoniæ (aliqui Wintoniam in Com. Hamptoniensi volunt, & rectiùs opinor, uti colligere est ex Annalibus Wintoniensibus de Hida *appellatis) pulcherrimum ædificavit, reditibus insuper ab eadem copiosissimis donatum. Evolans inde in Sponsi cœlestis amplexus obiit sanctissimè an. D. circiter 904. Sepulta ibidem. De illa Wion l. 4 Lign. Vit. Chron. Britan. fol. 196: Westmon. an. 904.*

Eadgitha.

Pronuba consequitur Mors altera. Lumina clausit
Supremam in noctem Sythricus. Eadgitha, votis
Sponsus adest, votis & responsurus amantûm
Alter amor. Sponsum petis? ut Judæa (*a*) *Leonem*
Nominet, at rugitum (*b*) *Agnus* qui temperet idem est.
Quem metuas Fortem, Mitem cole, dilige Mitem

Sythrico viro mortuo secedit in Monasterium. Inde evocatur ad Cœlum a Sponso cœlesti. (a) *Apocalyp.* 5. (b) *In eadem passim.*

Qui

Qui blandè foveat: Fortem venerare, potentem
Qui te defendat. Tua conspicit ora: suique
Inde repercussam dulci sub imagine formam
Non adamare nequit. Cellam petis? O bona portu
In tuto Viduæ statio, Sponsæque latebra
Digna pudore, toro Sponsi dignanda pudico!
In cœlum inde tuos Sponsus deducit amores:
E Cella in Cœlum, imperii regalis in Urbem,
Stratam auro gemmisque plagæ stellantis in Arcem,
Interiorem Agni, & regni sponsalis in Aulam:
Pulchram Aulam, Arcemque, & dignam Diis civibus
Indue lumen, ait, *Lumen*, quo *Gloria* serto (Urbem.
Sponsas insignire meas solet. Indue vestem,
Quam poliit pietas, vigilisque Industria Cellæ
Discrevit virtutum auro, Empyriæque supremâ
Luce laboravere manus. Convivia curant (strant
Ad cœnam, instaurantque epulas, mensisque mini-
Lætitiæ æternæ. Bibit e *Torrente* Voluptas
Læta suo: Sponsæque sitim Torrentis inundet
Totius unda meæ. Niveo succede cubili,
Nympha decora; Sacram thalamis infusa quietem
Dulcedo, Pacisque fides æterna fovebit.
Nostra quies gemit interea, lachrymisque cubile
Tristè madet; carmen dictant geniale Dolores,
Rerumque occursat species inamœna, nec ullo
Connivent somno curæ. Felicibus oris
Lapsa Quies (quæ felices nec deserat oras)
En erit, ut thalamis modicam pacabilis oti
Aspiret nostris auram? Soletur egentem
Subsidii, mensæque inopem Dapis ubere mensâ
Lapsa tuæ quæ mica famem? Torrentis ab alveo
Quando erit, una tui, Virgo, cùm sedet anhelam
Gutta vel una sitim?

S. Eadgitha, Northumbriæ Regina, Edwardi Senioris filia, Athelstani Regis Soror. Mortuo Sythrico, Sponso pariter & illa novo potitur, in Sanctimonialium scilicet

 ascita

ascita chorum Polesworthiæ in Com. Varvicensi: ubi annos 55 traduxit continuis precibus, jejuniis, & eleemosynis. Mortem obiit sanctissimæ vitæ non dissimilem an. D. circiter 926. De illa Wion, Westmon. an. D. 901, & 926. Interim circa Sytbricum hoc addendum, eum post fuisse Apostatam, & proximè post Apostasiam miserè interiisse. Erat quidem Northumbrorum Rex. Quid tamen Athelstanum impulerit, quòd Regni pars illa cum Sytbrico communicata fuerit, & tradita eidem in conjugem Edgitha soror, vide Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 6: & Westmon.

Edgitha. Ottonis primi Imperatoris Uxor.

In pauperes eximiè munifica. Eam monentem libentissimè Cæsar audivit: & precibus ejusdem pericula multa evasit.

(a) *De hac re infrà: de vestis sc. pretiosæ parte concessa Cæsari mendicanti.*

Edwardi subit altera proles,
Dignaque Cæsareo diademate Britannine,
Edgitha. Templorum, donis quia pervia Divûm
Illa patent, labiis terimus pia limina. Dextræ,
Quâ nulla in miseros patuit magis, Edgitha, dextræ
Oscula ferre tuæ liceat? patiensne labelli
Illa mei? (a) Tunicæ dono non solus egebat
Cæsar inops. Ori libanda lacinia saltem
Et nostro detur. Dextram facilemne, potentem
An Linguam mirer magis? Et quàm sæpe monenti
Morigeram Uxori Cæsar, Suadæque benignis
Dicitur admovisse suæ sermonibus aurem?
Mollis lingua fuit. Nec erit, cùm lingua repulsam
Mollis ab aure feret. Similem quoque forsitan Auris
Ipsa magisterio simili nos erudit artem:
Aura soni appulsu nimio quam nequa lacessat,
Objectu vario, curvaque ambage morarum
Vocis iter rapidum solers intercipit error.
Vocis nec meminere suæ, te supplice, Divûm
Ultrices Iræ. Subiit discrimina Cæsar
Plurima. Cæsareis mediam cervicibus Uxor
Opponit festina precem. Prece fulmina mulcet;
Et quoties regno incubuit vis alitis iræ,
Alis sopitura facem suspiria miscet. (Regnum
Edgitha, quanta premant Carolum discrimina,
Quanta,

Quanta, vides. Facilem te sentiat Anglia votis,
Gens tibi nota, suis. Cæco jam murmure dudum
Intonuit polus, & flammis excanduit æther.
Dextra subi; lævamque minæ obliquentur ad aurem.
Nec tua Londino placeat præ Saxone (*b*) Virgo.
Anglia Parthenopea quoque est. at non sine (*c*) *Ligno Frondoso*. Ultricem clemens averte bipennem.

(b) *Magdeburgum, id est, Urbs Virginea. Edgithâ autore cæpit Cæsar Urbem illam ædificare.*

(c) *Allusum ad Sectarum multiplicitatem, juxta illud Jerem. c. 2.* Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.

S. Edgitha, Edwardi Senioris Angliæ Regis filia, Athelstani, & Edmundi Angliæ Regum soror, Ottonis primi Imperatoris Uxor, sanctitate vitæ celeberrima. Digna, cujus monitis obsequentissimam Cæsar aurem præbuerit. Ejus hortatu Civitas Magdeburgensis cæpta ædificari. Pericula plurima, quæ minabantur Imperatori, precibus ejusdem avertebantur. Largitate in pauperes admirabilis. Hujus rei quale experimentum fecerit Cæsar, (etsi narrationes hujusmodi brevitatis propositæ limites excedere videantur) erit fortè operæpretium rem paucis attingere. Aderat festus Dies, atque incedebat Edgitha ad Templum splendidissimo vestitu. Cæsar interim, vilissimi pauperis indutâ personâ, insistebat Templi vestibulo, atque, apprehensa Imperatricis veste, orabat impertiret, ut sui misereretur. Affirmabat illa se præter vestem habere nihil. Cui ille, Enimvero, inquit, particula illius vel tenuis numerabitur mihi in partem magnæ eleemosynæ. Cessit illa continuò Supplici vestis partem illam non modicam, quam manu ille tenuerat, permisitque, ut, quod e laceratione avulsum esset, tolleret sibi; tum solicita, ne quid patesceret, partem laceram operuit circumvolutâ cyclade. Regressa pòst domum e Templo vestem alteram curavit illico sibi induendam. Inde cùm mensæ accumberet, animadvertit Cæsar amictum mutatum: petiitque, cur mutasset. Substitit illa; & solicita cùm esset, quid prætenderet, jussit Cæsar continuò vestem alteram in medium produci. Hic verò conturbari Edgitha plùs solito. Cæterùm declaravit tandem, quem in locum abdidisset. Ut primùm a famulis allata vestis fuit,

fuit, explicare quaquaversus illam Cæsar e vestigio cœpit; reperitque omni ex parte integerrimam. Mox affectus admiratione, rem universam coràm aperuit: & quod joculario destinatum erat, venerationi inde materiam præbuit. Hæc e Lupoldo de Zelo c. 13 luculentiùs. Acceptissima Deo erat, quemadmodum e multis miraculis patebat, quæ tum in vita, tum in morte, & post mortem evenere. Vide Elogium ejus in Ditmar. Chron. l. 2. Mortua an. D. 947, Ottonis Imperii undecimo. Sepulta in Templo Magdeburgensi: ubi miraculis claruit.

Elgina,

Piissima, & Munificentissima in egenos. Edmundi Uxor. Edgarum, atque Edwyum genuit: sed indole illos admodum dissimili. Edmundus Rex fortuita morte e medio sublatus.

Quò toties aciem? Tenuit te, Carole, dudum
Edgarus, atque oculos rapuit dignissima visu
Majestas, Oculus (liceat dixisse) rapinam
Quis doleat? Tamen augustam mirare Parentem
Paulisper; mercesque moræ, te siqua tenebit,
Non exilis, opinor, erit. Salvere jubebit
Elginam vidua & morbis habitata Senectus,
Pupillorum ingens agmen, claudæque Tabernæ,
Seclaque parca gemens æris, sed prodiga ferri,
Paupertas, nostri nunquam non incola mundi.
Conspectu Elginæ solo suspiria ponent
Languentes Lecti, exiliet sub compede Carcer,
Curarum Spes assurgent a febribus ægræ,
Macra Fames, exesa Sitis, lugubris Egestas,
Conspectu Elginæ solo Sitis illa medelam
Sentiet, illa Fames epulum, solamen Egestas,
Et vultu in læto doni ridebit imago.

(a) *Sumptus vanos excipit sæpe paupertas; eleemosynas nunquam.*

(*a*) In rerum spes magnificas cùm prodiga laxat
Arca sinum, sumptusque fluens exuberat, æstu
Sæpe relabente infelix succedit egestas.
At *Largitor* habet, lucroque apponit, *Egeno*
Quod dedit. Haud modico refluit cum fenore Pauper.
Christus egens, nudus, squalens in carcere Numen,
Quem pia dextra refecit, (inops in paupere Numen,
In se dives) opes olim, fenusque reponit.

Edgarus Elginam matrem sortitur: eandem

Edwy-

Edwyus; at quàm dissimili momenta sub astro
Hic puer, ille puer! Lunæ confundere vultus,
Sit licèt altivolante potens in carmine murmur,
Saga nequit. Castæ mores temerare Dianæ
(*b*) Lena potest. Nec miremur, Si tela puellum
Dejiciant, quæ bellatrix (& fabula sæpe
Pondus habet) non effugit, nec depulit (*c*) Ægis.
Te miseror, Puer infelix. Custodia formæ
Sola Pudor solet esse. tuum tua forma pudorem
Prodidit, assimilique loquax in Thaide vultus.
Uxorem famâ in coelum tulit integra vita:
Commendat Viduam integrior. (*d*) Tuus occidit ergo
Edmundus? Mors immerito quàm sæviit ictu
Regia detorquens alienum in viscera vulnus!
Latro petit Servum. regalibus inscia cuspis
In fibris tepuit, Servum Regemque quid inter
Intersit, Mors Elginam docet. (*e*) Eia age Cæcam,
Aula, time. temerè ferit; & modò Gracula nervo
Læsa filet, modò sollicitat pharetra ardua nidos
Nimborum, occursatque Aquilis incuria teli.
Thersitesne sit, an Nireus, Mors improba curat
Scilicet. Ingredior Phrygiis distincta columnis
Atria: subjiciturque oculis e Marmore quicquid
Magnificum, e Cois quicquid subtile tabellis,
Ære nitens quicquid Cyprio speciosa Vetustas
Exhibet. Hìc Drusos inter vestigia circùm
Lenta fero, Galbas video, Poenisque timendos
Scipiadas, Solymisque Titos. Contemplor in auro
Xerxem indignantem, pulchrosque horrore superbo
Cyrorum vultus, Cypridas quoque, Tyndaridasque
Cerno, quibusque fuit mores poliisse, probari
Censoris speculi ad normam, & vixisse, videri.
Gressum hinc ad Fati sedes, & Mortis ad aulam
Ferre libet. Sunt & Fato sua, sunt sua Morti
Signorum monumenta. Pares in limine larvas
Intueor. Truncæ nares, & lucis abactæ
Apparent turpes latebræ. par frontis inustæ,

(b) *Hac occasione Meretricis aulicæ, quæ Edwyi teneram ætatem miserè depravabat.*

(c) *Nam & Minerva ipsa, ut e Propert. l. 2, Mercurio fertur composuisse latus.*

(d) *Latro, dum Regis famulum telo peteret, Regem ictu fortuito occidit.*

(e) *Hinc obiter advertitur, quàm nihil distinguat Mors inter Regios & Plebeios.*

In-

Ingenuæque ruina. Ligonibus undique, ſceptris
Undique ſtrata domus. Crudum quæ dextra ligonem
Geſſerit, auguſti quæ dextera ponderis aurum
Vendicet, incertum. Trabeas cum cannabe cerno,
Cum lauris hederas, ſociam peronis alutam.
Quo trabeæ ſteterint humero, quo vertice lauri,
Quo ſaltarit aluta *(f)* Parim pede, Thyrſida pero,
Incertum. Quæ Parrhaſiæ, quæ calva Lacænæ,
Splendida quæ torquem nitidum, quæ ſordida reſtim
Induerint colla, incertum. Et, ne longiùs errem,
Haud equidem, quo (*g*) Tileros Strawoſque Richardis
Diſtinguam, ſatis uſquam habeo. Documenta docetur
Hæc Elgina; viamque iniit, quâ denique Reges
E dubiis certi fiant.

(f) *Dictio ſimilis in Horatio.*

(g) *Viros mediocris fortunæ, qui turbas excitarunt tempore* Richardi 2.

S. Elgina, *aliàs* Elſgiva, Regina, Edgari *Monarchæ Mater,* Edmundi Regis *Uxor. Hic* Edmundus, Edwardi *Senioris e tertia Uxore filius, Princeps omnino inſignis erat, & frater Athelſtani* Regis *celeberrimi, & cui abſque prole mortuo ſucceſſit.* Ex Elgina *duos ſuſcepit filios,* Edwyum *&* Edgarum, *alterum, quo non pejor Princeps, alterum, quo non melior, ut ex Antiq. Glaſton. Edwyum tamen ante mortem ſcelerum pœnituit, quemadmodum habes, uti ſuprà, e Baronio, atque e Malmesb. de* Reg. *l.* 2, *c.* 7. *Principis hujus ſcelera Meretricis Aulicæ cujuſdam conſiliis tribuuntur, & juvenili ætati potius, quàm pravitati indolis; & de cujus æterna ſalute argumentum celebre extat, ut habetur ex antiquo Scriptore Vitæ S. Dunſtani, cujus precibus ea res obtinebatur.* Edmundus *autem, cùm regnaſſet annis* 5, *&* 7 *menſibus, dum quendam e famulis ſuis e Leofi cujuſdam nefarii latronis manibus conaretur eripere, interfectus teli ictu fortuito ipſemet eſt. De hac re vide Stoum hìc, rem ſic narrantem. Poſt principis infelicem obitum totam ſe addixit* Regina *operibus pietatis: erga pauperes maximè munifica. Mort. an. D.* 971. *miraculis, dum viveret, & poſt mortem inſignis. Vide Spedum*

in Rege *Edmundo, & Westmon. an. 943, 955, & 974. Celeberrima extitit Shepioniæ in Com. Varvicensi. Ibidem sepulta. Illustria admodum de illa scribit Malmes. de Pont. l. 2.*

Subit Edgarus. Illo
In vultu jam nunc habitet, figatur in illo
Tota oculorum acies. Cui paruit Anglia, regni
Unius addicta imperio, & rivalis habenæ
Libera, primus hic est. Utero cùm prodit in auras
E materno Infans, miseræ præsagia vitæ
Imbibere ore solet tenero, quæque imbibit, udi
Testantur lachrymis oculi. Deflere dolores
Vita suos misero non sufficit. incipit ergo
Maturè. Lacrymas inhibe, auspicioque sinistro
Parce, Puer. Viden'? illa mali præludia cunæ,
Edgare, deflexere tuæ: risuque benigno
Natales intercepit Pax obvia luctus;
Candida Pax: nascente Deo, Bethlëia qualem
Arva, gregis pavidi teneris assueta querelis,
Nocturnas cantu æthereo sonuere per umbras.
Carole, cui rerum pars altera paruit, Undas
Qui fluere imperio docuit potuisse sub uno,
Quemque imiteris, adest. Terræ sola currat Iberus,
Francigenûm palmæ sudent in pulvere Terræ,
Danubium Terris addat, Rhenumque bimembrem,
Fluviorumque oneret spoliis suus esseda Cæsar.
Tu premere Oceanum imperio, Britanne, memento,
Oceani bellis pacique imponere legem:
Armigero pigeat nec subsedisse tridenti
Quasve oriens, quasve occiduus sol incolit Undas.
Edgarus Oceanum domuit, didicitque, magistro
Oceano, quæ regnandam transferret in Aulam.
Namque & ibi Syrtes, & Cautes ossibus albas,
Et Brevia, & Ventos, &, quas non vidit in undis,
(Æquorei (*a*) sobolem thalami) Sirenas in Aula
Repperit. (*b*) Hìc Velorum alis, hìc præside Clavo,
Hic

Edgarus.

Princeps eximius. Cùm nasceretur, audita Voces Angelorum cantantium, Pax Anglorum Ecclesiæ. *Rem nauticam admodum propagavit in Anglia.* Regnum *piissimè administravit.*

(a) *Nam & inde Veneres ortæ.*

(b) *Viz. in Aulæ mari, & sic in cæteris intellige, quæ pòst subjiciuntur.*

Hic opus excubiis Specularum, hic Funibus usus;
Velorum ut luxum stringas, ut Sidera serves,
Ut Malo imperites, foveas ut præpete Ventos
Effugio, cautamque fugam fortuna secundet.
Ancipiti desint nec Libramenta carinæ,
Nec, proræ errores quæ subliget, Anchora desit.
His sine quàm sæpe ad ventos, scopulosque perorat
Spes vaga, Gaza tremens, & malo nexile Votum!
Æquore in hoc Speculæque fidem Clavique tuetur
Edgarus, & tractat Funem, Velisque ministrat,
Consiliique Ratem stabili moderamine librat.
Exempli demum porrecta lampade solers
Ipse (per has Aulæ Maleas, hæc per Scylacea)
Insidiantis Avaritiæ, Invidiæque salebras,
Cautes Ambitionis, & Oti cæca salacis
Eludit brevia undosæ Pharos Edgarus Aulæ.

(c) *Edgarus ut Davidem errantem secutus est, ita secutus pœnitentem.*

(*c*) Jesseum Regem pietas sua laude coronat
Multiplici. tamen & Regis sparsere tiaræ
Non labes nullæ maculam, quam lacryma Vatis
Elueret, Vatis summi, cui, non sine lauro,
Suffecere oculi Fontem, & Metanœa Camœnam:
Si modò Jessei dicetur germinis alter,
Ægriùs haud tulerit, reor, Edgarus. Haud sua soli
Exedra Virtuti est. Academus & erudit Error;
At (d) *folium* (dicto venia est) si pagina *vertat.*

(d) *Est, fateor, in proverbio Anglicismus; at commodus ad id, quod proximè præcessit.*

(*e*) Jam tepuit florens ætas, medioque Juventæ
In bivio sedit. Cyprio circundata luxu,
Et formæ septa illecebris, myrteta *Voluptas*
Pubentes inter frondes vicina fovebat;
Fortunæque opportunæ, quæ sufficit arma
Insidiis, sortita vicem, se protinus audit,
Nectareoque polit medicandam carmine linguam,
Labra viam sternunt verbis, & verba labrorum
E fuco roseas Veneres, & balsama carpunt.
Et voto quis adest, inquit? quo sidere natum
Hunc rear affulsisse diem, quo cernere florem
Et Juvenum & Regum licuit? Mirabar & Euros,

(e) *De Edgari adolescentia lapsa ad res amatorias.*

Et Zephyros, hodierna diem cùm duceret Eos,
Tam lætos fremitu insolito, cœtuque frequentes
Hàc tenuisse viam. Causam nescisse licebat,
Te quòd nescierim. ulteriùs quæsisse pudebit.
Nempe id erat, dulces animas, redolentis & auræ
Delicias ut ab ore tuo præsumere possent,
Quas Floræ, Auroræque suæ libare liceret.
Interea tamen, o Juvenum pulcherrime frustra,
Te si te nescis uti, sua dona dedisse
Immerito, & pavisse Notos Natura queretur.
Incomitatus ades. Queritur Natura, quòd adsis
Incomitatus. Amant Charites sociabile pectus.
Si curæ solæ assideant, quid sella juvabit
Imperii? Comites unà consistere norunt
Majestas, & Amor. Sit amoris nescia rupes,
Caucaseique gelu senii, quod frigore cano
Durat hyems æterna. Juvet prævertere curis
Ætatis tetricæ rugæque inamabilis annos
Thersiten aliquem, & formæ cui parca juventus
Illudit sine flore. Quid obsurdescere pergit
Naturæ monitis Genio cognata Venustas,
Vernans illa, virensque, & vere decentior ætas?
Cui, cedo, non dominatus amor? Pugnabis amori?
Fac posse. at non velle putem. Tua si mihi nota
Viscera, non Chalybum ducunt e sanguine gentem.
Huc modò cùm primùm e sylvis vestigia ferrem,
Obvia (nam quid dissimulem?) Phœnicis imago
Offerri quædam visa est: solusque mereri
Te solum ipse videbaris. Consumere flammis
Se solet Ales Arabs propriis, consortis egenus,
Et certè solo miserè se dives. At ignes
Fortè tui socio dignentur fomite pasci,
Soliusque parens nolis & totius hæres
Esse tui. Quin me sequeris? Quàm gaudia myrto
Digna tui recubant mecum (experiere) sub illa!
Edgare, si meminisse tua cum pace licebat
Quæ memini, docturus ades, quàm flebile Culpa

Rideat, expenſo pœnæ quàm Gaudia grandi
Conſtiterint, (*e*) capiti inſideant qua lege Coronæ.
Si lacrymæ redimunt cœlum, tantilla vel hujus,
Quod ſpectant oculi, docet experientia cœli,
Quo lacrymam pretio dignemur. At illa (*f*) Puelli,
Quem fovet, & cupidis toties intercipit ulnis
Edgarus, illa genis frontique affuſa venuſtas,
Simplicis, impubiſque decens infantia formæ
Me dudum quàm me tenuit! Jam pondere dona
Metiri pretioque ſagax infantia novit,
Cœli annis imbuta. Suæ bona quæ modò Terræ
Libavere labella, (bonis feliciùs uti
Neſcia,) jam Cœli ducunt fœcundiùs uber.
At quæ non curæ modò, quæ non vota Parentum
Stiparunt cunas virides? Spes uberis ævi
Vitæ infantilis quæ non ad fila pependit,
Succreſcens ævo? Mors abſcidit. At dare plenâ
Lilia parce manu, *Genitor*, niveiſque tepentem
Accumulare animam donis. fungeris inani
Munere. Candidiora ſuæ dant lilia Nato
Et nativa nives. Mollem bibit ætheris auram
Alterius, ſub ſole cubat meliore, diemque
Innubem, æternique Sereni gaudia libat.
Inde Hyadas mundi Puer, Orionas, & Hœdos,
Nimboſaſque hyemes, atque atræ murmura pugnæ,
Nec non & (phaleras bullaſque crepundiaque inter
Plaudentis ſcenæ) Ludi lamenta, querelas
Curarum, annoſoſque Spei lactentis in aula
Vagitus tacito tranquillus ab æthere ridet.
Suaſerone Infanti reditum? Procereſne retexet
Nobiſcum ad notos iter? At faſtidit, opinor,
Ille nuces. At te memorem quo nomine, quem te
Appellem, Puer? (*g*) Ut vultu Jacobus in illo
Multus adeſt! Jacobum Infans tamen aureus (unum
Hoc dolet) abſentem queritur.

(e) *Nam, &c. ut in proſa.*

(f) *Edgari ſc. alterius, parvuli, & mortui in ætate infantili. Quis ille? Patebit ad finem hujus carminis.*

(g) *Hic nempe Edgarum induximus Jacobi Ducis Eboracenſis filium parvulum, qui non ita pridèm e vivis exceſſit, Edgaro Regi ſuprà memorato cognominem.*

S. Edgarus Rex, Edmundi atque Elginæ Regum filius,

lius, Edwyi fratris successor, Angliæ Monarcha primus; certè cui Monarchia plenius quam reliquis, & cumulatiùs obvenit. Fatendum est Monarchiam etiam tribui Edwyno, de quo suprà, & pòst Egberto præcipuè, Saxonum Occidentalium Regi, ex Inegildo Regis Inæ fratre descendenti. Bithrico ille mortuo, uti suprà dictum, an. D. circiter 802, *Saxonum Occidentalium unanimi consensu imperium obtinuit, Princeps in primis memorabilis, & totius pariter Angliæ in Monarchiam evectus: at per gradus, & pedetentim, & post variorum annorum intercedentes victorias. Qui successere, fortunæ plerunq; aleam ancipitem experti sunt. Atqui de Edgaro modò. Bellator fuit eximius: at cognomento* Pacificus. *Cùm ederetur in lucem, audiisse fertur S. Dunstanus Angelorum vocem canentium,* Pax Anglorum Ecclesiæ. *Rem nauticam plurimùm illustravit,* 300 *navibus Insulam quotannis circumlustrare solitus. Incubuit admodum in Aulæ atque etiam Ecclesiæ disciplinam. E fundamentis excitavit, & vetustate collapsa refecit Monasteria* 47, *quæ & reditibus magnificis locupletavit. Mortuus an. D.* 975. *Glastoniæ demum sepultus in Cömitatu Somersetensi. Sublatum ab Adlaro (fortè Ailpando Abbate) corpus e tumulo ab obitu annis* 80 *inventum integrum atque incorruptum; cùmque incideretur, manavit e parte incisa sanguis recens. Verùm quæ referuntur de supplicio horrendo, quod circa sacri corporis Violatorem proximè consecutum est, vide Malmesbur. de Reg. l.* 2: *Antiq. Glaston. fol.* 82. *De Edgaro Polyd. l.* 6: *Vincent. in Spec. l.* 25, *c.* 81: *Pet. in Catal. l.* 31, *c.* 65: *Westmon. & alii. Vide pariter Stoum in Edgaro Rege; ubi etiam habes valde memorabilem ejusdem Sermonem circa Ecclesiasticorum disciplinam renovandam. Verùm hunc Sermonem præcipuè pete e Bibliotheca M. PP. Tom.* 33, *fol.* 159. *Si Davidem secutus est peccantem, secutus est & pœnitentem. De* pœnitentia *septem annorum, (quo spatio coronam capiti nunquam imposuit) quæ profectò meretur legi, vide Osbern. in vita S. Dunstani, & Spel-*

man. in Concil. fol. 481. *Vide Elogium ejus in Malmesb. de Reg. l.* 2, *c.* 8. *Si quis autem aveat scire lapsus juveniles, & crimina Regis hujus, adeat eundem Malmesb. de Reg. l.* 2, *c.* 8. *Vide pariter Historiam Mirabilem apud Jo. Tinmouth. in Monast. p.* 256 *circa* Nestingum *infantem, sic appellatum ab Aquilæ nido, in eodem inter venandum ab Alfredo Rege inventum: & circa Wulfildim (cui Nestingus proavus) castissimam virginem. Sunt lectu dignissima.*

Edwardus M.

Princeps integerrimus. Inter venandum Arcem Corfeiam petit sitis sedandæ causâ: ibique ab Alfritha Noverca occiditur. Inde ultio divina in gentem universam non ita multò post secuta.

Stat Regibus ævi
Limes, quem superat nemo. Superare nequibat
Pacificus. Subit in solium dignissimus hæres,
Edgarides Odoardus. Et hic bellasse docebit
Christiadûm pacem. Belli vestigia servat
Temporis invidiâ non obducenda cicatrix.
Saltus ille frequens sylvasque petebat, in illis
Contemplator & ipse (*a*) sui. Modò conspicit annos
Iliceæ secum virides frondere juventæ,
Et modò mentitis senium canere salictis
Decolor & glaucum nemus: hinc pubere myricas,
Obscuræ stirpis genus: hinc assurgere gentem
Insultaturam pelago, & quæ sanguine ducat
E Cyprio, Herculeoque, Jovisque e fulmine nomen.
Omnibus inducet communem proxima calvam
Bruma. Bipennis erit multis, aut cruda securis,
Quod (*b*) *Forfex* nobis. Mutum te plurima vulgus
Erudit. At quæ sandapilam tibi, quæ parat Arbos
Exedræ sedem illius, quæ multa Solones
Et nostros doceat? Venatum regius ibat
In sylvas Juvenis; Turbæque sagacis odora
Undique vis urget latebras, nemorosaque lustra
Excutit. Accurrunt equites. Micat auribus anceps
Præda: nec una fuga est. Nemorum divortia mille
Per compendia cæca petit, repetitque; suique
Proditor interea fatum pes inscius armat.
Conceptam sudore sitim quò pelleret, *Arcem*

(a) *Nam & arbores materiam præbent contemplandæ vitæ humanæ.*

(b) *Ille sc. quo vitæ fila dicuntur scindi.*

Hæc

Hæc inter comitum oblitus per devia Princeps
Corfeiam petit. * Agnovit Regina. Ferocem
Invidiam docuere, loqui qua voce deceret,
Innocui vultus, & frontis gratia comis.
O bene. femineo fuit hic in robore nervus.
At cyatho cur nefcibas, Odoarde, Novercam
Mifceri, Alfrithæque fitim? Se fæpe fefellit,
(Cætera cui pariter candent) fuaque ipfe ruina eft
Candidus, ingenuufque oculus; nec fub nivis albo
Illicio, aut pluma fub fimplice cernitur ater
Et corvo metuendus Olor. Diadema trienne
Succubuit. Flos purpuream tuus, Anglia, (Regum
Dulcis amor) niveamque animam exhalavit in auras:
(*c*) Et dolor, & defiderium, lachrymifque futurus
Fons quoque mox, Alfritha, tuis. Præfagiit imbres
Invidiæ nimbis accincta tumentibus (*d*) *Iris*
Sanguineos. Facti admonuit, radioque rubentem
Perftrinxit fol adverfo. Stupet illa, novoque
Immadet imbre, fuique fugit pertæfa. Novercis
Exors Exemplum, (*e*) *Thaumantias* & nova fiet.
Interea regale tuo, Glaftonia, pignus
Conditur in gremio. Mollem negat *Infula* terram
* *Tudorina*. Satis nec erat fæviffe Novercam.
Occubuit. rofeo *vitam cum fanguine fudit.*
Vita perit: (*f*) Sanguis vivit; Vocemque fuperftes
Sanguis habet. Per caftra fero cùm murmure clan-
Martius increpuit pugnæ illætabile fignum, (gor
Evocat extemplo Cædes, & cædibus horrent
Ferales pugnæ. Acciti cùm cardine Venti
Æolio infonuere, tremunt formidine fylvæ,
Quæque fovet natale folum, & quæ navigat arbor,
Carbafaque, antennæque gemunt, & litora plangunt:
Meffi defperant fegetes, implorat & ulmi

* *Et nimirum fe parat intus ad Regem excipiendum. Interim ille nolens ex equo defcendere a fubmiffo ficario, dum cyathum ori admovet, confoditur.*

(c) *Nam & ipfam pòft facti pœnituit: abdituram fe inde in Monafterium.*

(d) *Refertur ad Alfritham.*

(e) *Alluditur ad* θάυμαʃ*Θ* *vocabulum.*

* *Nam ex illa familia H. n. 8.*

(f) *Vox fanguinis. Et vide vaticinium D. Dunftani (de quo inferiùs in profa ad Edwardum Confef.) de futuris in Anglia miferiis, quæ ab horribili incurfione Danorum Edwardi cædem confecutæ funt. Et hæc eft fecunda Danica perfecutio.*

Pallens

Pallens uva fidem. Cùm raucus ab axe corusco
Intonuit fragor, ardentes & fulminis alæ
Nimborum vocem ad terras cum turbine portant,
Lustra feræ, latebrasque petunt armenta: Tonantis
Mortales orant pacem, fastuque remoto
Aërei montes habitare in vallibus optant.
Sanguinis at quàm non Voci contendere norunt
Seu Tuba, seu Venti, seu Fulmina! Quàm Tuba vagit,
Quàm molles hiscunt Venti, quàm Fulmina mussant!
Et jam (diversas, quà venerat, orbis in oras
Partitâ lance) ætherias avecta per auras
Justitia imminuit pelago, telluris apricæ
(g) Ubi cædes patrabatur: ad arcem Corfeiam sc. in insula Purbeckiensi sitam.
Litoream unde plagam, & (*g*) Purbeckia protinus arva
Prospexit longè. Clamoribus undique sensit
Incendi cœlum insolitis, aversaque fertur
Sustinuisse rotam. Viduarum planctibus olim,
Læsisque hospitiis, pulsatorumque Clientûm,
Et Pupillorum lacrymis assueverat auris.
Sanguinem at iste sonat, (neque mens me surda fe-
Sanguinis est hic clamor, ait. Nec plura. curuli (fellit)
Immisso loro, levibus pernicior Euris
Præcipitat cursum, & Corfeiæ desupèr Aulæ
Institit. Agnovit sonitum. Dein mente morata,
Et partes animum versans paulisper in omnes,
Ingemuit tacitè secum. At, Puer, heu, puer astris
Pulchrior, aggemuisse tuæ suspiria Voci
Nostra, parum est. antiqua manet repetenda Trionum
(h) *Versus Daniam sc.*
Nænia. Sic effata, rotam detorquet ad (*h*) Arcton.
Curriculò tamen invito secat orbita nubem.
Namque sub aspectu, quà flexerat, Anglia sensim
Explicuit fatale solum, devota futuræ
Vindictæ: rerum illa quidem pars ultima, rerum
Cui partes tamen haud ulli Natura secundas,
Summam operi appositura manum, dedit. Ergo tot
Magnificis cœlo eductas e molibus arces, (urbes,
Tot monumenta virûm & famæ, ætatumque labores

Ab

Absument flammæ? Et lætos cultoribus agros,
Herbosos colles, & opimi gaudia cœli,
Vallesque, & lætas video pastoribus umbras:
Et suprema canunt, & balant pulchriùs ima.
Has ego spes incestandas & lumine sicco
Spectatura? Gradu propero salientibus undis
Flumina decurrunt per agros, per rura, per urbes
Quàm fœcunda! Meum nec adhuc duxere colorem.
Barbaries etiam (ah quantus subit ora domorum
Sacrarum nitor!) an Templis insultet, & Aris,
Quas tueor coràm, illudat peregrina libido?
Infames an Cœnobiis, quæ nullius æquent
Dotales pietatis opes, Cellisque rapinæ
Involitent? Tamen intumuit cùm fervidus amnis
Aggeris impatiens, rapidusque repagula gurges
Ruperit, eluvie squalent sata læta, per hortos
Grassatur commune malum. Subit *incola* sortem
Et mundi ipsa sui *Pietas*. Northumbria tandem
Trajecta, (*i*) extremisque jacet quæ meta Britannis.
Inde Caledonias freni modò libera terras
Prætervecta rota est; tumidique ingressa procellas
Diva sali, jussis paulùm deflectere nimbis,
Declivem currum (*k*) fatalibus appulit oris.
(*l*) Arctoo residere solent sub sidere Divûm
Ultrices iræ. Hinc, Zephyri siquando rebellet,
Sive Austri domus, aut utrisque (*m*) licentior Eurus,
Hinc acuenda minarum acies, hinc effera Martis
Arma, faces hinc e Borea, flammæque petendæ.
Hic e nube supercilii, frontisque severæ
Adventum speculata Deæ *Vindicta* resedit
Rupe sub aerea, resonis quam fluctibus undæ
Fervebant circum, & ventorum æterna fremebat
Tempestas. Scopuli omne latus quàm dira malo-
Effigies, Belli facies quàm sæva, Ruinæ (rum
Quàm fœdæ, quàm tetra Lues, quàm turpis Egestas,
Quàm furiata Fames insederit, Anglia dudum
Et dixit, (neque verò nimis meminisse necesse est)

(i) *Et West-morlandia sc. cum tractu Cumberlandens.*

(k) *In Daniam nimirum.*

(l) *Ab Aquilone pandetur malum, &c. Jerem.* 1.

(m) *Inde enim Hæresis in duas Trinitatis personas.*

(n) *A miseriis viz. illis, quæ per incursionem Danicam inundabant pòst in Angliam.*

Et (*n*) sensit dudum. An superest, cui fortè litandum
Præterea? Solone sonant e *Sanguine* linguæ?

S. Edwardus Martyr, Edgari e priore conjuge Egelfleda filius, & successor in imperio. Cùm in Insula Purbeckiensi venatui operam aliquandiu dedisset, comitibus demum in saltu relictis, ad Arcem Corfeiam se contulit sitis sedandæ causâ: ubi per insidias Alfrithæ novercæ, quæ pro filio suo Ethelredo regnum ambiebat, postquam 3 annos regnasset, dum cyathum ori admoveret, nefariè occisus est an. D. 979. Miraculis claruit. Translatum postea corpus Glastoniam in Comitatu Somersetensi. Monumentis locus ille celeberrimus; quæ tamen ævum non tulere Hen. 8. De Edwardo Westmon. an. 978: Surius, Mart. Rom. Stous, & alii. Alfritham pòst facinoris scelesti admodum pœnituit: & Monasteria duo ædificavit, Almesburiense, & Warwellense. Ad postremum ipsa secessit, atque ibidem usque ad mortem solitariam & piissimam vitam egit. Vide Stoum eundem in Edwardo Martyre. Verùm circa hunc sanctissimum Juvenem, & ejus mortem, & memorabilia, quæ pòst contigere, vide Surium, & Haræum: item Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 9. Enimvero dignissima sunt, quæ legantur: at longiora, quam ut hìc inseri commodè possint. Ad Martyrol. Rom. 18 Mart. Baronius notat Extare Epistolam Innocentii Papæ 4 in Bibliotheca Vaticana in Regist. An. 2, p. 527 de celebratione Festi S. Edwardi.

Edwardus C.

Rex sanctissimus. A D. Petro consecratus Rex antè, quàm natus. Adeptus tamen solium non nisi post casus multiplices.

Edwardus superest alter. Viden', ut sua signat
Et pietas *Confessorem*, pietatis & index
Gloria? (*a*) Confessûs inter tot Lumina tanti
Qua redimam mercede moram? Declive revolvo

(a) Hìc animadvertit Autor ad finem Regum recensendorum appropinquare se: ac proinde e Cœlo brevì redeundum ad Terræ pristinum carcerem.

Mox

Mox iter, Audaces coget sub pristina carcer
Vincla pedes. E longinquo repetenda Satelles
Vincla sonat; stridorque ingrati cardinis aurem
Perculit. Hic etiam, fateor, modò compede livet
Corporeâ Mens. at queritur captiva reposci
Pessulum ad invisum. O Tellus fœcunda dolorum,
Lætitiarum Æther! In terris vivere cœlum
Cui datur, huic cœlum patria est, & vivere cœlum
In cœlo dabitur. Coràm quem cernimus, Aulæ
Splendor adest, columenque ingens, Odoardus: & idem,
Auspice quo, quo (*b*) Teste, tui ambitiosa resedit
Vertice prima Corona tuo, quoque Obside (*Fatum,*
Carole, nec fallet Lapidem) inviolata sedebit.
Præsentem cernis, sensit quem regius antè
Regnantem, quàm natum uterus: pondusque coronæ
Agnovit. Regale Caput *Petrus* ungit olivo,
Sidera quo maduere, coronâque induit, auri
Quam longæva sui radiis Æonia tinxit.
Ungendum tenuit prisci candoris *Honestas,*
Ipsa suos ori atque oculis sparsura pudores.
Astitit, & necdum doctæ vagire futuri
Eloquii rorem allevit *Facundia* linguæ.
Astitit, & teneræ se (*c*) *Munificentia* dextræ,
Pinguemque affudit laticem, lentesceret omnis
Quo penitùs rigor, & fluerent in munera palmæ.
Annulus & digito teres inditur. *Annulus,* inquit
Piscator, meus est. Meritis hic circulus orbem
Efficiet, Titulisque addet regalibus ævum.
Inde *Coronando,* Genitrici æquæva propago,
Affuit Alma *Fides,* liquidaque e lampade frontem
Imbuit: illa Fides Regum desponsa (*d*) Tiaris,
Et cujus jurare timent, & fallere Numen.
Temperies aderat morum, & castissima (*e*) Legum
Integritas. Aderat Legum Patrona *Potestas,*
Necnon & canis veruans *Prudentia,* Comis
Majestas, &, quæ totas subitura medullas
Influeret penitùs fibris, interrita *Virtus.*

(b) *In Sacello Westmonasteriensi Londini asservatur corpus D. Edwardi: in quo etiam coronantur Angliæ Reges. Ubi & cernere est Sedile lapideum, de quo circumfertur Carmen illud fatidicum,* Ni fallat fatum, *&c.*

(c) *Inter cætera Munificentiæ signa, cùm primùm imperio poteretur, remisit Anglis tributum annuum* 40000 *librarum appellatum* Dane-gilt. *Vide Stoum in Edwardo.*

(d) *Jurare solebant olim, uti accipio, Reges Angli jam coronandi in Fidem Edwardi.*

(e) *Inductæ sub Edwardo Leges,*

Donorum instructus prodis in luminis auras
His, Odoarde, rudimentis. Octona per æstus
Fortunæ varios jam lustra peregerat ætas,
Cùm primis Regni curas admovit habenis.
Tractavit Petri non degener. Et modò quartum
Quatuor imperii lustris adjecerat annum,
Æterno cùm maturam, jam debilis, Ævo
Ætatem clausit, meritorumque intulit astris
Messem infinitam. Proles subitura Parentis
In solium, quæque ore Patrem, Matremve referret,
Nulla fuit. Decuit forsan siluisse. Sed audi,
Carole. Teque, tuamque Deus sibi destinat Aulam;
Sufficientque Ducem Superi, quibus *(f)* Anglia curæ est.

ges appellatæ Communes, *collectæ e Legibus & Institutis Mercianorum, Saxonum occidentalium, Danorum, & Northumbrorum. ita Stous.*

(f) *Hæc e prosa petenda circa Revelationem Brithwoldo Ep. sanctissimo factam.*

S. Edwardus Confessor, Angliæ Rex, sanctissimus, & Miraculis celeberrimus. Curatio Strumaticorum ad hunc usque diem continuata, quæ ad Angliæ Reges jure quodam hæreditario descendit, Edwardo refertur accepta. Circa mortem quæ acciderint, vide Ealredum in ejus vita. Annis 36 post mortem cùm tolleretur sacrum corpus e tumulo, inventum integrum, incorruptum, & tractabile, non secùs ac primò cùm sepeliretur. In Utero Matris Electum Regem, Unctum, & Coronatum a Petro Apostolo constat e Revelatione *facta sanctissimo Episcopo Brithwoldo. Cui pariter cùm divinitus innotuisset prole Regem cariturum, petiisse idem fertur a D. Petro, Quisnam Edwardo in Regno succederet. Responsum illi est,* Regnum Angliæ Dei Regnum esse, cui & fore curæ de Successore. *Corpus a S. Thoma Cantuariensi Westmonasterii ornatissimè repositum in Æde D. Petri Westmonasteriensi; Ubi & annulus aureus asservabatur usque ad hæc postrema tempora, quem Rex detractum digito Joanni Evangelistæ occurrenti sub habitu pauperis, & stipem emendicanti aliquando dederat, & remissum Hierosolymis per manus Peregrini receperat denuò ab eodem Evangelista. Imperium capessivit annos 40 natus. Imperavit annos 24. Mortuus an. D. 1066. Vide Surium, & Al-*

Alredum in ejus vita, Matth. Paris, Regist. Vatican. Godwin. & *cæt.*

Hic attexenda pariter duxi, quæ subjicio. Edwardo Martyri, Edgari ex Egelfleda filio, Ethelredus frater, Edgari ejusdem ex Alfritha filius, successit in imperio: Princeps, quemadmodum ait Malmesbur. de Reg. l.2, c.10, effeminatus in vita, (aliter nonnulli de eo referunt) in obitu miserabilis; & *Copronymus alter, si, quod circa Baptismum fertur accidisse, in mentem revoces. Coronabatur a S. Dunstano, verùm admodum invito. Capiti cùm coronam imponeret, hæc adjecit.* Quandoquidem pervenisti ad Regnum per cædem Fratris tui, audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Peccatum Matris tuæ & Consiliariorum ejus non nisi fluentis sanguinis, qui manabit e subditorum tuorum venis, expiabitur. Venient super hanc Gentem calamitates ejusmodi, quales nunquam hactenus passa est, nec pòst passura. *Hæc nimirum vaticinatus est sanctus Præsul de futura illa altera Danorum incursione,*

Ethelredo ex Elgiva, aliàs Elfleda, Thoredi Ducis filia, sex erant filii: Ethelstanus, Egbertus, Edmundus, Edredus, Edwyus & *Edgarus. Edmundum Florilegus tantummodo memorat, cognomento* Ironside, (Ferreum latus,) *ita dictum ob invictum corporis* & *animi robur:* & *qui solus ad imperium pervenerat. Ex eadem conjuge quatuor etiam filias suscepit: quarum una,* Goda *nominata, nupsit in familiam Bulloniensem* Eustachio *Seniori, Bulloniæ* & *Picardiæ Comiti, illi nimirum, cujus filius, ante has nuptias natus, Pater extitit celeberrimi illius Godefridi de Bullonia, Regis Hierosolymitani: Alia,* Edgiva *nuncupata, nuptui data* Edrico *Merciorum Principi. Elfledâ mortuâ, uxorem alteram duxit* Ethelredus, *Richardi primi Normanniæ Ducis filiam,* Emmam *illam scilicet, quæ ob pulchritudinem admirabilem* Flos *appellabatur,* & Gemma Normanniæ. Ex *hac* Ethelredo *nati filii duo, Alfredus,* & Edwardus, *de quo proximè supra.*

suprà. Hos post infinita incommoda, quæ a Danis sustinuit, unà cum Emma *eorum Matre transmisit in Normanniam ad Richardum Ducem.*

Ethelredus *post imperii afflictissimi* 37 *annos an. D. circiter* 1016 *Londini moritur, atque in sepulchro marmoreo reponitur ad partem septentrionalem* Templi *D. Pauli.*

Succedit Edmundus, Ethelredi *e priore conjuge filius, ob animi magnitudinem Heroibus ætatum omnium præcipuis jurè annumerandus. Post varia cum Danis, eaque celebratissima prælia, tandem* Edmundum *inter,* & *Canutum, (quem ob res præclare gestas Grantzius* & *Saxo Grammat.* Canutum Magnum *appellant) ut exercituum sanguini parceretur, eoque modo dirimeretur lis imperii, ad Duelli illius memorabilis, de quo Autores, certatum ventum est. Cum utroque inde sociatum imperium; ita tamen, ut* Edmundo *soli Coronâ cum Titulo cederet:* & *quem Canutus singulariter coluit, observavitque.* Edmundo *filii duo erant,* Edwyus, *atque* Edwardus *cognomento* Outlaw, *sive* Exul: *uterque per* Edrici *avunculi perfidiam relegatus in regionem longinquam.* Edwyus *in exilio moritur.* Edwardus *in exilio Uxorem duxit Agatham, Salomonis Hungariæ Regis filiam: ex qua geniti Margarita pòst Scotorum Regina, Christina,* & Edgarus. Edmundus, *pace jam stabilita, post novem mensium imperium* Edrici *operâ atrocem in modum interfectus. Hic si* Edrici *hujus proditiones variæ recenseantur, ex ætatum omnium memoria non producetur, qui crudelitatem ejus* & *perfidiam æquet. At pòst Canuti ipsius jussu Patriæ scelestus ille Proditor strangulatus est. Rem gestam referunt Malmesbur. de Reg. l.* 2, *c.* 11. *Ingulf. fol.* 891.

Canutus interim solus dominatur, Vir in primis insignis. Et cùm omnia modò ad votum fluerent, nihilque videretur reliquum esse, quod potentiæ ejus posset intercedere, non deerat Adulator, qui affirmaret Dominum rerum eum esse, cujus imperio omnia subjicerent se. A mari non longè aberat, & *Cathedram Rex efferri continuò*

tinuò jussit, & propè aquas locari. Sellâ interim cùm insideret Canutus, & Mare jam æstuaret, contemplatus æstum inundare propiùs: O Mare, inquit, *subjiceris imperio meo, & Terra, cui insideo, ditionis meæ est, Neque est, quod voluntati meæ refragari impunè possit. Præcipio igitur, ut ne Terram meam attingere audeas, seu perfundere vestigia pedum meorum. Mare nihilominus non usqueadeo morigerum tenebat cursum initum, &, venerationis officiis omnibus sepositis, profluebat importunitùs in pedes & suras regales. Hìc ad Proceres conversus Rex, Noverint,* inquit, *habitatores terræ universi potestatem Regum vanam esse: & Titulum regium deberi illi soli, cujus nutui Terra, Mare, & Cœlum nequeunt non obedire. Inde continuò Coronam auream Wintoniæ* Crucifixo *imposuit; & quam gestare deinceps omnino renuit. Ita responsum adulationi est. Hæc ex Huntindonio, & Harpesfeldio Sec. 11, c. 28. Moritur an. D. 1035. Sepultus Wintoniæ in Templo veteris Monasterii. Reliquit tres filios, Swanum, Haroldum, & Hardycanutum: priores duos ex Alfgiva,* Hamptoniensi Domina *vulgò dicta, atque, ut nonnulli opinantur, e toro voluptario natos: posteriorem ex* Emmma *conjuge,* Ethel*redi suprà dicti Regis Vidua.*

Canuto mortuo, de contentionibus inde ortis, in Angliæ imperio quis succederet, lege Ingulfum fol. 895: Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 12, & Harpesfeld. Habes ex Hovedeno a moribundo Patre designatam Swano Norvegiam, Haroldo Angliam, Daniam Hardycanuto. Sunt tamen, qui affirmant (vide Harpesfeld. Sec. 11, c. 10.) a Canuto ex fide, quam Emmæ *antè astrinxerat, destinatum Angliæ regno non nisi Hardycanutum,* Emmæ *filium: & Haroldum interim, absentiæ Fratris opportunitate usum, in Angliæ imperium invasisse.*

Haroldus hic, cognomento Harefoote *(seu a velocitate stupenda, qua fretus itinera pedibus sæpius, quàm equo inire maluit, seu a corpore undequaque piloso sic dictus) quarto Regni anno moritur.*

Hardy-

Hardycanutus succedit: cujus soror Gunildis, aliàs Cunichildis, seu Chunigundis, nupsit Henrico secundo, pòst Imperatori. De Apparatu magnificentissimo, quo deducebatur ad mare, mira narrantur in Annalibus. Moritur Lambethi inter epulas post bienne imperium, & absque liberis. Wintoniæ prope Canutum Patrem sepultus.

Angli demum, illo mortuo, an. D. 1042 *comparato exercitu, Danorum nomen universum exegerunt e regno.*

E *Normannia continuò accersitur ad Imperium* Edwardus, Ethelredi *ex* Emma *filius. Appulerat quidem antè, regnante Haroldo, Southamptoniam cum navalibus copiis, ut referunt Walsingamus, & Gemiticensis.* Exscensione *inde facta, cum hostium copiis, quæ oram maritimam undique obsederant, prælio commisso, easdem profligavit. Cæterùm impar regno obtinendo vela retulit in Normanniam. Appulit quoque sub idem tempus e Normannia cum classe armata. Dorobernium Alfredus* Edwardi *Frater natu major.* Excipitur *benignè a Godwyno Comite; verùm non ita multò pòst ab eodem proditus in compedes compingitur, atque oculis erutis ad Haroldum mittitur. Inde deductus ad Monasterium* Elyense *paulò pòst occubuit. Sepultus in* Templi *porticu Australi.* Exitus *hic erat viri præstantissimi.*

Ad Edwardum *redeo, & adventum ejus alterum, Hardycanuto jam mortuo, auspicatiorem. Regnum suscipit, atque ita regnum administrat, ut æquitatis, sanctitatis, & prudentiæ Regnatoribus exemplum singulare proponendus meritò sit.*

In Alfredo ejus fratre exemplum habemus ut sanctissimæ indolis, & fortitudinis eximiæ, ita nec minùs miseriæ humanæ. Perfidè cæso Edwardo *M. Alfredi hujus atque* Edwardi *patruo, monimenta Justitiæ ultricis ut ne altiùs repetantur, meminerit lector, e Dunstani vaticinio quid consecutum sit.* Edricus *quam luerit pœnam perfidiæ circa* Edmundum *Regem, Alfredi atque* Edwardi *fratrem, suprà paucis attigimus. Non abs re*

fuerit

fuerit modò, si sub aspectum pariter veniat Godwynus Cantii comes, quem Alfredi consceleratum proditorem pede claudo pœna merita non deseruit. Narratio petitur ex Ealredo *Abbate Rienvallensi, Huntindono, & Vigorniensi. Res ita se habuit. Cùm Wintoniæ quodam die (Windesorii ait Huntindonus) cum* Edwardo *Rege Godwynus Comes assedisset ad mensam, accidit, ut unius e Regis famulis ad nescio quid in solo fortuitum pes offenderet. at pedis alterius subsidio a lapsu evestigio se sustinuit. Gratulatus inde jocosè viro est ex astantibus quidam, Quòd pes alter alteri subvenisset. Adjecit urbanè Godwynus:* Et talis, *inquit,* Frater est, qui Fratrem, & Amicus, qui Amicum adjuvat in re præcipiti, sive incerta. *Suscepit* Edwardus. Atque ita Frater meus Alfredus, *inquit,* subsidio mihi fuisset in meis rebus incertis, si per Godwynum licuisset. *Hìc vultu conturbato hæsit Comes paulisper. Tum demum,* Equidem introspicio, *inquit,* in Majestatis tuæ sinum, atque adverto accusari me non obscurè de nece Fratris tui. Aures te dare probè novi susurrationibus Adversariorum meorum, qui de perduellione adversus Fratrem tuum, & teipsum criminosè me arguunt. Verùm Deus, qui scrutator cordium est, hac mihi in causâ jus dicat, dijudicetque; & Buccellam hanc, quam manu modò teneo, transmitti ne sinat, si perduellionis cujuspiam in Majestatem tuam conscientia mihi unquam fuerit, sive necis intentatæ Fratri tuo. *Obsignat inde Rex sanctus Buccellam signo crucis. In os immissa transitu in medio restitit, vique omni adhibitâ nec demitti valuit, nec ejici. Conatus quò acrior in utramvis partem, eò Buccella pugnacior, obstinatiorque. Respiratio mox interclusa, oculi abacti: & brachia sensim obrigescere. Hæc demum ubi observasset* Edwardus, *ultionisque Divinæ indicia luculenta percepisset, præcepit extemplò famulis, ut Feram efferrent.* Elatus *in cubiculum brevi pòst interiit. Perfidiæ merces hujusmodi esse solet.*

Moritur

Moritur Edwardus. Integerrima ejus Vita, & Mors sanctissima legi poterit in Ealredo. Miraculis creberrimis illustrem Canonizatione *solenni Sanctorum Fastis adscripsit Alexander 3 an. D.* 1161. Canonizationis *Bulla extat in Vaticano. Anno, qui proximè consequebatur, decretus illi Festus dies a Synodo Oxoniensi.*

Moritur absque liberis. E fide antè pacta Godwyno Cantii Comiti Editham, alias Egitham, ejus filiam duxit Edwardus, *pulcherrimam & pietatis eximiæ feminam,* Rosam, *quemadmodum ait Ingulfus fol.* 995, e spina oriundam. *Mortua illæso Castimoniæ flore. Nam, cùm lecto libero antiquius ipsis nihil esset, Virginitatem suam Deo, ut testatur Capgravius in S.* Edwardo, *uterque consecraverat. Destinaverat imperio* Edwardum, *cognomento* Outlaw, *sive* Exulem, *Edmundi fratris filium, quem eo consilio ex Hungaria antè in Angliam acciverat. In Londinum ut primùm appulit, morbo interiit. Sepultus in Templo D. Pauli. Duxit uxorem ille in exilio, ut suprà retulimus, Agatham Salomonis Hungariæ Regis filiam.* Ex *illa genuit Margaritam, Christinam, & Edgarum cognomento* Ethelingus. *Christina Statum religiosum amplexa in Monasterio Rumseyensi; Margarita nuptui data Malcolmo Scotorum* Regi, *de qua mox ad propositum de Successione futura.* Edgarus *deinde,* Edwardo Exule *patre jam mortuo, ab* Edwardo Rege *designatus in successorem. Atqui* Edwardus Rex, *ætate jam declivi, cùm Edgarum pronepotem animadvertisset imperio administrando non admodum fuisse idoneum, filiorumque Godwyni Comitis improbitatem cum potentia succrescentem maturescere indies, flexit animum ad Gulielmum Normanniæ Ducem, quem & consanguinitatem ex Emma Matre duxisse proximam agnoverat, & factionibus, quæ ingravescerent, non imparem fore.*

Edwardo *mortuo, tumultuari omnia denuò, peccatis Angliæ sic poscentibus, atque in partes relabi.* Edgarum *proximitas juris vocabat ad imperium.* Edgari *jus defecere, si minùs facultates animi, certè vires corporis, &* sub-

subsidia amicorum. Evenit inde, ut interiret post obscurè.

Haroldus pariter, Godwyni Comitis filius vendicabat jus ad Regnum. Ab illo stabat, Quòd bellicosus esset, Quòd amicitiis floreret, Quòd Canuti Regis nepos, Quòd rebus modò gerendis præsens solus interesset. Canuti dixi Nepotem: nam Godwyni Comitis Uxor posterior Canuti soror erat. Ex illa geniti Tostius Northumbriæ Comes, & Haroldus, de quo modò. Die itaque, qui ab Edwardi obitu proximus in Domini Epiphaniam inciderat, edicit se Regem Haroldus, atque, intercessione perexigua facta, ab Aldredo Archiepiscopo Eboracensi coronatur. Tostius fratri, quem summè oderat, indignissimè ferens se postbabitum (ut reliquas ejus, cùm absens esset, ad regnum capessendum molitiones omittam) in Norvegiam tandem se contulit. Avectæ inde copiæ immensæ, & classe munitissima instructæ trecentarum navium, (sunt qui mille numerent) ad tractum Angliæ septentrionalem appulere. Post varias deprædationes, & Eboracum captum, ab Haroldo demum memorabili inprimis prælio fusæ. Cæsus Tostius ipse cum Harfagero Norvegiæ Regis filio.

Competitor imperii tertius, Gulielmus Normanniæ Dux. Suffragabatur illi, Quòd Edwardo Regi consanguineus esset: at præcipuè Quòd ab eodem constitutus in successorem, & Quòd in designationem eandem Haroldus ipse juramento se obstrinxerat. De apparatu egregio habito e Normannia, & aliis partibus videndi Annales. Exscensu facto ad oram Pemseyanam in Sussexia, in loco, qui Bulver-hith *appellatur, Naves mox succensæ ad reditus spem omnem succidendam. Haroldus interim Eboraci certior factus de Gulielmi appulsu, etsi in prælio illo duplici, quod cum Norvegis nuper & Tostio commiserat, concidisset flos exercitus, & cæteræ vires accisæ, movet tamen itineribus continuis adversus hostem in plagam Australem. Conventum tandem utrinque non longè ab oppido Hastingiensi. Aderat dies fatalis, isque natalis Haroldi, Octobris decimus quartus, An. D. 1066. Ad*

 suorum

suorum animos accendendos declamatum pluribus ante prælium a Gulielmo est, Quæ nimirum & quanta Normanni usquè gessissent adversus Gallos, & modò rem esse cum Milite languente ex itinere, cum exercitu afflicto atque attrito e recente pugna Tostiana, cum Tyranno fœdifrago atque perjuro, & cujus Pater Alfredum Principem suum per summam perfidiam & crudelitatem prodidisset. Certamen inde atrox initum, & per maximam diei partem dimicatum utrinque ambiguo Marte. Cædes tanta secuta, ut Normannos, injecta identidem, ut credibile est, cogitatione de fuga, pœnitere potuerit incensæ classis, quemadmodum ex Eadmero colligitur Hist. l. 1, & confessione multorum e Gallis, qui pugnæ intererant. Allapsa demum sagitta fortuita plagam Haroldo mortiferam inflixit, regnumque ejus ultra novem menses, diesque inde paucos extendi vetuit. Rege fortissimo interempto, Victoriæ fiducia intercisa: & apparuit brevì, quò inclinaret. Hic Haroldi, regnique ejus injustè occupati exitus fuit. Vir erat corpore & animo præstans, in congressu familiari urbanus & comis, in mediis periculis non minùs providus, quàm magnanimus: dignissimus imperio, si Naturæ donis jus ad Imperium par fuisset. Atqui, ut verbis Eadmeri suprà citati utar, declarabat hic palam Deus injustitiæ se inimicum esse. Victoriam itaque soli Deo, & Providentiæ scelerum ultrici tribuebat Gulielmus. Monasterium continuò in honorem S. Martini Turonensis amplissimum designabat excitandum in loco, quo Haroldus ceciderat, nuncupandum de Bello. *Vexillum item Haroldi regium, in quo viri effigies apparebat in speciem pugnantis, ut ait Malmesbur. de Reg. l. 3, auro & lapidibus pretiosis opulentissimè intertextum, Alexandro Pontifici mittendum curabat in victoriæ monumentum, quam Autori Deo tribuerat. Ab Aldredo interim Archiepiscopo Eboracensi, & Morcaro Comite Northumbrorum, atque Edwyno Merciæ Comite in consultationem protinus itum de admovendo Edgaro, Edwardi cognomento* Exulis *filio, in Angliæ solium. Verùm cùm*

non is esset, ut suprà dictum, qui partes jam inclinatas sustineret, aditusque inde aperiretur ad factiosorum novas tumultus, ad saniora consilia ventum. Die itaque Natali D. sacro, qui proximè aderat, an. D. 1066, ab Aldredo Archiepiscopo Eboracensi (nam suspensione Papali, quæ jam ante intercesserat, prohibebatur ab illo munere Stigandus Archiepiscopus Cantuariensis) Londini admirabili cum magnificentia coronatur Gulielmus Rex Angliæ.

Regnat Gulielmus, cognomento Conquestor. *Succedit Gulielmus Rufus. Illo item mortuo, Henricus primus.*

Atque hic pervenitur ad quod proposueram. Margarita, de qua suprà, Edwardi cognomento Exulis, *sive* Proscripti *ex Agatha Uxore filia, Malcolmo nupsit Scotorum Regi. Ex ea suscepti quatuor filii, & filiæ duæ, quarum natu majorem Matildem, aliàs Maudam, Henricus proximè dictus ascivit in uxorem. Reducendum hic in memoriam Vaticinium illud celebre, atque interpretatio ejus, de quo Ealredus ad obitum S. Edwardi, nimirum de* Arbore a Radice recisa, *atque ad eandem post reditura. Nuptiæ etenim illæ e familia Saxonica germen inseruerunt in stirpem regiam Normannicam, & Controversiarum, quæ cæteroqui potuissent oriri, materiam omnem sustulere circa successiones futuras. Nam e sanguine Saxonico hæres Matildes sola jam supererat.*

Annales Britannicos siquis evolverit, in orbis ambitu universo portionem Terræ vix ullam reperiet tumultuum variorum tot usquam & tantis æstibus agitatam. Gentis id ferè peccatis datum, ultionem divinam quæ identidem accersivere. Mereatur utinam Anglia, id quod suprà commemoratum est, ut Angliæ Regnum Dei Regnum *sit, qui Pacis Deus est.*

Ad intermissa redeo.

Margaris illa ? inopum quondam solamen, & unæ Deliciæ ? Malcolme, tibi ditissima nubit Margaris ; & nempe invideat tibi, Scotia, tantas

Margarita.

Filia Edwardi Prin-

Principis cognomento Proſcripti : *nupta Malcolmo Scotorum Regi. Virtutum omni genere ornatiſſima. In pauperes in primis munifica.*

(*a*) Cæſar opes. Dos ipſa ſua eſt, qualem India Medo,
Arſaciæ qualem mitræ Nabathæus Hydaſpes
Non tulit. I, tedam thalamis inferre Britannam,
Nympha, velis, (*b*) quibus acceptam Normanna Matil-
Anglia Saxonidem referet. (*c*) Te Scotia doni (dam
Conſcia, virtutumque memor, Regina, ſuarum,
Aſciſcet templis olim, templiſque receptam
Roma ſalutabit; quàque ultima ſole tepebit
Eoo Heſperiove dies, tibi dividet *horas*
Nocturnas lux diſcedens, reditura *diurnas*.
Carole, Reginam cernis, cui ſplendida Mundi
Pericula non ſapuere aliter, quàm (*d*) germina ſylvæ
Fallacis, quæ commendat ſub divite cultu
Non niſi fumus, & Arabiam mentita mephitis.
Et Suavem, & Fortem obſervas, ferrumque docentem
Peccantes à peccato diſtinguere cauto
Vulnere, nec ſoli Nemeſi ſervire tribunal.
Intentam cœlo, precibuſque, meris, & omni
Intertextum operi cœlum. Sic navita clavo
Incubat, & clavum ſolers attemperat Aſtro.
Ex humili riguit ſubtemine veſtis, & Aulæ
Diſcolor: at pretium vili ſub tegmine ſervat
Concha rudis. Lectus tumuli memor excipit artus,
Quos aſſuefecit tumulo. Quàm largus egenis
Hìc patuit ſinus! Heroum præconia campi
Armigeri reſonet tuba, ſideribuſque tropæa
Invehat. Heroinam animam, in præcordia largè
Pupillorum, inopumque ſinus per dona fluentem,
Monſtrari digitis miſerorum, & *dicier, Hæc eſt*,
An decoret minùs? Ad cœlum præmittere nomen,
Ipſi quò non aſpirent, & vertice Famæ
Aſtra ferire, quid hæſuros in pulvere manes,
Nec celſum nomen, Famæ nec præpetis alam

(a) *Julius Cæſar Britanniam adiit, excitus fama margaritarum inſignium, quas fuiſſe audierat in litore Britannico. Ita Scriptores.*

(b) *Ex hoc conjugio nata Matilda, aliàs Mauda, quæ pòſt nupſit Henrico primo Angliæ Regi : & retulit denuo in Angliam ſtirpem Saxonicam, uti ſuprà dictum.*

(c) *Legatus e Moſcovia Scotus, (Paulus Meneſes, Baronis de Pitfodel prope Aberdoniam in Scotia frater) obtinuit Romæ an. D. 1673. ut in Kalendarium Breviarii ſeu Horarum Canonicarum, & Miſſale Romanum referretur.* (d) *Poma Gomorrhæa.*

Inde secuturos, quid juverit? At tibi nomen
Et famam pietas tua fecit, & aurea supra
Sidera Nomenque & Famam, & te, Margari, totam
Evexere manus Inopum, cœloque locarunt:
Unde tuos inter, miseræque examina turbæ
Addictum Carolo videas quoque, Margari, Vatem.

Margarita Regina, Edwardi Principis cognomento Outlaw, *sive* Proscripti *filia, locata nuptum S. Malcolmo Scotorum Regi. Virtutum omni genere illustris, & munificentiâ erga pauperes in primis eximia. Unà cum Viro suo trecentos pauperes propriis ipsa manibus pascere quotidie solita; ex una parte Margarita Regina, Rex Malcolmus ex altera. Mort. an. D. 1092. Molan. Martyrol. Rom. & alii. Erat hæc Margarita filia S. Agathæ, quam Edwardus modò dictus in Conjugem asciverat.*

Agatha.

Salve Agatha. Ut vultu veneratur Filia Matrem,
Quo Natam decet, & Natam colit inclyta Mater,
Quo Matrem decet! Edwardo desponsa Britannæ
Hungaris accedit, Salomonis filia, tedæ.
(a) Ambitio infelix! Soliis o advena nunquam
Non propior! Scelerum campus patet, & seges Aula.
Secedet prudens Agathe, campusque petendus
Alter erit, Quà felicem Wintonia glebæ
Collium apricorum placido sub vertice vallem
Explicat, *inclusum* rivis hìc incolit *hortum*
Signati Fontis, spatiisque virentibus errat
Integritas, Mundi illecebris procul, & procul æstu
Clamosi cœtus. Agathæ virtutibus, auri
Indueret donec Pietas matura colorem,
Hìc campus fuit. Hìc, qualis per florea rura
Cura tenet cellæ teneræ, mellisque legendi
Urget apes amor, hìc talis Pietatis in horto,
Elysiique sui per odora vireta Melissæ
Alterius sobolem exercet labor. Excubat omnis

Salomonis Hungariæ Regis filia, Edwardi Outlaw, *seu proscripti Uxor, Margaritæ modò dictæ mater. In Monasterium Wintoniense secedit in Com. Hampton.*

(a) *Nam Edgarus ejus filius regno sibi debito privatur,*

In

tur, alio invadente.

In quæstum (*b*) chorus. Hinc *Violæ* fundamina ponunt
Prima Favis *humiles*, Violæ conclavia stipant
Virgineæ, Cellæque oras, & tenuia circum
Spiramenta linunt. Hinc labis siqua recentes
Ad ceras hæsit macula, infecitque nitorem
Vernantis lucri, lachrymam Narcissus, & herbæ
Fortè suæ præstent aliquid de rore Cicadæ.
Interea sacræ variis e floribus Hyblæ
Virtutum omne genus legitur. Per roscida castra
Dorotheæ inde Rosis, Agnetes inde Ligustris,
Cæciliæ Nardo involitant. fragrantis Olympi
Ambrosios afflat cunctis Amaranthus odores.
Magdalides si quæ affuerint, (& fortè reperta est,
Hos olim quæ lustrarit pia Magdalis hortos)
Ruris opes his nec desunt. (c) De stipite trudi
Arbuteo Cerasum, iliceo de caudice gemmas
Vernantis Mali, taxum incanescere glaucæ
Foetu Oleæ, cornoque vident inolescere Ficum,
Incultaque Pyri florem mirantur in orno.
Inde suum carpunt illæ cum fenore censum.
Desidiæ Fucos arcere cubilibus unum
Omnibus hoc superest bellum, hic labor omnibus unus.
Diceris o quanto Virtutum nectare cellas
Distendisse tuas, Agatha! O quàm mellea Virtus
Annona est! Agathæ Coelum quàm messibus halat!

(b) *Sanctimoniales sc. in illo Monasterio, de quibus & cætera, quæ sequuntur.*

(*c*) *Ad hæc alluditur. E stipite quippe inculto peccati, & recordatione præteritæ vitæ germinant fœtus Pœnitentiæ, & aliarum Virtutum, unde se alant peccatrices.*

S. Agatha, Princeps piissima, Salomonis Hungariæ Regis filia, Uxor Edwardi cognomento Outlaw, *Margaritæ suprà dicta Mater. Cùm Edgarum filium suum, cui successio in imperium jure debebatur, ab Haroldo ambitioso invasore videret per injuriam opprimi, Viro mortuo, secessit in Monasterium Wintoniense in Com. Hampton. ubi abdicato seculo, & habitu religioso assumpto, se totam dedit in Monasterii disciplinam. Sanctissimè obiit an. D. circiter* 1092. *De illa Westmon. & Matth. Paris an.* 1067: *Wion. lib.* 4 *ligni vit. & alii. Inter quos vide Hist. Scot. excusam Francofurti an.* 1584, *l.* 7.

Anglia,

Anglia, (*a*) Saxo tuus cecidit. Succedit Haroldus:
Patrem huic (*b*) degenerem dedit Anglia, Dania (*c*) Matrem.
Inde ferox armis viduo Normanna potitur
Imperio soboles. An erit, cùm temperet iras
Cœlestes demum reditura, suæque (*d*) *recisum*
Radici infertura olim Clementia *germen*?
Radicem nudam! Spes nulla repullulat. Amplo
Terræ interjectu procul avia secubat *Arbor*.
At frondes necdum posuit. Commercia restant
Nulla tamen. Congressum omnem divortia *terni*
Jugeris, & mediæ prohibet (*e*) Bellator arenæ.
Arbor amica redi. Redit Arbor. Regia ramum,
Auspicibus Superis, retulit Matilda jugalem.
Invectam poterat seriem Normannia forsan
Armorum imperio stabilisse. Sed æmula nondum
Saxonici ambitio juris decedere visa est
Rivali e campo. Subiit Matilda: sequestram,
Saxonis ipsa, novæ stirpi commisit olivam.
Crescat, & augustas eadem *multiplicet* umbras,
Et læto *repleat terras*, & sidera fœtu.
Carole, (*f*) commotæ video, vibrantis & alæ
Indicium; tacitéque abitum maturat Ephebus
Penniger. Aërio longè densatur ab auro
Nescio quid Nubi simile. appellemne vaporem
Sidereum? an dubio stipatam fulgure lucem?
Nobis, quicquid id est, Nubes erit. At tua dulci,
Mauda, moræ tenuem pietas ut proroget horam,
Quàm supplex animis, & votis omnibus optem!
Pauperem, amicitiis nudum, tibi sæpe (*g*) *locutum*,
Mauda, ferunt. *Quis hic est*? properam in fastidia linguam

Mauda, aliàs Matilda. Henrico primo nupta retulit in Angliam stirpem Saxonicam. Piissima, & in egenos eximiè liberalis.

(a) *Nam series regia Saxonica iterum intercisa est, Edwardo Con. mortuo.* (b) *Godwynum Cantii Comitem, de quo suprà.* (c) *Canuti sororem Godwyno nuptam.* (d) *Hic alluditur ad Parabolam illam celebrem: cujus interpretationem habes infrà ex Ealredo, eò remittendus.* (e) *Haroldus, Gulielmus Conquestor, & Gulielmus Rufus ejus filius. Nam illi intercedebant in spatio illo* trium jugerum: *uti infrà ex interpretatione Parobolæ.* (f) *His indiciis animadvertitur demum instare discessus Regum.* (g) *Allusum ad illud* Pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic? *Eccli.* 13. *Atqui hæc in pauperes maximè benigna.*

Respon-

Respondisse ferunt nunquam. *Loquor.* At modò forsan,
Ecquis hic est? inquis. Virtutum, Mauda, tuarum
Admirator hic est. Meritorum præco tuorum
Esse cupit: præco, spatiis disclusus iniquis,
Esse nequit. Multùm tibi debuit Anglia. Multùm
Debeat. Afflictæ quondam succurrere nosti.
Succurrisse suam sibi noverit hæc quoque Maudam.

S. Mauda, aliàs Matildes, Regina, Malcolmi & Margaritæ suprà dictæ, Scotiæ Regum, filia, Henrici primi Angliæ Regis Uxor. Inde reducta denuo in Angliam stirps Saxonica, uti suprà dictum.

Circa Parabolam igitur, quæ attingebatur in carmine, hæc adjicio breviter ex Ealredo in Vita S. Edwardi. Proximè ante obitum, cùm jam in extremis versaretur Rex sanctissimus, in somnis apparebant illi Monachi duo, quorum, dum exularet, consuetudine intima utebatur, Viri pietate singulari, & qui pridem e vivis excesserant. Significabant Edwardo Angliæ enormia peccata, & ruinam inde genti imminentem. Hìc ille, ducto altissimo gemitu, Nunquid in æternum, inquit, projiciet Deus? An continebit in ira sua misericordias suas? Tandem, cùm lacrymis plurimis deprecaretur excidium gentis suæ, inferebant Monachi Parabolam hanc. Cùm Arbor virens a Trunco abscissa trium jugerum spatio separabitur a Radice sua, & tum deinde, nullà cujusvis vi adhibita, revertetur, & Trunco se spontè adjunget virore pristino recuperato, tunc expectare Anglia poterit allevamentum, & remedium malorum. Hæc ubi pronunciassent, in cœlum illi continuò, Edwardus ad se reversus.

Vulgatâ inde hac Parabolâ, interpretatio non alia verisimilis plerisque visa est, quàm quæ peteretur a desperatione rerum meliorum. Verùm aliter Ealredo Abbati, qui hæc pòst descripsit, uti suprà, sic illam interpretari placuit. Radix *illa, inquit, seu* Truncus *superiore parte spoliatus* Regnum *significabat Angliæ.* Arbor *separata* trium

trium Jugerum *spatio* Tres succesſiones *exprimebat*, (Haroldi *nimirum*, Gulielmi *Conquestoris*, & Gulielmi *Rufi*) *unde intercisa tantisper manebat, atque interrupta Anglorum Regia series. At* succesſiones, *inquit, illæ terminantur in præsente* Henrico *primo, quæ* Matildem, *Edwardi consanguineam, & quæ e regia Saxonum stirpe jam sola superest, ascivit spontè in Conjugem. Sic demum* Radici *suæ* Arbor *restituta est, fructuumque sobolem afferet, quam optamus. Hæc ex Ealredo: qui deinde de Edwardi morte sanctissima narrationem persequitur.*

Hic Henricus primus, cognomento Beauclerke, *Gulielmi Conquestoris filius natu minimus. Gulielmi Rufi frater, e Mauda seu Matilde, de qua modò, filium suscepit* Gulielmum, & Maudam *filiam, Matri cognominem. Mauda pòst nupta Henrico Imperatori: Gulielmus naufragio ereptus e vivis. At quantus inde mæror consecutus, vide Stoum in Henrico primo. Imperatore mortuo, in Angliam rediit Mauda Imperatrix, nupsitque pòst Galfrido Plantagenetæ. Natus ex illo conjugio Henricus secundus, & continuata inde stirps eadem Saxonica. Mortua Mauda Imperatrix sepelitur Readingæ in Comitatu Berceriensi cum hoc Epitaphio;*

Ortu magna, Viro major, sed maxima Partu,
Hìc jacet Henrici filia, sponsa, parens.

Atque hæc de serie Saxonica restituta satis.

De Mauda verò, seu Matilde, de qua in carmine, hæc paucis. Pietate fuit eximia prædita, & munificentia in Pauperes memoranda in primis. Ad hos alendos duo extruxit Xenodochia eximii operis, utrumque Londini, alterum in suburbiis S. Ægidii, alterum a Christo *dictum, intra portam Algatinam. Multa alia extant in aliis Angliæ partibus præclara vestigia pietatis ejus. Mort. an. D.* 1118. *Sepulta in Æde Westmonasteriensi prope corpus D. Edwardi Confessoris. De illa Westmon. & Paris an.* 1118: *Surius in vita S. Margaritæ, Tom.* 3: *Hoved. part.* 1. & *alii.*

Henricus 6.

Supremam video, & claudendam ſanguine ſcenam.
(*a*)Alteraque huic conſanguinea eſt,& fortè cothurnos
Quæ veteres æquet. (*b*) Reſperſit ſanguine poſtes
Ecce duplex cœli niveis ab ovilibus agnus,
Londinum regale, tuos: nec ſeciùs Urbem
Heu Nemeſis populabundæ implacabilis ira
Quàm non præteriit! Veteris genus, & decus ævi
Poſterioris adeſt. Henricum cernimus, & Quem
Novimus: Henricum, feras quò rarior auri
Tinxerit ætates priſci color, hòc magis aureum
Virtutis priſcæ germen. Si mente recentûm
Faſtorum ſylvas relegam, reperiſſe videbor
Circumfuſæ aliquos auræ fortaſſe nitores
Interlucentes. Vacuus ferrugine ſolus,
Aureus ille (propago ſui ditiſſima) *Ramus*,
Et, cui vix afflaſſe malum fatale Colubri
Viſa lues, expers labis, candoris aviti
Ingenitique tenax Henricus *Bractea* ſola eſt.
Haud Reges certè incuſem, quos extulit ætas
Serior. At latitare Adamas ſolet inter arenæ
Diſcolor obſcuræ vulgus, gentiſque minorem
Pumiceæ ſobolem. Agnovit Britannia Gemmam,
Et lucis, qui Kenredos, Inaſque referret,
Saxonicæ radium. Titulos lætetur avitos
Acceſſiſſe ſuæ Normanna Britannia famæ.
Sidereas olim mitras, & non niſi Divûm
Supremos apices *Arbor* maleſuada ſpopondit.
Mortales infra demiſſa in mente reſedit
Henricus: ſummo, Diviſque affinior, imo,

Princeps integerrimus. Modeſtia, & demiſſione animi ſingulari præditus. Exemplar virtutum abſolutiſſimarum. Spoliatur regno ab Edwardo quarto. In arce Londinenſi interficitur a Richardo Duce Glocestrenſi, Edwardi Regis fratre.

(a)*Ducum ſc. Nepotum (Edwardi Principis 13 annos nati, & Rickardi Ducis Eboracenſis 2 annis junioris) a Richardo patruo poſt obitum Edwardi Regis in arce Londinenſi interfectorum. Et ſic aſcendit in ſolium Richardus tertius. Richardi bujus deſcriptionem amplam habes in Joanne Stoo p. 436. col. 1. & deinceps.* (b) *Alluſum ad illud in Gen. 12 de Agni ſanguine ſuper poſtes.* Et videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, &c. *Miſeriæ nuperæ teſtantur aliud de Londino.*

Et

Et sibi quò propior. Montem conscendit. ab Aulæ
Vertice subjectas latè prospectus in Urbes,
Et pelagus domitum, & (*c*) Regnum confine patebat;
Nec tamen excessit Valles ingloria mentis
Ambitio, Famamque & campos aëris ausa
Despicere ex imo. Ferro sed Regna metuntur,
Seu Vallem, seu Montem habitent. Ah, bruta Richar-
(Edwardum sileo) feritas! at tota Richardi (di
Sylva libyssa sinu, & Thrace stabulatur in uno.
(*d*) Qui fasces Regni primos e cæde Nepotum
Sustulit, hic idem est. Pueros amandat in Arcem
Tutelæ causâ. Prætextum nomine crimen
Scilicet hoc latuit. Nidum subit hospes eburnum,
Rurique assuetum modulari carmen Acanthis
Creditur. at Diris caveam captiva Volucris,
Et dominum addicit potiùs. (*e*) Sensisse Richardum
Quis neget? Hinc sævo excubias egere sopori
Ultrices larvæ; solis hinc lurida pectus
Criminibus saturum macies exedit, hiulcumque
Et Furiis os obseptum distorserat horror.
(f) *Rhamnus* erat Regno, Rhamnus sibi. Plectere culpam
Culpa solet. (*g*) Sicæ toties quid sæva recursat
Dextra? Feri. Quem persequeris? Fuge. Sica Richar-
Illa petit. Se persequitur Mens impia sontem. (dum
At sibi nil conscire, quid est? sensere Puelli:
Henricus sensit. Mundi incumbente ruina,
Integer usquè stetit suus: incumbensque ruina
Subsedit, gradus ad Cœlum, Heroasque futura,
Quos Heros coluit. Regno jam tertia messis
Accessit, Richarde, tuo. (*h*) Bosüorthia ferrum
Supposuit. Cadis. Et bifrontem exhorruit Orcus
Ipse feram: scelerumque ferunt meminisse Neronem,
Quæ gemuit quondam Roma, & puduisse minorum.
Sceptro fulta, comam Diademate cincta Potestas,
Sive Bono, sive illa Malo contermina, partem
Est in utramque potens. Misera de gente meretur
Damnose regale Malum, cùm purpura livet,

(c) *Ditionem sc. quam retinebat adhuc in Gallia.*

(d) *Et postea etiam Nepotes suos, ut regno potiretur, e medio sustulit.*

(e) *Diras sc. alias, quas meruit a captivis modò pueris, & pòst interemptis.*

(f) *Allusum ad Rhamnum Abimelech, Jud 9.*

(g) *De sica ad latus Richardi, ad quam manus sæpius flectebatur, & cateris suprà modò memoratis notum.*

(h) *In prælio illo celebri Bosüorthiano post 3 annorum imperium occiditur. Inde succedit, obtenta victoria, Henricus septimus.*

Degenerat cùm ſceptra manus, Diademata vertex.
Purpura fuſca, Richarde, fuit tua, murice tetro
Decolor: alteriuſque Tyri tingetur aheno.
Tingetur. Jamque ad pœnas acceſſerit ætas
Bina tuas; at deceſſum miſerabilis ævi
De ſummâ nihil. O rigidæ, quas Tartara texunt
E ferro, trabeæ! O miſerum, &, quod ſyrma dolorum
Æternum! Extremas annus quis colligat oras? (eſt,
*Perge, Anima. E cœlo greſſum illætabilis Aulæ
Ad ſedes refer, ad Regnum deforme, tenebras
Ardentes: Proceresque alios inviſere tenta;
At quibus haud ullam liceat dixiſſe ſalutem.
Perge. Coronatos (Regum o Britannia felix!
Infelix eadem Regum Britannia!) Manes
Nempe coronatos vidi, triſteſque coronas,
Elyſio funeſta ſuo quas Tartara cudunt.
E multis pauca. *His* olim ſcelerata libido
Subdidit infames ſtimulos, & fœdera prima
In thalamos ardor vetitos alienus abegit.
Hi regno decoxerunt; & frigida regni
Cura manum clavo abſtinuit, pertæſaque proræ
Depoſitum grande, & munus regale fefellit.
Aris *hi* pepigere fidem, pactâque rebelles
Deceſſere fide. Hos inter vidiſſe videbar
Neſcio quos latos humeros, & tergus obeſum.
Huic ſceptrum Faſtus, *Huic* inſedere coronam
Inſidiæ: utriſque Ambitio crudelior *Illi*
Corripuit regni faſces, & faſcibus uſa eſt.
O Reges! O Reginæ, quas mollior Aula
Erudiit luxum! Quàm vellent cannabe faſtus
Auguſtos, humilique aulam mutaſſe tabernâ!
Pœnarum O diræ facies! At mitte doceri.
Hoc ſatis. (*i*) His jungi poterant. At ſera querela eſt.
Jungeris his, Henrice, comes: comitemq; ſalutant
Ætherei Proceres. Cœli ſubeunte penates
Henrico, Cœli indigetes, ter cardine plauſo,
Lætitiæ accurrêre. Veni; ſeu luſtra leonum,

** Digreſſio brevis, de Regibus Angliæ aliis, qui ſedem a cœlo diverſam meruere.*

(i) *Regibus ſc. in hoc Conſeſſu cœleſti, apud quem modò verſamur.*

Urſo-

Urſorum ſeu te caveæ tenuere, Quietis
Jam modò læta ſubi ſacraria: teque coronet
(k) Ipſe, ſuo qui te ſemper de vellere novit.

(k) *Agnus ſc. cœleſtis: cui a morum & animi candore Henricus profectò ſimillimus.*

Henricus ſextus, Angliæ Rex. Princeps integritate & candore morum eximio, modeſtia, & demiſſione animi ſingulari: probitatis & virtutum abſolutiſſimarum exemplar, inquit Joannes Stous, & Fortunæ inconſtantis documentum. Regno, quod jam annis 38, & menſibus 6 tenuerat, per injuriam ſpoliatur ab Edwardo 4, qui pòſt ſucceſſit. Maii 21, an. 1471 venit Londinum Edwardus e prælio Teukesburienſi, ſeptus triginta millibus armatorum: & eadem nocte in Arce Londinenſi, in quam ab Edwardo antè includebatur, a Richardo Duce Gloceſtrenſi Edwardi fratre interfectus eſt, Monſtro illo humani generis, qui & pòſt, Edwardo mortuo, per cædem Nepotum, quos in Arce pariter Londinenſi, tanquam in cuſtodia tutelari detinuit, imperium invaſit. Sepultus Henricus primò in Monaſterio Chertſeyenſi in Surria; Inde pòſt Windeſorium tranſlatus in ſacellum D.Gregorii. In utroque loco ſanctitas ejus Miraculorum fama non caruit. Fundatum ab eodem Gymnaſium illud celebre Eatonianum: Collegium item Cantabrigiæ, Regium *inde dictum. Agebat cum Pont. Rom. Julio 2 Henricus ſeptimus, ut SS. Faſtis adſcriberetur. At mortis amborum interventu, quæ paulò pòſt conſecuta eſt, negotium illud interpellatum. De illo Pol. Virg. l. 24 Hiſt. Regiſt. Eccleſ. Windeſorianæ: Calend. item ſecundum uſum Sarum. Vide etiam Principis hujus Elogium memorabile a Joanne Stowo editum in Edwardo 4, p. 424. col. 2.*

Anglia conſpectu nondum ſe Regia noſtro
Surripuit. Tacito dum lumine metior orbem
Conſeſſus tanti, & Cœli tot lumina luſtro,
Dumque hinc Æthereas Mentes contemplor, & Aulæ
Magnificæ aligera ſtipatam pube coronam,
Inde interfuſam Regum ad ſubſellia gentem,

Alii a tergo aſſiſtentes e regio Anglorū ſanguine propinquiores: uti factum ſuprà ad Gentem *Britonū* Reges.

Gentem illam, nec virtutum, nec ſanguinis ortu
Diſſimilem, Generis per aviti nomina tanta
Ferre iterumque iterumque oculos, veſtigia laudum
Tanta remetiri, patriæque inſignia famæ,
Quàm juvat! (*a*) *Vlſadum* video. *Ruffine* ſub ora
Noſtra venis. Lotam fluvii luſtralis in unda
Victimam utramque Pater ferus, & ſua viſcera ferro
Deſtinat: erubuit proprio nec ſanguine tingi.
(*b*) At folio, Parnaſſe, tuo quàm ſerta * *Fremundum*
Sacra magis, crinem * *Alkmundi* quàm caſtiùs ornant!
Et laurum, * *Wiſtane*, alio quàm vere virentem
Cerno tuam! Cerno *Elfledas*, *Cuthbergam*, *Edithaſque*,
Diſſimilique ortas Penda Genitore *Sorores*,
Quarum *Evæ* natu minimæ quàm (*c*) regia blandùm
Occurrit ſoror! (*d*) *Ebba* manes a vulnere Virgo
Integrior. Laceri vultûs in vulnere ſedit
Quanta pudicitia! In formam ſævibat Amazon
Ingenioſa. Pudoris & ars erat eſſe Pudorem.
(*e*) *Erconwalde*, vale. Tellus repetenda. reverti
Exilium ad natale jubet brevis hora. Sed Urbi,
Cui præeras olim Præſul, dicesne ſalutem,
An mittes? Tua donum ingens foret Infula. * Nubes
Siſte. Quid? In nubes abierunt vota? Silebo.

Poſt Reges Britonas recenſebantur ſuprà qui proximè Regis ſanguine attingebant, uti Filii, Fratres, &c. Idem modò in reliquis fit. Quos porrò ad Regum conſequentium Conſeſſum aſſiſtentes induximus, hi ſunt.

S. Ethelburga Abbatiſſa, Annaſii Anglorum Orientalium Regis filia. Mortua an. D. 616 in ſuo Monaſterio Barkingiæ in Eſſexia prope fluvium Thamiſim. Tritem. de Vir. illuſt. Molan. Beda l. 4, c. 7, 8, 9, & 10. Quæ circa mortem, & poſt mortem ejus contigerint, vide Bedam l. 4, c. 9: & memorabilia circa eandem de S. Theoritgitha.

S. Edburga Virgo & Sanctimonialis, Redwaldi Angl. Orient. Regis *filia. Mort. an. D. circiter 620 Alesburii*

(a) *Fratres duos a Patre Vlfero interfectos in odium Fidei proximè ſub baptiſma ſuſceptum.*
(b)* *Martyres alios tres.*
(c) *Regina viz. Kyneburga.*
(d) *Duas Ebbas invenies. at hæc de poſteriore: quæ cum ſanctimonialibus reliquis labia ſuprema ſibi & nares abſcidit ad pudicitiam tuendam.*
(e) *Erat Epiſcopus Londinenſis.*
Hæc omnia cum cæteris in Proſa paulò uberiùs.
* *Nubis demum lucidæ interventu omnia ſubducuntur.*

rii in Com. Buckingamiensi. Corpus pòst translatum ad oppidum Edburge-Towne, *seu* Edburton *ab ea modò sic dictum. Chron. Brit. fol.* 302. *Wion. Maurolicus.*

S. Eanswida Virgo & Abbatissa, Eadbaldi Cantianorum Regis filia. Mort. in suo Monasterio Folkestoniæ in Cantio an. D. circiter 640. *Sepulta ibidem. Speduss in Tab. Reg. Cant. Buckland in ejus Vita. Monasterium in edita rupe situm penuria laborabat aquæ. De aqua mirum in modum eò ducta vide Capgrav. in Eanswitha.*

S. Edilburga Virgo & Abbatissa, Annasii seu Annæ Angl. Orient. Regis filia. Mort. an. D. circiter 650, *& sepulta in Monasterio suo Bryensi in Gallia, modò* Pharmonstier *nuncupato, ædificato ab Abbatissa S. Phara. Tritem. de Viris illust. Beda l.* 3, *c.* 8. *Martyrol. Rom.*

S. Heyna Virgo e stirpe regia Northumbrorum. Fertur prima, quæ in illis regionibus Sanctimonialium votis se obstrinxerit. Mort. an. D. circiter 657 *in oppido Calcaria, modo* Tadcaster *dicto. Wion in Appendice ad lib.* 3 *Lign. Vit. Beda l.* 4 *Hist. cap.* 23.

S. Sethrida (aliàs Sedrido) Virgo & Abbatissa, Annasii Angl. Oriental. Regis filia. Mort. in Monasterio suo Pharmonstier *suprà dicto an. D. circiter* 660. *Sepulta ibidem. Beda l.* 3 *Hist. c.* 8, *& alii.*

S. Earthongata Virgo, Ercomberti & S. Sexburgæ Cantii Regum filia. Secessit ad Monasterium Pharmonstier *in Gallia. Vixit ibidem sanctitate singulari circa an. D.* 660. *Vide quæ acciderint circa ejus mortem in Beda l.* 3, *c.* 8.

S. Mildreda Virgo, & Abbatissa, Merwaldi Merciæ Regis filia. Mort. an. D. circiter 664 *(rectiùs, opinor,* 676*) in Monasterio* Minster *appellato in Insula Thanatensi. Corpus pòst translatum Cantuariam in Templum D. Gregorii. Pol. l.* 4. *Molan. in Addit. ad Usuard. Matth. Westmon. an.* 676, *&* 1011: *& alii. Londini extat Templum in honorem ejus.*

S. Milburga, Virgo, & Abbatissa, Merwaldi Merciæ

ciæ Regis filia. Mortua an. D. circiter, ut proximè suprà. Sepulta in Monasterio proprio Wenlockii in Comit. Salopiensi. Pol. l. 4 Hist. Angl. Flores SS. Ord. D. Bened. Westmon. an. 676. Gotzelin. in Vita ejus. Vide ulteriùs, quæ de ea scribit Harpesfeld. sec. 7, c. 23. De inventione Corporis ejus vide memorabilia in Malmesburio de Reg. Hoc tempore, inquit Baronius, Ecclesiæ Saxonum in Britannia floruere instar Paradisi Domini.

S. Erconwaldus, Episcopus Londinensis, Offæ Saxonum Orientalium Regis filius : de quo Capgravius & Harpesfeldius. Duo extruxit monasteria, alterum pro Viris Cherteseyæ in Surria, Barkingiæ alterum pro Feminis. Mort. *an. D. 675. Sepultus in suo Cathedrali D. Paúli Londini. De illo item* Tritem. *de Viris illust. l. 4 : Beda l. 4 Hist. c. 6 :* Molan. Martyrol. *Rom.*

SS. Ruffinus & Vlfadus fratres, & Martyres, *Wulferi* Merciorum *Regis filii. A Patre, ipso, ut creditur, Baptismatis die, in Fidei odium interfecti an. D. circiter 658. Sepulti* Stonæ *in Com. Staffordiensi, sic dictæ a congerie lapidum ad locum sepulturæ eorum. Spedus de* Rege *Wulfero;* Regist. *Lichfeild. & Peterbur. Pater ipse pòst ad Fidem conversus.*

SS. Ethelbertus *& Ethelredus fratres, &* Martyres, *Ercomberti Cantianorum Regis Nepotes. Vita spoliabantur ab impio Thimuro, àt non jure successionis ad* Regnum. *Translata eorum corpora, regnante Edgaro, ad* Monasterium *Rumseyense in Com. Huntingtoniensi. Templum &* Monasterium *in eorum honorem ædificatum Eystriæ in Cantio ab ipsorum sorore S. Ermemburga, quod ipsa pòst regebat, an. D. circiter 670.* Rosweydus *in Fastis : Westmon. an. 654, & alii. De his suprà in Ermemburga.*

S. Edburga Virgo, & Abbatissa, Ethelberti Cantianorum Regis *Christiani primi filia.* Mort. *an. D. circiter 670 in suo* Monasterio *Minster dicto in Insula Thanatensi in Cantio. Pòst translatum corpus Cantuariam a Lanfranco, & repositum in Æde D. Gregorii. De illa*

Spedus

Spedus in Ethelberto. Item Nova legenda SS. Angl. fol. 101 & 122, & *alii.*

S. Withburga Virgo, & Sanctimonialis, Annæi Angl. Orient. Regis filia. Mort. an. D. circiter 670 in Monasterio Derham *dicto in Comit. Norfolciensi. Molan. in Addit. Gotzelin. in ejus vita. Plura de ea apud Capgravium: & de ejus Translatione apud Malmesbur. de Pont. l. 4, fol. 293.*

S. Wereburga Virgo, & Abbatissa, Wulferi Merciæ Regis filia. Mort. an. D. circiter 675. Habitum religiosum primò assumpsit in Monasterio Elyensi sub S. Audrya. Pòst Abbatissa trium Monasteriorum, Trentamiensis, Handburiensis in Com. Stafford. & Weedensis in Comit. Northamptoniensi. Sepulta primùm Handburii. Inde post 300 annos solenni ritu translatum Corpus Chestriam. Templum, & Monasterium ibidem extructum in honorem ejus, S. Wereburgs *vulgò nominatum; Derbiæ insuper aliud. Flores SS. Angl. Vincent. in Spec. l. 3, c. 28.*

S. Milwyda, aliàs Milgitha, Virgo, Merwaldi Merciæ Regis filia. Mort. an. D. circiter 676 in Monasterio Eystriensi prope Sandovicum in Cantio, quò secessit relicto seculo. De illa Pol. lib. 4 Hist. Flores SS. Ord. D. Bened. Westmon. an. 676.

S. Egelwinus, Kenewalchi Sax. Occident. Regis frater. Vixit circa an. D. 676. de quo sic Malmesbur. de Pont. l. 2. fol. 155. Adelingi Monachi ad cœlum laudes extollunt Patroni sui Egelwini, cujus sanctitatem testantur beneficia multa, quæ per ejus intercessionem percipiunt. Vide plura ibidem.

S. Hilda Virgo, & Abbatissa, S. Edwyni Northumbrorum Regis Neptis. Mort. an. D. circiter 680 in suo Monasterio Streneshalliensi (Whitby) *in Northumbria, quod ipsa ædificaverat. Sepulta ibidem. Tritem. de Viris illust. l. 3, c. 123. Beda l. 3, c. 24, & l. 4, c. 23. Westmon. an. D. 665, & 680.*

S. Ebba Virgo, & Abbatissa, Ethelfridi Northumbrorum Regis filia. Eb-cester, *ad fluvium Derwentium, sic*

ab ea dictum. Oxoniæ item Templum vulgò S. Ebbes. *Mort. an. D. circiter 684 in Monasterio Coldingamiensi ab ipsa fundato ad Scotiæ fines. Buckland. in ejus vita, & alii.*

SS. Arwaldi Fratres, & Martyres, e stirpe regia Anglorum Australium. Beda fratres fuisse dicit Arualdi, Regis insulæ Vectæ. Occubuere in Insula Vectensi in Com. Hamptoniensi an. D. circiter 687. Sepulti ibidem. Westmon. an. 687. Beda lib. 4 Hist. c. 16.

S. Weeda, aliàs Eva dicta, Virgo & Abbatissa, Pendæ Merciorum impii Regis filia. Hæc e quinque sororibus, quæ omnes Vitæ sanctitate floruere, ut SS. Kinneburga, Kinneswida, &c. natu minima fuit. Mort. an. D. circiter 690 in suo Monasterio Dormund-castriensi in Com. Northamptoniensi. Corpus pòst translatum Peterburium in Comitatu eodem, & ibidem sepultum cum Sororibus reliquis. Camden. in Descript. Glocest. Regist. Eccles. Peterbur. Wion l. 4. Lign. Vit. Chron. Brit. fol. 276.

S. Adalbertus, Presbyter, (S. Marcellinus, unus e 12. Germaniæ Apostolis Levitam tantummodo nominat) Edilbaldi Saxonum Australium (Deirorum fortè potiùs) Regis filius. Mort. an. D. circiter 705. Sepultus Egmontii apud Hollandos, quorum & Apostolus habitus est. Molan. in Addit. Surius Tom. 3. Martyrol. Rom. Is eximius Confessor, inquit Baronius, primus Archidiaconus Ecclesiæ Trajectensis fuit.

S. Tetta Virgo, & Abbatissa, Cuthredi Saxon. Occident. Regis soror. Mort. an. D. circiter 706 in suo Monasterio Wimborniæ in Com. Dorcestriensi. Wion. l. 4. Lign. Vitæ. Rodulphus in vita S. Liobæ apud Sur. Tom. 5. & in Vita S. Bonifacii Episcopi.

S. Aldelmus, Sherborniæ Episcopus, Inæ Saxon. Occident. Regis filius. Mort. an. D. 709. Pòst translatum corpus Sherborniâ Malmesburium. Beda l. 4, c. 10. Calend. Sarum. Malmesbur. de Pont. Angl. Extat Epistola ejus memorabilis ad Geruntium Britonum in Cornubia Regem.

Regem. Vide præterea de eo, & circa mortem ejus Capgravium in ejus Vita: Item Bale, Camdenum, &c.

S. Elfleda Virgo, & Abbatissa, Oswyi Northumbrorum Regis filia. Hæc est, quam Pater, voti memor, reportata a Penda Merciorum *Rege victoria admirabili, addixit Deo, & Statui Virginali, cùm vix annum ætatis primum excesserat, uti suprà in Oswyo commemoratum.* Mort. *an. D.* 714. *in* Monasterio *Streneshalliensi in Northumbria ab ipsamet fundato. Sepulta ibidem. De illa Ingulphus* de *Croyland in ejus Vita* : *Harpesfeld. Sec.* 7, *c.* 27. *Beda l.* 3, *c.* 24.

S. Guthlacus Eremita, e regia Merciorum *stirpe. Mort. an. D. circiter* 714. *Sepultus in* Monasterio *de Croyland in Com. Lincolniensi. De illo Felix Croyland. Petrus Blesen. in ejus vita* : *Ingulph. in Historia* : *Martyrol. Rom. Vide quæ de eo narrantur a Felice, qui quæ narrat accepit a Bertelino* Monacho, *Guthlaci in solitudine Croylandensi socio. Sunt enim memorabilia. Invenies illa apud Surium in vita* S. *Guthlaci* 11 *Aprilis. Atque hìc obiter non indignum observatu est, Concentum Campanarum, magnificum illum & singularem, qui modò in Anglia usurpatur, cœptum fuisse in modò dicto Monasterio Croylandensi : idque sub Egelrico Abbate, qui Turketulo successit An. D.* 976. *Campanarum usus frequentior cum Nominibus impositis, adhibitisque* Benedictionibus, *quarum præsidio uti nimirum solemus adversus fulgura & tempestates, inductus hoc eodem seculo a Pontifice Joanne* 14. *Itaque cùm Turketulus Campanam immensæ magnitudinis, cui &* Guthlaci *nomen imposuit, formandam curasset, Egelricus ejus Successor duas alias adjecit, quas* Bartholomæum & Bertelinum *nuncupabat, priore aliquantum magnitudine inferiores, alteramque etiam alteri pro rata portione cedentem* : *His duas pariter alias proximis item paulò minores,* Turketuli & Tolwini *nominibus insignitas* : *His alias etiam duas omnium minimas,* Pegam *scilicet &* Begam. *Hæ Campanæ sic demum formatæ, in ordinesque cum analogiæ cujus-*

 dam

dam æquabili ratione digestæ concentum egregiè numerosum, &, qui per solitudinem illam longè latèque personaret, effecere planè admirabilem.

S. *Egwinus, Episcopus Vigorniensis e regia stirpe. Historia memorabilis est de compedibus ejus ferreis, & clavibus in Sabrinam fluvium projectis. Hanc, uti cætera, brevitatis memor omitto. Illam invenies apud Capgravium in ejus vita: quam attingit etiam Gulielmus Malmesburiensis. Fundavit Monasterium Eveshamiense prope Vigorniam. Mort. an. D. circiter 716.* Sepultus *Eveshamii in Comit. Vigorniensi. Westmon. an. 712. Florent. Vigorniensis in Chron. an. 708. Ranulphus Cicestriensis in ejus vita. At circa Monasterium illud Eveshamiense extat comminatio* S. *Egwini admodum terribilis adversus eos, qui Monasterium violarent. Et fortè inde partim evenit, quod circa Ceolredum Merciorum impium Regem, de quo suprà in* S. *Werburga, contigisse meminimus. Huc quæ possent adjici circa Arcem* Sherborniensem, *habeo pariter in Chartis meis admodum insignia. At siluisse pœnituit rarò.*

S. *Pega Virgo,* S. *Guthlaci* Eremitæ *soror, e regia Merciorum stirpe. Vixit circa an. D. 714 in Com. Northamptoniensi. Locus* Peage-Kirke *ab ea dictus. Camden. in Northampton. Ingulf. Catal.* SS. *Brit. Romæ mortua est an. D. circiter 721, quò peregrinationem sanctissimam suscepit ad Limina Apost. Ibidem sepulta.* Post *ejus Romam adventum Civitas tota famâ continuò replebatur sanctitatis ejus.*

S. *Quemburga Virgo, & Sanctimonialis, pòst Abbatissa, Inæ* Saxon. *Occident.* Regis *soror.* Mort. *Wimborniæ in Com. Dorcest. an. D. circiter 730. Bucklandus in ejus Vita. Westmon. in Hist. majore an. 727.*

S. *Winibaldus,* Richardi *Angliæ* Regis *filius: In Germania* Monasterii *Heyndelamensis in Franconia Abbas.* Mort. *an. D. circiter 760. Corpus pòst translatum Eystadium, & locatum prope corpus Fratris* S. *Willibaldi. Wion. in Mart. Ben. Autor ejus vitæ apud Surium*

Tom.

Tom. 7. S. *Ludgerus, qui vitam* S. *Gregorii* E*piscopi* 3 *Ultrajectensis scripsit, affirmat* S. *Winnibaldum sibi charissimum fuisse; & cujus sanctitatem* M*iracula post obitum multa testabantur.*

S. *Walburga Virgo, & Abbatissa,* S. Richardi *Angliæ* Regis *filia. Accita a* S. *Bonifacio Anglo, Archiepiscopo* Moguntino *primo, & Germaniæ Apostolo, & ab eodem Abbatissa constituta* Monasterii *ibidem* Heydenhem, *seu* Heydentine *nuncupati.* Mort. *ibidem an. D. circiter* 776. *Corpus pòst translatum* E*ystadium in Bavaria, & repositum prope corpus Fratris* S. *Willibaldi. Wion. in* Mart. *Democh. l.* 2 *Sacrific. Miss. Tritem de Viris illust. l.* 3, *c.* 250. E*jus Vitam* S*criptam etiam invenies a Wolfhardo apud* Sur. 10 Maii; *scriptam item a Philippo* Ep. E*ystatensi: qui pariter ait usque ad ætatem suam (inter quam & mortem ejus intercessere anni* 500) *oleum pretiosum fluere a sacris ejus* Reliquiis *ad cujusvis generis morbos sanandos potentissimum. Quid hâc in re expertus ipse fuerit, cùm vehementer ægrotasset, vide apud eundem.*

S. *Willibaldus* Ep. E*ystatensis in Bavaria primus,* R*ichardi Angl.* Regis *filius.* Mort. *an. D.* 781. Sepultus E*ystadii. Tritem. de Viris illust. Molan.* M*artyrolog.* Rom. *Vitam ejus invenies pariter descriptam apud* Surium 7. *Julii: ubi circa peregrinationes varias, quas suscepit, memorabilia occurrent.* Miraculis *claruit, quæ memoriæ prodidit Philippus ille, qui postea* Ecclesiæ *pariter* E*ystatensi præfuit.*

S. E*lfreda Virgo, & Sanctimonialis, Offæ* Merciorum Regis *filia.* Mort. *an. D. circiter* 793, *& sepulta in* Monasterio S. *Guthlaci in Insula* C*royland. in* Com. *Lincolniensi. Spedus in Offa. Wion. l.* 4 *Lign. Vit. Pol. Virg. l.* 4 *Hist. Angl.*

S. *Fremundus* E*remita, &* M*artyr, Offæ* M*erciorum* Regis *filius. Ab Oswayo consanguineo, qui a fide defecerat, trucidatus an. D. circiter* 700. *Sepultus primò in* Off-Church *in Com. Varvicensi. Pòst translatum*

corpus

corpus Dunstabulum in Com. Bedfordiensi. Wion. in Mart. *Capgravius in Catal. SS.* Molan. *in Addit.* Matth. *Paris an.* 1257. *Vide pariter in Camdeno in Com. Var. vicensi illustre de eodem testimonium.* Matth. *Paris refert ab Henrico 3.* Rege *habitum eundem singulari & præcipua veneratione. Eodem regnante SS. fastis adscriptus an. D.* 1257.

S. Alkmundus Martyr, *Alredi Northumbrorum* Regis *filius. A Danis trucidatus an. D. circiter* 800. *Sepultus Derbiæ: ubi & Templum extructum in ejus honorem, vulgò* S. Alkmunds *nuncupatum; Aliud item Salopiæ. Spedus in Chron.* Reg. *Northumb.* Ranulph. *Cicest. l.* 5, *c.* 28. Ejus *Pater Alredus ille fuit, qui an. D.* 774. *a subditis rebellibus expellebatur e regno, atque ad Pictos confugiebat: quem sequebatur in exilium filius piissimus.*

S. Wistanus Martyr, Ceolwolfi Merciæ Regis *Nepos. Trucidatus a Berefredo cognato an. D. circiter* 849. *Supra locum, ubi corpus defuncti jacuit, lux ingens visa per* 30 *dies. Sepultus primò in Monasterio* Rependunensi, *modò* Ripton *dicto, in Com. Derbiensi. Pòst Corpus translatum ad Monasterium Eveshamiense in Comit. Vigorn. Westmon. an.* 849: *Huntindon. Hist. l.* 4, & *alii. Locus, ubi trucidatus erat, nomen sumpsit a S. Martyre,* Wistanstow. *Cædes patrabatur in Vigilia Pentecostes. Inter cætera, quæ Berfertum, seu Berefredum, ad cædem hanc nefariam incitarent, erat, ut fertur, quòd Wistanus Matri suæ Alfledæ, quam Berfertus sibi in uxorem avidissimè quæsierat, vitæ rationem suasisset integriorem, & a Viri consortio alienam.*

S. Ebba, Abbatissa & Martyr, e regia stirpe Northumbrorum. Coldingamiæ in Scotiæ finibus ad tuendam pudicitiam ipsa & Sanctimoniales reliquæ ejusdem Monasterii nares sibi & suprema labia absciderunt in prima Danica persecutione. Passæ demum omnes an. D. circiter 880. *Polyd. lib.* 4. *Baron. Tom.* 10. *Westmon. an.* 870. *Chron. Britan. fol.* 609. *Vide quomodo celebret etiam*

S. Pela-

S. Pelagiam S. Ambrosius de Virgin. lib. 3.

S. Neotus Presbyter & Eremita, e Saxon. Occident. regia stirpe. Mort. in Cornubia an. D. circiter 890. *Post translatum corpus Arnulphi-burium, modò* Eynsburg *dictum, in Com. Huntingtoniensi. Oppidum ibidem extat ab eo modò appellatum* S. Needs. *Molan. in Addit. Westmon. an.* 871. *De vita ejus admirabili vide pariter Joannem Anglicum, ubi memorabilia reperies. Post recessum ejus e Monasterio Glastoniensi, cujus etiam Abbatem & Rectorem appellat Gul. Malmes. locus, quem elegit, erat in partibus Cornubiæ remotis, idem scilicet, in quo antè vixerat Eremita ille celeberrimus S. Guerinus, non admodum longè a Monasterio S. Petroci inter oppida Bodmin & Leskard. Hìc eum sæpe venit invisum Alfredus Rex, de quo suprà, cùm in Insula Athelingayensi ærumnas inter extremas versaretur. Eodem præcipue hortante pòst fiebant, quæ circa Oxoniensem Academiam instituebantur ab eodem Alfredo; de qua re vide plura in Camdeno de Oxonia. De doctrina Neoti Autores plurimi.*

S. Ethelgina Virgo, & Abbatissa, Alfredi Saxonum Occident. Regis filia. Mort. an. D. circiter 896. *Sepulta in suo Monasterio Shastoniæ in Com. Dorcestriensi. Wion. l.* 4 *Lign. Vit. Spedus de Monarch. Angl. in Alfredo. Polyd. lib.* 5. *Westmon. an.* 871, & 888.

S. Gregorius, Presbyter & Eremita, Athelstani (Edwardi Senioris apud aliquos) Regis filius. In regiones exteras profectus in Sabaudiæ saltus densissimos se abdidit: & quod reliquum erat vitæ in sylva cognomento Nigra *transegit ignotus. Tritem. de eo in Chron. ad annum* 954. *Ferrarius inter SS. eum recenset, cujus memoria celebratur Decemb. die* 25.

S. Elfleda, Athelstani Angliæ Regis Neptis. Mort. an. D. circiter 947, *seu, ut apud aliquos,* 936. *Sepulta Glastoniæ in Com. Somersetensi. Westmon. an.* 929. *Sur. Tom.* 3. *Osbert. in vita S. Dunstani.*

S. Elfleda, Virgo & Abbatissa, Edwardi Senioris *Regis*

Regis filia. Mort. in suo Monasterio Rumseyano in Com. Hampton. an. D. circiter 950. Ibidem sepulta. Buckland. in ejus vita. M. M *SS. ex Monasterio de Rumsey.*

S. Eadburga, Virgo & sanctimonialis: Edwardi Senioris *Regis filia. Mort. an. D. circiter 960. Sepulta primò in suo Monasterio Wintoniæ in Com. Hampton. Reliquiæ pòst translatæ in Monasterium Pereshoriense in Com. Vigorniensi. Vincent. in Spec. Osbert de Stoke in ejus vita. Molan. Pet. in Catal. l. 11, c. 66. Factum insigne ejus, cùm triennis tàntùm esset, circa ornamenta secularia, armillas viz. & monilia ex una parte, ex altera Calicem, & Librum Evangelii, coram Patre nimirum Filiolæ suæ indolem èxplorante, vide apud Malmesbur. de Reg. l. 2, c. 13.*

S. Kinneswida, Kinneburgæ; aliàs Kymburgæ, *Reginæ soror, Pendæ Merciorum Ethnici Regis filia. Translata corpora Peterburio Dormundcastrium a S. Ethelwoldo Episcopo Wintoniensi: Ubi & Monasterium insigne in earundem honorem ædificavit an. D. circiter 980. Polyd. l. 4. Ranulph. Cicest. l. 5 Hist. Westmon. an. 705.*

S. Editha Virgo, & Abbatissa, Edgari Angliæ Regis soror. Mort. an. D. circiter 980. in Monasterio suo apud Poleswortbium in Com. Varvicensi, quod Edgarus paulò antè instauraverat. Sepulta ibidem. Sur. Tom. 5. *Westmon. in Hist.*

S. *Editha, Virgo & Abbatissa, Edgari Angliæ Regis filia, quam suscepit ex Wulfritha. Mort. in Monasterio Wiltoniensi in Com. Wilton. an. D. 984. Sepulta Wiltoniæ in Templo D. Dionysii, quod ipsa ædificaverat. Sur.* Tom. 5. *Polyd. l. 6. Westmon. an. 961. Contin. Hist. Beda l. 2. Circa mortem ejus, cui intererat S. Dunstanus, vide memorabilia in Malmesbur. de Pont. l. 2: & Capgrav. in S. Editha. Post mortem, temporis spatio aliquo interjecto, S. Dunstanum monuit S. Virgo, ut corpus suum e sepulchro tolleret: addens insuper, reperturum*

illum

illum partes omnes inferiores incorruptas, at corruptas superiores, oculos & manus, excepto Pollice, quòd in ætate puellari ad vanitates illas adhibuisset. Circa Pollicem verò, (& memoratu dignum est) cùm Virginem quodam tempore observasset S. Dunstanus frontem Crucis signo sæpiùs Pollice signantem, fertur continuò dixisse, Faxit, Pollex iste nunquam corrumpatur. *Quid contigerit circa Canutum, cùm sepulchrum Virginis Wiltoniæ, eo præsente, aperiretur, e Malmesbur. de Pont. l. 2. hæc habes. Erat, cùm Canutus* Angliæ Sanctos *non usqueadeo colendos duceret. Itaque cùm de S. Editha sermo incidisset, dicere jocabundus solebat, non potuisse se unquam induci, ut crederet ex Edgaro, Principe tam libidinoso, nasci potuisse Filiam sanctam. Reprehensus ab Ednodo Archiepiscopo, Wiltoniæ cùm esset, atque indignatione aliqua commotus aperiri Tumulum jussit. Quo aperto erigi sancta Virgo visa est, non secùs, ac si Regem esset aggressura. Attonitus portento Canutus resiluit evestigio, ceciditque in terram moribundo non absimilis. Recepto demum animo, Virginem sanctam nunquam non postea mirificè coluit. Cùmque pòst accideret, ut in mari exorta tempestate versaretur in vitæ periculo, ad subsidium dictæ modò Virginis implorandum se contulit. Abacta continuò procella; portumque inde attigit Rex incolumis. Justitiam didicit monitus, & non temnere Divos.*

S. Christina, Virgo & Abbatissa, Edwardi Principis cognomento Outlaw *filia. Mort. in suo Monasterio Wintoniensi in Com. Hampton. an. D. circiter* 1080. *Sepulta ibidem. Polyd, l. 9 Hist. Angl. Wion. l. 4 Lign. Vit. Westmon. an.* 1067. *Paris an.* 1029.

S. Christina Virgo, e regia stirpe Saxonum. Mort. in Flandria. Corpus pòst translatum Dermondiam in eadem Flandria an. D. circiter 1092. *cujus loci Patrona colitur. Molan. in Addit. ad Usuardum, & in Ind. SS. Belgii. Ab Angelo instruebatur primò in Fide Christiana. In Martyrol. Gallic.* 7 *Septemb. &* 27 *Julii dicitur*

 fuisse

fuisse filia Migramni Regis Angl. Verùm quis hic Migramnus fuerit, non liquet. Verisimilius est fuisse duntaxat e regia Saxonum stirpe, uti suprà. In Miræo in Fast. Belg. 16 Julii, & in Martyrol. Gallic. modò citato ad utrumque diem reperies narrationem pleniorem. Quo anno mortua, non constat. Annum Translationis posuimus.

S. Gulielmus, Archiepiscopus Eboracensis, Stephani Angliæ Regis Nepos. Mort. an. D. 1154. *Sepultus Eboraci in suo Cathedrali. De illo Calend. Sarum: Polyd. l.* 12 *Hist. Neubrig. l.* 1, *c.* 17, & 27. *Molan. in Addit. ad Usuardum.*

Henricus, Vir sanctissimus, Ep. Wintoniensis in Com. Hampton. Stephani Angliæ Regis frater. Imbutus omni genere sanctitatis, & Prophetiæ spiritu. Fundator celebris illius Xenodochii S. Crucis Wintoniæ. Mort. an. D. 1171, *sex circiter mensibus ab obitu S. Thomæ Cantuariensis. Pol. l.* 11, & 12 *Hist. Malmesbur. de Pont. Angl. Godwinus, & Wion. de Ep. Winton.*

Pandi videtur iterum lucida illa Nubes: atque apparet Maria Stuarta sola, inde progrediens.

Nempe quid hoc? Votisne iterum recluditur æther?
Parte tamen mediâ non ampliùs. Et modò portæ
In biforis speciem nubes coit. Intus inane est.
Aliger at limen bissenus & atria curat.
Et viden'? adverso quæ se fert obvia gressu?
Divini vultûs habitu, dulcedine formæ,
Incessuque patet divi quàm nominis una!
Te petit illa. tuam alloquio dignabitur aurem.

Mariæ Stuartæ allocutio ad Principem.

Sanguis ades, mea Progenies, e sanguine nostro
Tertius: at propiore fluens e fœdere Cura
Proximior. Caroline datur germana tueri
Ora mei? Adventu lætor, dolitura recessu,
Ni mea solari cumulando fenore possem
Vota, vixque retentandæ præsaga foverem
Spes alias. Cœlo me (*a*) Fothringamia dudum
Intulit, e terris, nunquam reditura, recessi.

(a) *In quam arcem includebatur ab Elizabetha Regina. Ibi-*

Non

Non reditura tamen dixin' ego? Dicta refellent
Convalles Josaphatinæ. Manet illa Mariæ
Meta terenda. Referre pedem nec Elisa recuset.
Sæpe quidem mentis relegunt vestigia terras
Interea, & (*b*) Cellæ veteris conclave reviso.
Quid tacitum sinus ingemuit? quid dejicis ora?
Parce queri. dedit illa, dedit mihi, quicquid ademit.
Mortem non equidem extimui; Mortisque ministram
Teli aciem, quamvis cinctam formidine multa,
Quamque acuit consanguineæ discordia dextræ,
Extimui minùs. Illa venit, mors illa timenda,
Quæ miseris venit, & *mortem* paritura *secundam* est.
Sed neque Vita tui titulo signetur amoris,
Carole. Mortalis vitæ quæ ducitur aura
Innubis non usqueadeo est; & sæpe procellas
Parturit. Has & ego sensi, & sensisse fatebor.
At subeat mentem ultricis ne læva querelæ
Suspicio. Vitam didici, quam mille periclorum
Innumeri cingunt Casus indagine tantâ,
Esse nec immodico voto, nec amore petendam.
Fama est & rerum (*c*) variis te casibus usum
Venti utriusque haud esse rudem. Subiisse sinistras
Fortunæ res ambiguæ, libasse secundas,
Cœli hoc *solantis* donum reor esse: *monentis*
Illud erat. Maneant, optem, tibi, quæ tibi vovi,
Omineque interpellari tua gaudia lævo
Nulla velim. Neque sub propria modò (*d*) *Vite* se-
Invideat tibi te quisquam. Sub Vite sedenti (dentem
Læta tibi sociam *Ficus* quoque porrigat umbram.
At *Lignum Vitæ* neutra. Interiisse memento
Et (*e*) *Vitem* informem, & spoliatam cortice *Ficum*,
Et memini pariter *Vigilem* descendere cœlo:
Cujus & imperiis submisso vertice fertur
(*f*) Nominis arborei cecidisse superbia major.

Ibidem post annorum 20 circiter inclusionem mortua, capite amputato.

(b) *In Fothringamiensi custodia.*

(c) *De his abunde notum.*

(d) *Habitabatque Juda & Israel absque timore ullo, unusquisque sub Vite sua, & sub Ficu sua. Reg.*3.*c.*4.

(e) *Gens ascendit, &c. posuit Vineam in desertum, & Ficum decorticavit: nudans spoliavit eam, &c. Joel. c.*1. Allude, si lubet ad nuperas Angliæ miserias.

(f) *Allusum ad illud Dan.* 4. Arbor magna, *&c.* Proceritas ejus, *&c.* Folia ejus, & fructus ejus, *&c.* Ecce Vigil de cœlo, *&c.* Succidite, *&c. Nabuchodon. erat Somnium.*

Somnia num feriunt propiùs? Radicis ab altæ
Stirpe coronatâ deduxit Gloria gentem,
Nubibus inseruitque apices; Opulentia frondes
Imperii extendit longè; succrevit amœno
Germine adulturæ sobolis fœcunda Voluptas.
Mortales sylvæ nutant. Hæc passa bipennem est.
Octono e fœtu, peperit quem regia Mater,
Ecce, supèr (g) quotus est? Referes, cùm nota revises
Limina, Jacobo referes salvere. Remitto
Cætera. Tecum illi testantur viscera salvè (dum
Quàm cupiam. Refer hinc oculos, & despice Mun-
Stantem in præcipiti. Varios Rota versat in orbes
Ludum agilem. Regni, soliique ad limina Casus
(*h*) Apparent varii: Currum conscendis. Eundem
(Humanæ verbo linguæ licet utar?) eundem
Fortunæ currum esse puta. Te cingit euntem
Multus eques, multo stipat latus undique torvus
Ære pedes. Tecum interea circundata pergat
Quo Fortuna satellitio, nec cernis, opinor,
Nec fortasse times. nec erit fortasse, timorem
Quod faciat, nisi præsidii tot pignora cœlum
Abstulerit. Miseras, fateor, fiducia terras
Multa tenet: multa (*i*) pingues farragine Culpæ
Sic tollunt animos acres, ut fræna Timorum,
Et Legum indomitæ cervices vincla recusent.
Vindictam rident, quia tam patientia ferri
Ducit inulta moras, & adhuc Vagina minatur
Sola. Metu vacuus claudit mortalia somnus
Lumina, securi nolent & cernere somni,
Quid paret ille *Vigil*, vigilem quò destinet ictum.
Chare nepos, in proclivi est, quid dicere tentem.
Vota tibi dudum despondent plurima *Vitam*.
Transcribunt Regi donum, quo charius orbis
In gaza nihil. Hinc, rerum in primordia postquam
Ætatum sub natales e pectore fluxit
Divino eximium munus, Natura poposcit
Tutelæ curam, placuitque in Corde reponi.

(g) *Carolus duntaxat, & Jacobus frater Dux Eboracensis.*

(h) *Apparitorum exercent munus.*

(i) *Incrassatus impinguatus, &c. Deuteron.* 32.

Mor-

Mortales vivunt; & vel discrimina vitæ,
Ut vivant, quæ non adeunt? Quæ non freta currunt,
Quæ sola non obeunt, & quæ non sidera mutant,
Pignoris ut tanti foveant, deturque tueri
Usuram dulcem? Chari custodia doni
Quo non præsidio, queis non accingitur armis?
Depositum tamen hoc votis par omnibus unum,
Ut desit vis, fortunæ discrimina desint,
Surripiet Morbi furtiva licentia. Morbum
Ut fuget, & fatum properans medicina repellat,
Accedet Senium: sceptro nec Tempus & ipsi
Submittit falcem. Mortem fugis? Ergo age, Vitam,
Vivere Vitam aude. Et quoniam meminisse caducæ
(k) *Arboris* in mentem venit modò, prodeat Arbos
Altera, & illa quidem felicior, & cui Vitæ
Dat sua vita fidem. *Lignum vitale*, minarum
A ferro, a senio interitûs, a sidere crudo
Brumalis fati, damnique immune capesse,
Quàm vivax sibi, tam nobis vitale futurum.
Fortè tuas (*l*) *Fluvii* pariter *vitalis* ad aures
Accidit allapsus rumor. Pellucet in unda
Crystalli radio tinctus nitor. *Agnus* origo est.
Ex *Agni* solio *plateas* & compita Cœli
Lætitiæ latices, & Pacis nectar inundat.
Ad Fluvii ripas hujus viret Arbor; opacant
Fœcundæ ripas *duodenis fructibus* umbræ.
Lignum appellamus *Vitæ*. Quo frondeat Arbor
Germine, gustando novi, doctura silendo.
Vidisti, quos secteris. (*m*) Quem fercula Pompæ
Humanæ, quem Blanditiæ tenuere, Cupido
Quem famæ nimia abducit, trabeatus Honorum
Assecla, non hos consequitur. Te semita ducet
Regia. Corripienda via est, quà semita ducit.
Otia sub Vitæ ligno vitalia carpunt.
Vivuntque, & regnant: spaciisque ingentibus ævi
Regnum æquat spacii carituram limite Vitam.

Carole,

(k) *De qua re suprà.*

(l) *De his in Apocalyp.c.22.*

(m) *Allusum ad illud* Omne quod est in mundo, concupiscentia oculorum, superbia &c. Joan. 1. c. 2. v. 16.

Carole, vive quod æternum eſt. Veſtigia Regum
Et ſequere, & meritis numerum regalibus auge.

De ſereniſſima Maria Stuarta, Scotiæ Regina, Caroli 2. Principis noſtri Proavia, nulli non annales. Et quoniam verſamur modò in Aula ſancta, referendus Lector erit ad Nicolaum Cauſinum in ſua Cour ſainte.

De Adamante in Cordis effigiem ſculpto, annuloque inſerto, quem Maria Scotorum Regina ad Elizabetham Anglorum Reginam miſit anno CIƆIƆ LXIV. *ſcripſit Buchananus, eundemque induxit loquentem verſibus ſane perquam elegantibus: quorum poſtrema pars hæc eſt.*

Tam beatior omnibus lapillis,
Tam ſim clarior omnibus lapillis,
Tam ſim carior omnibus lapillis,
Quàm ſum durior omnibus lapillis.

Ad rem præſentem hæc videntur poſſe ſubjici.

Es felix, Adamas, opum tuarum,
Et felicior omnibus lapillis.
Nites? hunc Dominæ refer nitorem.
Ah, Cordis tamen exhibes figuram.
Eſt, eſt, (& Silicis genus Britannæ)
Cui, faſtus adamantinos vel inter,
Non jactet Lapis æmulum rigorem:
Cujus durities nec æmulanda,
Et cui nec ſimilis, nec eſt ſecunda:
Hujus duritiem, Lapille, noſſet,
In fletus Adamas abiſſet omnis;
Teque ipſò neque durior fuiſſes,
Quamvis durior omnibus lapillis.

Deſcenditur continuò ad terras, illa diſcedente.

Reſpice. Quò revoluta rota eſt? Deſcenſus ab Aſtris
Ad terram facilis, præceps iter. Ecce ſilentes
Siſteris ad Statuas iterum, invitoque recurſat

(*a*) Ja-

(a) Jacobeus ager. Præsentem læta salutat
Pyramis, & Statuas animat præsentia mutas.
Et nunc hora monet Nimborum in pascua mitti
(b) Alipedes, & colla jubet fumantia solvi.
Tempus erit, nobis aliam cùm semita pandet
Non relegenda viam, referetque secundior Aura.
Nec minùs, ut Terras habitem, spes accola Cœli est.
Pyramis interea Carolum, & sua Vota reposcit.
Sublimem (c) medius visu metiris Olympum
Et Terras. Humiles (esto) sunt, Carole, terræ.
At, justis æquam si votis annuis aurem,
Nos tantisper ama, dicunt, & sidera differ.
Susceptum exegi munus: Fortuna laborem
Quæ maneat, novi. Sacram quæ postera (d) molem
Fata manent? Flabunt venti: cum dente maligno
(e) Falcem ad radices aget invidiosa vetustas.
Stabit: & in seros Votum missura nepotes.
Hæc ego. Permessum Thamisino littore mutans
Hæc mea succinuit jam (f) depontana Camœna.
Hìc illam, Princeps, qualis sit cunque, repono:
Emeritamque tuis suffigo postibus artem.
VIVAT. fatidicus cecinit præsagia Vates.
(g) Siquid habent certi Vatum præsagia, VIVET.

(a) *De hac Pyramidis statione cum Statuis suis Par.* 3. *pag.* 84.

(b) *De his Ventis curulibus ad initium hujus Partis, pag.* 161.

(c) *Ejus quippe Statua, ut dictum suprà, cum duabus Reginis proximè infra Statuam Vitæ æternæ.*

(d) *Pyramidem sc.*

(e) *Falx est etiam instrumentum bellicum, quo suffossores utuntur ad muros subruendos. Vegetius.*

(f) *Sic nempe dicenda meritò,* Ponte *prohibendorum quæcunque ætatem plusculùm excesserit.*

(g) *Carmen ab Ovidio magna ex parte mutuatum. Et præsagium continent literæ numerales, sumptum, si ad-*
vertis,

vertis, ab anno, quo Serenissimus Princeps noster nascebatur, videlicet M. DC. VVVVVIIII.

FINIS.

Erat solenne veteribus ad Monumentorum dedicationes ludos aliquos instituere; quorum exemplo constituebat Autor etiam ipse facere ludos. In his committere proposuerat Vitam & Mortem munere aliquo saltatorio: & hanc quidem forma Pueri, ut supra e Pausania, ad Pyramidem arma deposituram. Labor fuisset aliquis in apparatu instruendo, ingeniis utriusque exprimendis, fingendisque Tripudii motibus diversis, &c. At non eum istuc deterrebat. Videbatur Dramati, seu scenæ res ea magis, quàm huic loco convenire. Præterea in toto opere a fictionibus istiusmodi, quæ multi certè negotii non erant, consultò se prohibuit. Neque verò, ut separatim id postea fiat, persuaderi illi modò facilè poterit.

INDEX

INDEX,

Notarum marginalium præcipue.

Multorum quæ eo ſpectant, hic non habetur ratio; ſicuti nec Annotationum.

INDEX.

Gloriæ

gentem

INDEX.

Sebbus;

INDEX.

ANtequam pergatur ad Errata cætera, Memini in 2. Par. p. 77. mentionem factam aliquam fuisse de nonnullis, quorum ope Princeps utebatur in primo æstu periculi, post cladem Vigorniensem. De uno, nescio quo errore, mentio facta nulla: qui nihilominùs tanquam Stella prævia, & illa quidem primæ magnitudinis, in regiæ illius noctis caligine apparuit. Is erat D. *Carolus Giffordus*, mihi olim notissimus; a quo incogitantiæ meæ veniam hìc peto: si tanti tamen sim, cujus lapsum hac ex parte ægriùs ille ferat.

ERRATA.

PAg. 11. l. 17. *candida* Lege (&) *candida*.

P. 33. l. 5. *Irrepsit in nonnullos typos hoc carmen:*
Qualis at ingenii spumas mereatur, habeto.
L. *At magis, aspergi e trivio meruisse, pudebit.*

P. 37. l. 23. *frugem.* L. *germen.*

P. 104. l. 30. *humero Siderites* L. *Siderites humero*

P. 109. l. 4. *Desinit in gremium* L. *Defluit in gremium.*

P. 155. l. 15. *Niliacæque ostenta revisere terræ.*
L. *Niliacæque trophæa revisere famæ.*

P. 201. l. 24. *in* Marg. Εν ῥῆσιν L. Εν ῥῆσιν

P. 210. l. 6. *Virginem* L. *Virginum*

P. 259. l. 21. *suberbiit* L. *superbiit*

p. 269. l. 16. *quæ pristæ prioris*
Retulit in fastos ævi, L. *quæ rettulit ætas*
Pristina in annales ævi,

Demum p. 366. post lin. 19. deesse video hoc carmen,
Es & durior omnibus lapillis,
Reponendum viz. proximè ante carmen sequens,
Ah, Cordis tamen exhibes figuram.

Siquando reperteris Typhœos, Typhœa, Tybur, Tybure, Tygride, verosimile, *Lege* Typhoeos, Typhoea, Tibur, Tibure, verisimile.
A benigno Lectore cætera vel corrigantur, vel excusentur.

His adjunge, quæ sequuntur. Marg. aliquot Notæ, quas deesse video in primis 3. Partibus, non tanti sunt, ut hìc reponantur.

PAge 123. Lin. 22. *Jam nunc nil*, Lege *Jam modò nil*
p. 182. l. 35. *Nulli fuit*, l. *Nulla fuit*
p. 209. *in Marg.* l. 6. *passim appellantur* Dele *passim*.
p. 223. l. 11. *Studiosa suas* l. *Catharina suas*
p. 232. l. 37. *Post* de qua re pariter infra. *Repone :*
Ex Beda *tamen intelligo utramque manum incorruptam*.
p. 248. l. 13. *Monasterium Elyense fundavit* l. *Monasterium Elyense* (*situm in plaga palustri, ab* Anguillis, *quibus abundabat, sic nominata*) *fundavit*.

P. 266. l. 8. *Post* Anglo. Sax. *hæc omissa, quæ sequuntur : & sic* reponenda. *Oswyi hujus ætate Controversia in Anglia ingens orta circa* Paschæ observationem. *Oswyus ipse, quippe a Scotis baptizatus, & sic edoctus ab iisdem, Ritum amplectebatur ab usu Romano alienum. Convenit Synodus in Monasterio Streneshalliensi ad rem componendam. Et meritò movit hæc quæstio, inquit Beda, multorum sensus, timentium, ne, accepto Christianitatis vocabulo, in vacuum fortè currerent, aut cucurrissent. Aderat ex una parte Colmannus cum suis e Scotia : Ex altera cum suis Agilbertus & Wilfridus. Oswyo etiam ipsi adesse placuit cum suo comitatu. Agitata res utrinque diu. Argumenta proposita in utramque partem habes apud Bedam. Ventum eò tandem est, ut pro se Colmannus adduceret autoritatem Columbæ sanctissimi viri, & Successorum ejus. Hìc opposuit evestigiò Wilfridus autoritatem D. Petri, & Successorum ejus. Columbam, inquit, & Successores ejus erat, opinor, quod excusaret. Tu autem, & socii tui, si audita modo decreta Sedis Apostolicæ sequi contemnitis, absque dubio peccatis. Petrus ille est, cui Dominus dixit,* Tu es Petrus, & super hanc petram, *&c.* Et tibi dabo claves regni cœlorum. *Hæc perorante Wilfrido, dixit continuò Rex : Veréne, Colmanne, hæc Petro dicta sunt a Domino? qui ait, Verè, Rex. At ille : Potestis, inquit, vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum? At ille : Nihil, inquit. Subiecit Rex. Et ego vobis dico, Quia hic est Ostiarius ille, cui ego contradicere nolo : sed, in quantum novi, seu valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne fortè me adveniente ad fores regni Cœlorum, non sit, qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur. Excerpta hæc e Bedæ Hist.* l. 3. c. 25.

At quoniam mentio hìc facta de Paschatis observatione, lege, si lubet, in ejusdem Bedæ Hist. l. 5. c. 22. *Ceolfridi Abbatis Epistolam hac super re pulcherrimam, ex Anglia missam ab eodem ad Naitanum Regem Pictorum.*

P. 364. l. 7. *Octono e fœtu* l. *E prole octona*

Neque verò hæc reposuisse necesse fuit.

Cùm librum hinc inde denuo inspicerem, defuisse ilico animadverti carmina aliqua, quæ de Lucio *è chartis solutis ad prelum non deferebantur. Non sunt tanti fortè, quæ reponantur. Repone tamen, idque ad pag.* 187. *lin.* 15. *post* Christiadûm primus.

Christiadûm primus. Christi cunabula norat
Ducere non aliunde genus, quàm stirpis avitæ
Regibus ex atavis, intertextaque coronis
Jessea serie. Memorasse insignia Matris
Et tantæ vel tanta parùm est. Sine limite Numen
Immensum, sine principio immutabile Numen
Augustus Nato Genitor dat habere, quod æquet
Et patriæ titulos, & opes, & secula famæ.
An terræ placuit fines invisere nostræ?
Hospitium certè (Regum nos dicimus aulam,
Humanæ majestatis quæ summa suprema est)
Hospiti adornari tanto regale decebat.
Idque, tui studiosa parens, tibi regia Virgo
Designasse, reor, visa est, * cùm nubis ab aureæ,
Lucisque ætheriæ solio te, Christe, videndum
Romano rerum domino dedit. Excipe tantâ,
Cujus in obtutu defigeris, excipe, Cæsar,
Majorem Matre, immenso nec Patre minorem.
Heu, canitur surdo. **In mundum venit* aureus Hospes,
Et Mundus non agnovit. Cùm conderet orbem
Ingentis mundi rerum Sapientia fines
Attingens, rerumque opifex æterna, removit
A *Mundo*, fortè ut Cœlo confinior esset,
Particulam terræ quandam: * *Olbionemque* Pelasgis
Dictam olim, & nomen dictam meruisse, Britanni
Albionem dixere. Quid invida liquit inausum
Impietas? Sedem Furiis * hîc deligit Orcus:
Nec verò brevis imperii. Babylona repellunt
Acciti Solymâ Pugiles. Certamen Avernus
Restituit. Stygis hinc demum, invidiæque recentis
Interfuso æstu, tellus malè roris egebat
Ætherei, frugesque herbis arentibus ægræ
Languebant. Succurrit agro Damianus, & undis,
Tybri, tuis steriles lustrat Fugatius oras.
Christe, veni. Mundo averso, te regia tandem
Aula vocat, Regno cum supplice Lucius ambit,
Rex idem primus: vectigalemque coronam,
Mundoque abiunctum imperii tibi destinat orbem.
Nominis hæc monumenta sui gratare Britanno,
Anglia. Quæsivisse parum est, nisi parta tuemur.
At te multiplices, Luci, *&c. quæ sequuntur.*

* *Hoc circa Augustum Cæsarem: cui, ut meminisse videor è Scriptoribus, apparuit ex æthere B. V. eximia luce circumfusa, Puerum Iesum in sinu gestans.*

* *Joan.* 1.

* *Ab* Ὀλβιον *vocabulo Græco, quod significat* opulentum, *seu* felix. *Ita probat amplè Scriptor quidam non ignobilis. Facile erat post mutasse literam.*

* *Uti suprà pag.* 180.

Pag. 225. l. 16. fore brevì, cùm *Lege* par esse, ut
P. 324. l. 23. è fulmine nomen Leg: è *robore* nomen.

Erratum fortè siquid fuerit, quòd opus hujusmodi Autor susceperit:
Erratum porrò istud sic castigandum censet Autoris Musa.

Alme Sol! Ad se rediit: tuæque
Lucis ut lætus radium revisit,
Qui tua multus malè somniavit,
Phœbe, sub umbra!
Laurei, fontem prope Pegaseium,
Nuper ingressus nemoris latebram,
Dormiit. Ripus tenet Hippocrenes
Et sua Lethe.
Est suus tandem. Pudet haud fuisse.
Incutit tergo Metanœa virgam.
Tu tamen sævire, severe Lector,
Desine velle.
Somnii noxam sine bile vibex
Nulla castiget? (a) *Gyaros facessant*
Otii cani resides opellæ,
(b) *Anticyramve?*
Hac opus non est. cerebrum redemit.
Sin tuus pergit furere ostracismus,
Exulem vatem propiùs releget
Ad (c) Piper, & Thus.
Quæ vigil peccat, nota nigra damnet.
Culpa sopiti levior. Sopori
Multa connivent. suaque ipsa lustrat
Crimina laurus.
Fortè nec saltem (d) *medias tabellas*
Abnuet Censor. Tenuare culpam
Attamen nolim. Pharetram tenentis
Sistitur aræ.
Et Lyram tractat Patareus, & Arcum.
Numinis mulcet Lyra: terret Arcus.
Audiat Diana. TENENTIS ARCUM
Sistitur aræ.

(*a*) Seu in exilium?

(*b*) Seu ad helleborum?

(*c*) Et quicquid chartis, &c. *Horat.*

(*d*) Sic dictas: in quibus apparebat nec *A*, nec *C*.

Tangit intentum Arcitenentis *Arcum*:
Pythiæ tangit Nemesis Sagittam:
Cuspidis sacræ, sacer ipse, tangit
Punctum, (e) *animamque*.
Si tuos posthinc vetita sub umbra
Dormiat, Parnasse verende, somnos,
Si tuam libet Neoportus *unquam,*
Pegase, Lethen,
Horruit quales Niobea proles,
En, minis (f) ἀμφηρεφέα φαρέτρην
Stipet alatis, bifidoque Phœbus,
(g) Νυκτὶ ἐοικώς,
Devolet clivo; pateat pharetræ
Et cliens hic vel meus, arcuique
Vindici, totique minacis iræ
Hostia telo.
Cuspide infesta (h) *cadat; occidatque,*
Ceu novæ partus Niobes, Camœnæ
Partus: (i) & *mutæ Sipylus Camœnæ*
Obstruat ora.

(e) Sic ille. βέλος ψυχήν.
(f) Iliad. 1. in simili.
(g) Ibidem.
(h) Non secus, ac Niobes filii erant ab Apolline confixi.
(i) Et Musa ipsa, velut altera Niobe, dirigeat in Saxum, ut sileat hinc æternùm. Versa autem Niobe in saxum prope Sipylum. Inde Saxo Sipyli nomen.

Remisit æstus. Frigidam affundis tamen?
At unde sumptam? Videris.

Atqui de cæteris Prosodiæ *alterius*, & Pedum *certè diversorum, atque Annorum meorum Erratis, quæ Tribunali alteri sistenda sunt*, (*nam* (a) cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato) *misericordem* (b) meum Judicem deprecabor *sic*.

(c) *Erravi, sicut ovis, quæ periit*: *Et* (d) *tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis meis.*

Amen.

(a) Eccle. 12. v. 14.
(b) Job. 9. v. 15.
(c) Psal. 118. v. 176.
(d) Job. 14. v. 16.

Bibliopola Lectori.

NOvi probè, Lector benevole, vendibili vino hederâ non esse opus. Tamen, quòd publicandum susceperim hoc Poema, cui Titulus Votum Candidum, Vivat Rex, *ne quid a me arbitreris admissum temere, opportunum muneri suscepto videtur de hoc eodem Poemate Testimonium adjicere unum aut alterum.*

Possem afferre in medium, Abrahamus Coulæus, *Poeta nostras eruditissimus, & linguæ peritissimus utriusque, (testis profectò locuples) quid de hoc Opere senserit. Brevitatis causa stabit mihi Verbum in ore duorum duntaxat.*

Habeo apud me Libellum ab omni parte cultissimum, cui Titulus Bathoniensum & Aquisgranensium Thermarum comparatio. *Quæ hìc reperi pertinentia ad rem præsentem hìc subjicio.*

Pag. 87. *sic habet.* Ante meridiem nonnunquam solus obambulans, Libellos, quos mecum attuli, pervoluto, &c. *Deinde p.* 88. *sic.* Delector insuper mirificè sub Somersettano hoc cœlo nati, condiscipuli quondam mei, Mauritii Neoporti *Voto Candido,* quo ille Carolo Secundo Regi nostro Vitam usquequaque felicissimam ominatur; in eoque & suspicio priscorum poematis omnino parem subactæ dictionis ἔμφασιν, altissima sensa, numeros, acrimoniam: & modestiam veneror, qua ille Musam quamvis cultissimam ad regia limina his versibus amandat.

Perge mihi, qualis, subducta messe, puella,
Et cui sors obscura domûs, & curta domi res,
Relliquias frugum insequitur, contentaque parco
Mergite, fortuitos infert sub tecta labores.
Talis es, augustæ talis mihi comeris aulæ:
Ut sumptu, sic sorde vacans.

Cæterùm si quis error sit, quòd ita de hoc Poemate sentiam, erro cum non paucis aliis, quos sæpe conveni,

veni, & profectò ejusmodi, quibuscum errare non indecorum foret. Hujusmodi me comites minùs solum, cùm solus sum, reddunt. Dum sic mecum habito, dum in aula Musarum versor; ad virorum principum, quos hìc studiosè declino, limina non offendo.

Hæc ille: idemque vir ipse (ut vel ex hoc elegantissimo opusculo luculentè patet) laudatissimus, a quo laudari certè laus est. Scribentis nomen avebat latere. Appositum Libello duntaxat R. P. *At quid est, quod sibi quis invideat sua, & Famæ nomen debitissimum,* Robertum Pughum?

Transeo ad aliud Testimonium. *Erat quidam ex illustri* Thimelbæorum *familia, qui, ubi perlegisset hoc Poema, transmisit Librum ad familiarem suum* D. J. de Bergaigne (*cujas fuerit, equidem ignoro) Virum eruditionis summæ, & in omni cyclopædiæ munere versatissimum, cujus consuetudine etiam, quemadmodum audio, utebatur tunc temporis Londini Illustrissimus Comes Shaftoniensis, eruditissimus ipse, & Mæcænas eruditorum. Ad hunc, inquam, transmisit hoc Poema, ut ingenuè ad se rescriberet, quid sentiret ipse de toto Opere. Epistola rescripta hæc est, quam apud me pariter habeo.*

Generosissime Domine,

Blandæ exhortationi tuæ obsecutus accuratè perlegi trium Charitum fœtum. quidni enim tripartitum Poema hoc appellem nomine? &c. (*Patet igitur hæc scripta fuisse, antequam Liber in quatuor Partes divideretur, prout modo divisus est in hac tertia Editione.*) Omnia in Autore animadverti reconditæ eruditionis plena, in quo Tyrones nihil præter literas, hoc est, elementa cognoscant, Veterani verò nihil nisi maximè literatum inveniant, & admirentur. Tam versicolore rerum ornatu opus suum contexuit, ut quod in aliis sparsim & ægrè offenderes, hìc primo intuitu deprehendas. Sanguinem nimirum, & medullam vatum jure optimo vocem, qui, &c.——

Styli

Styli autem varietate ubere feliciter adeo ſeſe expreſſit, ut hac in re abunde ſatisfactum mihi ſit, omnique ingenuo eſſe debeat, & ſcienti (*cum C. Petronio liceat ſic loqui)* per univerſa Poetarum *tormenta præcipitari* oportere ſcribentis *ſpiritum*, antequam operi ſuſcepto pro meritis reſpondeat. Quis enim, &c.——Obſcuritatem ex frequentibus allegoriis, catachreſibus, dictionibus ſedulò requiſitis, & hujuſmodi poematum luminibus ortam ſi quis fortè incuſet, næ ille potiùs infantiam & inſcitiam ſuam prodat, quàm Autoris ineptiam arguat. Huc accedit celebris illa, &c.

Hìc liceat permiſſu tuo interjicere leviuſculum aliquid de meo, quod menti occurrit. Erat quidam apud nos non ita pridem, (imbutus ipſe literis fortè non admodum ſeu Græcis ſeu Latinis) qui & Virgilium in ſcriptis ſuis & Homerum reprehendebat: ſimultatem herclè in utrumque habere viſus non modicam. De quo breviter luſit ſic Poeta quidam alius, item noſtras.

To Homer and Virgil he has a juſt pique.
For th' one writ's in Latin, the other in Greek.

Latinè hæc reddi ſic poterunt, ſi placet.

Huic in Virgilium eſt, & Homerum lis ſine fine.
Et meritò, Græcè nam ſcripſit hic, ille Latinè.

Interpretare, ut velis. Poterunt enim eſſe, qui vel non multùm excelluerint unquam ipſi in arte poetica, vel quibus (id quod facile profectò eſt) poeſis ſua exciderit. Verùm hæc obiter, & aliquantulùm fortè loquaciùs. Concluſit demum ille, de quo modò, ſic epiſtolam ſuam.

Tibi verò, generoſiſſime Domine, gratias ingentes habeo, ſi poſſem, etiam referrem, quòd interventu tuo effectum ſit, ut mihi Opus digniſſimum lectu evolvendi anſa contigerit; cujus e lectione quantùm profecerim tum res antiquas memorando, tum novas addiſcendo, malim a me præſens audias, quàm ex ſcribente intelligas. Vale a tuo ex aſſe

P. J. de Bergaigne.

Hæc

Hæc ille. in quo tamen aliqua vides intercisa, eaque non levis sanè momenti. Id factum ne Appendix excurreret nimis. Vale.

Hæc apponi quidem non poterant inscio Autore. At severè profitetur apposita esse se admodum invito. Neque verò solent petaces hederæ istiusmodi æra merere Sosiis. Repetit igitur quod in altera Editione extat;

——Pede metiatur
Se suo carmen. Pede, quo cucurrit,
Stetve, cadatve.